UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

urn:nbn:de:hbz:466:1-66507

Visual Library

Th. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA,

CONTINUATORIS
TOMUS QUARTUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS XXVIII,
Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460.

Collegii S. J. Cad 1769



AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXVIII.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

Præsens Historiæ Ecclesiasticæ volumen ordine vigesimum octavum tibi, benevole Lector, duo exhibet schismata, unum Basileensium, alterum Græcorum ; hoc severe a Deo castigatum, illud feliciter extinctum. Utrique ferme eadem erat origo, non item æqualis exitus. Prima Basileensis schismatis incunabula erant invidia, atque ambitio, qua incitati quidam Cardinales & Prælati ægerrime ferebant, quod Sedes Apostolica e Galliis rursus Romam translata, indeque præcisa esset opportunitas, qua Pontificatum aucupari, ac supremas Ecclesiæ dignitates, necnon

pinguiora beneficia gentis suæ Viris hæreditario quasi jure vindicare possent. Cum ergo illi aliunde cupiditatem suam explere haud valerent, eo temeritatis prolapsi sunt, ut non modo legitimi Pontificis electionem in dubium vocarent, metuque extortam fuisse perperam calumniarentur, sed ipsam etiam supremam illius potestatem sub confecto reformandæ Ecclesiæ obtentu constringere, deprimere, ac ferme ad nihilum redigere præsumerent. Verum subverti haud potest Petra, super quam fundata est summa Ecclesiæ, primique Capitis auctoritas; unde nec mirum, quod Basileenses caput suum, quod adversus eam erigere ausi sunt, allidentes misere protriti fuerint. Postquam enim detecta fuit horum rebellium ambitio, brevi, prævalente legitimi Pontificis auctoritate, ac Principum Christianorum zelo, eorum conventiculum dissolvebatur, atque iidem, qui præcipua seditionis capita erant, agnito errore vel ad unitatem Ecclesiæ redire, vel inviti supremum in primo ac visibili Ecclesiæ capite auctoritatem, potestatemque

temque revereri compellebantur. Ita demum membris suo capiti unitis confestim pax, quæ dudum quorumdam discessione exulaverat, Ecclesiæ reddita, ac schisma feliciter extinctum fuit.

Alterum autem, de quo impræsentiarum differimus, schisma magis adhuc funestum juxta ac diuturnum erat, suamque itidem originem potissimum trahebat ab unius hominis ambitione & contumacia. Is erat Photius S. Tharasii Episcopi Constantinopolitani Nepos, dignitate Protospatharius, ac Michaeli Imperatori a secretis, vir ceteroquin doctissimus: ast supra modum ambitiosus. Hic primus ab Ecclesiæ Latinæ gremio totum pene Orientem avulsit, ac schisma, erroresque suos inde pullulantes in omnem Græcorum posteritatem propagavit.

Equidem jam inde a quarto & quinto sæculis aperto huic schismati præluserat Constantinopolitanorum Præsulum ambitio; cum enim Constantinus Magnus Imperii sui sedem Roma Bizantium transtulisset, Græci adeo Imperatoris sui præsentia inflati erant, ut pri-

mæ Sedis auctoritatem annexam censerent loco, ubi eorum Cæsares residerent. Unde factum, ut neglecto Christi instituto, quo Sedes Petri ceteris omnibus antepolita fuit, ipsi Constantinopolitanam Ecclesiam suam præferrent, quamvis eorum Episcopus tunc temporis nequidem Patriarcha esset. Creverat gradatim horum cupiditas; anno enim Domini super trecentesimum octogesimo primo in id incubuere, ut Episcopo Constantinopolitano secundum a Romano Pontifice locum assererent (*) licet Apostolica Sedes reclamaret. Ast ne hoc quidem contenti, Anno salutis quadringentesimo eundem Episcopum dignitate parem Romano Pontifici efficere nitebantur (**). Nondum hic steterat horum Præsulum ambitio; quippe sub finem sæculi sexti Joannes IV. Constantinopolitanus Episcopus sese *Oecumenicum*, hoc est, Orbis terræ Episcopum sive universalem, ac in dignitate

(*) Vide Canonem V. Concilii Constantinopolitani I.

(*) Id patet ex actione decima sexta Synodi Chalcedonensis.

gnitate primum inter Episcopos sese nominare ausus fuerat. Hanc novitatem S. Gregorius I. tanquam blasphemiam instituto Christi Domini adversam damnabat, eoquod in octo Conciliis Oecumenicis, quæ in Oriente celebrata fuere, constanti fide Romanæ Sedis Primatus, atque auctoritas reliquis omnibus supereminens, S. Petri Successoribus asserta fuisset.

Denique Sæculo nono aucta indies superbia in apertum schisma prorupit; cum enim Photius homo laicus in sedem Constantinopolitanam inique intrusus esset, eum non modo quinque diversa Concilia damnarunt, sed etiam Nicolaus Papa coacto Romæ Concilio sacro fulmine perculit, atque S. Ignatium Sedi suæ restituit. His Photius in rabiem actus, omnia modestiæ repagula fregit, atque adversus Romanæ Ecclesiæ doctrinam adeo petulanter insurrexit, ut eidem multa, eaque vel falsa vel frivola crimini verteret, necnon in ipsum quoque Nicolaum Pontificem anathematis sententiam pronuntiare præsumeret. Cum vero ambitiosissimus infausti hujus schismatis

promotor per triginta ferme annos insano prorsus furore contra Romanam Ecclesiam, sedemque Apostolicam debacharetur, demum a Leone IV. Constantinopolis Imperatore, qui *Philosophus* cognominabatur, e Sede Patriarchali ejectus, ad Monasterium Armenorum relegatus fuit, ubi circa annum Domini octingentesimum nonagesimum primum, ut conjicit Abbas Fleury, (*) periit, quo autem mortis genere ignoratur.

Ejus tamen obitu dissensionis semina nullatenus extirpata videbantur; quippe sub annum a Christo nato nongentesimum octogesimum primum Photii schisma recruduit, ac quarto decimo post anno Græci encyclicam illius epistolam adversus Romanos Pontifices editam denuo receperunt. Cum vero Michael Cærularius Anno Salvatoris millesimo quadragesimo tertio Constantinopolitanam Sedem iniquis prorsus mediis invaderet, summum Pontificem sceleris vindicem metuebat; hinc novos errores prioribus adjecit; ipse tamen, postquam eo temeritatis devenerat, ut etiam Leonem

(*) Lib. LIV. Historiæ Ecclesiasticæ §. XIV.

nem IX. Papam, qui ad flectendam ejus pertinaciam nihil non agebat, anathematis sententia percellere auderet, ab ipso Imperatore sede sua ejectus est. Nihilominus schisma totis viribus propagare adeo non destitit, ut etiam impii illius conatus in Græcorum animis odium ac dissensionem a Romana Ecclesia diffunderent usque ad annum Dominicæ Nativitatis millesimum ducentesimum quartum, quo Deus Ecclesiæ suæ vindex paterna adhuc castigatione proximo Regni gentisque excidio, ac debitæ rebellionis pœnæ prælusisse videbatur. Tum enim Latini Constantinopolitanam urbem armis suis subegerant, ac Orientale Imperium sub Balduino annos sexaginta & unum sibi vendicabant, non sine ingenti Religionis, atque animarum fructu; quippe toto illo tempore non pauci errore depositio ad Ecclesiæ sinum revertebantur, ac postea in Lugdunensi Concilio (*) Romanæ Ecclesiæ sese adjungebant. Verum vix novem anni

(*) Græci Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto in hac Synodo sese Latinorum Ecclesiæ aggregabant.

effluxerant, cum Græci rursus ad vomitum reversi, jam severiori atque extremo irati Numinis flagello plecti inciperent. Imminebat enim cum ingenti exercitu Constantinopolitanæ urbi Mahometes II. Turcarum Imperator; idque ab inscrutabili Dei decreto ideo factum haud temere conjicimus, ut urbs illa, cum esset rebellionis caput, nunc vel ceteris pœnitentiæ, vel promeritæ ultionis exemplum fieret. Enimvero Græci interitus sui metu perculsi, ac calamitatibus undique pressi, malorum caussam atque originem sedulo amovere, tandemque saniora sequi videbantur. Confluunt Constantiam, indeque Florentiam contendunt, atque ipsemet Constantinus Imperator, ceterique Orientales Florentinam Synodum pro reddenda unione coactam accedunt, quinimo veritatis pondere pressi, ac argumentorum vi, ex proprio suorum judicio devicti, agnitos errores suos detestantur, abjectoque schismate se Apostolicæ Sedi subjiciunt. Cum autem horum schismaticorum perfidia usque adeo crescceret, ut rursus ad errores, quos quatuordecim omnino vi-

cibus

cibus agnoverunt, atque ejurarunt, perjuri redirent, nullisque ſummorum Pontificum monitis, imo ne ipſo etiam ſat luculento Nicolai V. Papæ excidium annuntiantis vaticinio ad Romanæ Eccleſiæ ſinum revocari poſſent, Deus juſtus Judex ſterilem hanc ficum exſcindere decrevit; ut autem magis manifeſto divinæ ultionis indicio pertinax eorum error de proceſſione Spiritus Sancti, & diſceſſio a Sede Apoſtolica plecteretur, æternæ mentis conſilio factum, ut ipſa Feria tertia poſt octavam Pentecoſtes Conſtantinopolis, Sedes Orientalis Imperii, a Turcis caperetur, & Græci a fide deficientes infidelium mancipia fierent, ubi etiam omnis non modo profana, ſed & ſacra poteſtas atque auctoritas eisdem adeo ſublata fuit, ut propudioſo ſervitutis pretio Conſtantinopolitanum Patriarchatum a Turcis redimere, atque emendicare cogerentur, eaque ſedes, quæ Matri ſuæ uniri recuſabat, jam continuis, violentisque Patriarcharum intruſionibus fæde ſciſſa, ne unam quidem Synodum cogere poſſet, cum tamen poſt ſeptimam Synodum plusquam decem

genera-

generalia Concilia celebraſſet Sedes Apoſtolica.

Ex utriusque ſchiſmatis fato, atque hiſtoria abs dubio obſervabis, benevole Lector, I. quod Regnorum tranquillitas turbetur, imperia evertantur, cuncta ingentibus omnino malis ac calamitatibus ſusdeque vertantur, quoties ſubmiſſio, atque obedientia ſummo Pontifici debita ſubtrahitur, ac perfida ab Eccleſia Romana diſceſſione ſuave jugum excutitur II. quod quamdiu unio filiorum cum Eccleſia Catholica Matre noitra, ejusque ſupremo capite conſervetnr, tamdiu etiam publica quies, regnorum ſalus, ac populi proſperitas non interrupta ſerie floreat, novisque incrementis invaleſcat. Ruperant Baſileenſes charitatis vinculum, & proh dolor! quantis malis confeſtim integra Regna & imperia involvebantur? Rediere iidem ad gremium Eccleſiæ, & quantocius optata quies rediit, malorumque finis appropinquavit. Defecerant a Sedis Apoſtolicæ obedientia Græci, & ad quantum miſeriarum cumulum prolapſi ſint, nemo eſt, qui ignorat; cum vero adhuc-

dum

dum in ſchiſmate ſuo obdurati perſiſtant, merito ſine ulla auxilii ſpe Conſtantinopolitano, & Græco imperio, fide orthodoxa, omnique ſplendore privati hodiedum exiſtunt.

Præterea retro acta, præſensque ætas nos docet nunquam Regnorum pacem ac tranquillitatem turbatam, vel bella, ſeditiones, tumultus, aut perſecutiones inter Chriſtianos fuiſſe exortas ex eo, quod fideles in fide & obſequio Romanæ Eccleſiæ, ſummique Pontificis conſtantes permanſerint, aut ejuratis erroribus ad Eccleſiæ gremium redierint. Cum tamen econtra, quotiescunque Regna, Respublicæ, vel urbes aut a vera fide defecerant, aut a ſummi Pontificis obedientia receſſerant, etiamſi ſpecioſo, cunctisque hæreticis ac rebellibus communi prætextu reformandæ Eccleſiæ, aut abuſus tollendi obtentu uſi fuiſſent, nihilominus mox ubique omnium ſcelerum libertas, bellorum furor, regnorum devaſtatio, ac innumeræ propemodum calamitates exortæ fuerint, quæ tamdiu integras Regiones divexarunt,

runt, donec rebelles filii ad ſinum Matris ſuæ reverterentur.

Ex hoc igitur velut ex luculento indicio dignoſci poteſt ſchola Chriſti a Synagoga diaboli; in hoc enim cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, ſi charitatem invicem habeant, & membra capiti ſuo unionis vinculo adhæreant. Ii enim, qui cum Chriſti Eccleſia, ejusque Capite non colligunt, diſpergent, regnumque eorum in ſe diviſum deſolabitur. Hæc paucis obſervare placuit, velut præcipuum juxta ac copioſum Hiſtoricæ Eccleſiaſticæ fructum, quem prudens Lector ex Græci ac Baſileenſis ſchismatis fato, ac præſentis voluminis lectione colligere poterit.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CIX.

§. 1. Archiepiscopus Salisburgensi Ecclesiæ præficitur Pag. 1.

§. 2. Basileensium jurgia ob Herbipolensem Præposituram 2

§. 3. Profectio Legati a Felice in Italiam missi dilata 4

§. 4. Principes Germaniæ in Eugenium Papam propensi ibid.

§. 5. Legati a Basileensibus ad Cæsarem pro pace reddenda decreti 6

§. 6. Basileensium Delegati ad Imperatorem profecti 8

§. 7. Ferrariensis Concilii Sessio post Græcorum discessum quinta 9

§. 8. Sessio XLIV. Basileensis Concilii 10

§. 9. Comitia Francofordiensia 11

§. 10.

CONSPECTUS

§. 10. Francofordienſium Comitiorum initia 12
§. 11. Fridericus Aquisgrani coronatus 14
§. 12. Baſileenſium Oratores tandem auditi. ibid.
§. 13. Eorum dicta ab Eugenii Legatis confutata 15
§. 14. Quinque S. R. I. Electores Eugenio adhærere parati 17
§. 15. Imperatoris ſententia hac ſuper re 18
§. 16. Decreta in Conventu Francofordienſi condita ibid.
§. 17. Mandata Delegatis ad Eugenium data 19
§. 18. Imperator redux Baſileam proxime præteriens, nec tamen urbem ingreſſus 21
§. 19. Baſileenſium conſenſus de celebranda Synodo 22
§. 20. Congregatio generalis Baſileæ celebrata 23
§. 21. Reſponſum Imperatori datum 24
§. 22. Cæſar Baſileam ingreſſus 25
§. 23. Friderici cum Felice colloquium 26
§. 24. Felix Baſilea Lauſanam profectus 27
§. 25. Calabriæ Dux Concilium Baſileenſe & Felicem veneratus 28
§. 26. Franciſcus Sfortia Felici obedientiam pollicitus 29
§. 27. Felix a Sfortiæ Oratore vanis promiſſis deluſus 30
§. 28. Neapolis ab Alphonſo occupata 31

§. 29.

§. 29. Renatus Andegavenſis relicta Neapoli in Franciam reverſus 32
§. 30. Brunorus Bellidux ab Alphonſo in captivitate detentus 34
§. 31. Eugenii Papæ reſponſum ad Conventus Francofordienſis Legatos 36
§. 32. Privata Baſileenſium negotia 38
§. 33. Continuata inter Græcos diſſidia 41
§. 34. Marci Epheſini obitus 42
§. 35. ParsRegni a GalliarumRege perluſtrata. ibid.
§. 36. Procerum Franciæ querelæ, atque poſtulata. 43
§. 37. Regis reſponſum ad haſce querelas 44
§. 38. Dux Aurelianenſis Regem Lemovici convenit 45
§. 39. Tartaſiæ urbis obſidio ab Anglis ſoluta 46
§. 40. Deppa ab Anglis obſeſſa 47
§. 41. Angli a Delphino obſidionem ſolvere compulſi 48
§. 42. Julianus Cardinalis Legatus in Hungariam ab Eugenio Papa decretus 49
§. 43. Eliſabethæ Hungarorum Reginæ obitus 50
§. 44. Concordia cum Felice ab Alphonſo tentata 51
§. 45. Eugenius Papa Florentia Senas profectus 53

§. 46. Mors Cardinalis S.Crucis ibid.
§. 47. Eugenii Papæ epiſtola ad Alphonſum 54
§. 48. Articuli Pacis Eugenium inter & Alphonſum ibid.
§. 49. Omnes pacis conditiones ab Eugenio acceptatæ 57
§. 50. Eugenius pro vero Pontifice ab Alphonſo agnitus 58
§. 51. Prælati ab Alphonſo Baſilea avocati 59
§. 52. Variæ Congregationes Baſileæ habitæ 60
§. 53. Felix Baſileam redire detractans 61
§. 54. Italorum vota de Synodo Romæ celebranda ibid.
§. 55. Imperator tam de Eugenio, quam Baſileenſibus conqueſtus 62
§. 56. Seſſio XLV. Baſileenſis Synodi 63
§. 57. Finis Florentini & Baſileenſis Concilii 65
§. 58. Novi Cardinales a Felice creati 66
§. 59. Propoſitiones ab Alphonſo Toſtato ad diſputandum coram Papa propoſitæ 67
§. 60. Eugenius Papa Senis Romam profectus 68
§. 61. Hungarorum bellum adverſus Turcas 69
§. 62. Huniades Polonorum copiis præfectus 70
§. 63. Ejusdem victoria de Turcis reportata 71
§. 64. Scanderbegi hiſtoria 72

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 65. Continua Græcorum dissidia circa unionis decretum 75
§. 66. Papæ Legatus a Russiæ & Moscoviæ Græcis carceri datus 76
§. 67. Metrophanis Patriarchæ Constantinopolitani obitus 77
§. 68. Galliarum Rex in Convenensi Comitatu Successor 78
§. 69. Comes Armeniacus ex hoc comitatu a se occupato per Delphinum brevi expulsus 79
§. 70. Joannis Britanniæ Ducis obitus 80
§. 71. Leonardi Bruni, alias Aretini extrema 82
§. 72. Novi apparatus bellici contra Turcas 83
§. 73. Amuratis consilia de pace cum Christianis pangenda 84
§. 74. Fœdus cum Amurate 85
§. 75. Actum de rumpendo Fœdere prius inito 86
§. 76. Oratio Juliani Cardinalis fideles ad rumpendas inducias adhortantis 87
§. 77. Legatus pacta servari cupientium timores dissipat 89
§. 78. Sententia de bello in Turcas restaurando 91
§. 79. Bellum contra Turcas a Rege Poloniæ motum ibid.

§. 80. Valachiæ Princeps Regem Poloniæ a bello dehortatus 92
§. 81. Amurates Europam ingreſſus, Chriſtianis occurrit 94
§. 82. Idem Chriſtianorum copiis Varnæ obviam progreſſus 95
§. 83. Prælium Varnenſe Chriſtianos inter & Turcas 97
§. 84. Ladislaus Poloniæ Rex in prælio occiſus 98
§. 85. Ladislai cadaver honeſtæ ſepulturæ Amuratis juſſu traditum 99
§. 86. Huniades in Valachia captus 100
§. 87. Juliani Cardinalis obitus ibid.
§. 88. Cæſar, comperta Turcarum victoria de conſervanda unione deſperans 101
§. 89. Seſſio I. Concilii Florentini Romam translati 102
§. 90. Decretum unionis Syrorum cum Eccleſia Romana 103
§. 91. Articuli in Decreto contenti 104
§. 92. Conventus Norimbergenſis 105
§. 93. Angelotti Cardinalis cædes 106
§. 94. S. Bernardini Senenſis obitus 107
§. 95. Actum de pace Franciam inter & Angliam 110
§. 96. Induciæ in Turonenſi conventu pactæ 111

§. 97. Galliarum Regis copiæ extra Regni fines in aciem ductæ ibid.
§. 98. Helvetii a Gallis cæsi 113
§. 99. Ingens terror a Delphino Basileensis Synodi Patribus incussus ibid.
§. 100. Fœdus Gallos inter & Helvetios 114
§. 101. Aliud concordiæ pactum cum Metensibus 115
§. 102. Turmæ Cataphractorum a Rege Gallorum erectæ 116
§. 103. Suffolciæ Comes Regis Angliæ nomine Filiæ Regis Siculi desponsatus 118
§. 104. Epistola Sultani Ægypti ad Regem Daniæ ibid.
§. 105. Ladislaus puer adhuc quinquennis Rex Hungariæ proclamatus 119
§. 106. Poloni pro Regis electione congregati 120
§. 107. Æneæ Sylvii legatio ad Eugenium 122
§. 108. Chaldæi & Maronitæ in obsequium Eugenii Papæ reversi 123
§. 109. Nicosiensis Archiepiscopus ab Eugenio nominatus, sed a Cypriis repudiatus 124
§. 110. Bononiensium turbæ; Annibal Bentivolius trucidatus 126
§. 111. Antonii Corarii Cardinalis obitus 127
§. 112. Joannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani extrema 128

§. 113. Amurates a Græcis circa Imperatoris electionem in consilium vocatus 129
§. 114. Constantinus Joannis Palæologi frater Imperii Successor ibid.
§. 115. Mors Panormitani Archiepiscopi 130
§. 116. Concilium Rothomagense 131
§. 117. Galliarum Rex Nancæo Catalaunum profectus 134
§. 118. Margaritæ de Scotia Galliarum Delphinæ obitus 135
§. 119. Valentinienſis, & Dienſis comitatus Delphinatui conjuncti 136
§. 120. Rex induciarum otio abusus, voluptati deditus 137
§. 121. Gloceſtriæ Comes a Rege Angliæ necari jussus. 138
§. 122. S. R. I. Electorum comitia Francofordiæ 139
§. 123. Æneas Sylvius ad Eugenium a Cæsare legatus ibid.
§. 124. Alius Conventus Francofordiæ habitus 141
§. 125. Duo Cardinales ab Eugenio creati 142
§. 126. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus renuntiatus ibid.
§. 127. Qua ratione ad Florentinum Pontificatum assumptus 143
§. 128. Basileenſium consensus de celebratione alterius Concilii 146

§. 129.

§. 129. S. Nicolai Tolentini Canonizatio 147
§. 130. Rosa aurea ab Eugenio Regi Angliæ missa 148
§. 131. Statuta pro reformanda Leodiensi Ecclesia 149
§. 132. Britanniæ Dux ob suum Ducatum Galliarum Regi clientelam professus 151
§. 133. Turbæ, ac civilia Genuensium bella 152
§. 134. Status Genuensis Galliarum Regi oblatus 153
§. 135. Genua a Joanne Fregosio nomine Regis occupata 154
§. 136. Fregosius illusis Gallis urbem sibimetipsi vendicat ibid.
§. 137. Guilielmi de Linwod, & Bartholomæi Carthusiani obitus 155
§. 138. Principum Germaniæ Legatio ad Eugenium Papam 156
§. 139. Legatorum postulata ad Papam 157
§. 140. Alia pacis via a Galliarum Rege proposita 158
§. 141. Eugenii Papæ Legatio 160
§. 142. Bulla Eugenii pro Germanis ibid.
§. 143. Romanorum applausus ob restitutam Ecclesiæ pacem 161
§. 144. Eugenius primo extremam unctionem sibi a S. Antonino conferendam recipere cunctatus 162
§. 145. Morituri Eugeni verba ad Cardinales 163

§. 146. Eugenius Papa extrema unctione recepta mortuus 164
§. 147. Eugenii Papæ dotes 166
§. 148. Epistola Arragonum Regis ad Sacrum Collegium Cardinalium 169
§. 149. Cardinalis Capuanus Romam reversus 170
§. 150. Orationes Funebres in laudem Eugenii Papæ ibid.
§. 151. Barones Romani conclave ingredi prohibiti 172
§. 152. Cardinales Conclave ingressi, Papam electuri ibid.
§. 153. Cardinalis Bononiensis in Papam electus 177
§. 154. Assumpto Nicolai V. nomine ab universa Germania agnitus 180
§. 155. A Galliarum Rege Pontifex proclamatur 181
§. 156. Epistola Pontificis ad Franciæ Regem 182
§. 157. Alia ejusdem Papæ ad omnes fideles contra Amadæum Antipapam 183
§. 158. Pontificis sollicitudo Alphonsum & Mediolanensem Ducem cum Florentinis conciliandi 184
§. 159. Philippi Mediolanensium Ducis obitus 185
§. 160. Mediolanensis Ducatus Competitores 186
§. 161. Alphonsus juri suo in Mediolanensem Ducatum cedens 188

§. 162.

§. 162. Caſimirus acceptato Poloniæ Regno coronatus 189
§. 163. Laurentius Valla damnatus ut hæreticus 191
§. 164. Angliæ Rex Cenomanum, Maduanam &c. Gallis reddere compulſus 192
§. 165. Concordata Nicolai V. Papæ cum Germanis 193
§. 166. Ejusdem Bulla ad omnes fideles 194
§. 167. Conventns Lugdunenſis pro pace Eccleſiæ 196
§. 168. Legati ad Amadæum Sabaudum decreti 198
§. 169. Legatio Galliarum Regis ad Nicolaum Papam 199
§. 170. Articuli unionis ab Oratoribus propoſiti 200
§. 171. Poſtulata Felicis Papatum abdicantis 202
§. 172. Carvajalus Legatus in Bohemiam a Papa ablegatus 203
§. 173. Legati reſponſum ad Bohemorum poſtulata 204
§. 174. Legatus Rochiſanam ſibi demereri intentus 205
§. 175. Papæ diploma pro Pragenſi Archiepiſcopatu a Rochiſana petitum ibid.
§. 176. Legati reſponſum ad Rochiſanam 206
§. 177. Literæ Apoſtolicæ pro Rochiſana a Bohemiæ Proceribus petitæ 207
§. 178. Simultates Legatum inter & Rochiſanam 208

§. 179. Rochiſana perorando lingua, & memoria hærens 209
§. 180. Legatus dicentem excipit, ac ſermonem proſequitur 210
§. 181. Idem relicta Bohemia Romam reverſus 211
§. 182. Petarſco Bohemiæ Gubernator fatis functus 212
§. 183. Podiebracius Pragam urbem occupare intentus 214
§. 184. Mainardus in captivitatem abductus moritur . 215
§. 185. Adornata ab Huniade in Turcas expeditio ibid.
§. 186. Chriſtiani ab Amurate præventi, cæſique 217
§. 187. Huniades fuga vitæ ſuæ conſulens 218
§. 188. Turonenſe Concilium Provinciale Andegavi celebratum 219
§. 189. Diviſio Regnorum Borealium 221
§. 190. Italia ob Ducatum Mediolanenſem turbata 222
§. 191. Ordo militaris creſcentis Lunæ 223
§. 192. Chronicon Matthæi Palmerii 224
§. 193. Nicolaus Cuſanus, aliique quinque Cardinales creati 225
§. 194. Gerardi Macheti obitus 226
§. 195. Geldriæ Ducis Filia Scotiæ Regi deſponſa 227

LIBER CX.

§. 1. Galliarum Regis ſtudium pro pace Eccleſiæ reddenda 229
§. 2. Schiſma ceſſione Amadæi extinctum 231
§. 3. Decretum Patrum Baſileenſium Lauſanæ congregatorum 232
§. 4. Nicolai V. Conſtitutiones ſuper abdicatione Felicis 234
§. 5. Cardinales ab Antipapa creati a Nicolao recepti 237
§. 6. Amadæus Ripaliam reverſus 238
§. 7. Jubilæum in annum ſequentem a Nicolao promulgatum 239
§. 8. Hiſpania ſeditionibus turbata 240
§. 9. Toletanorum rebellio ibid.
§. 10. Audax Toletanorum edictum 241
§. 11. Induciæ cum Gallis pactæ ab Anglis violatæ 242
§. 12. Colloquium Luparenſe Anglos inter & Gallos 243
§. 13. Angli bellum improvide contra Gallos proſecuti 245
§. 14. Mauliſonium a Fuxo Comite occupatum 246
§. 15. Gallorum victoriæ in Normannia 247
§. 16. Conſtantia, aliaque loca a Britanniæ Duce occupata 249

§. 17.

§. 17. Rothomagenſes ad urbis deditionem a Rege provocati 249
§. 18. Pacta civium Rothomagenſium cum Galliarum Rege 251
§. 19. Omnes Rothomagenſium articuli a Rege acceptati, invitis licet Anglis 252
§. 20. Sommerſetus Dux pactis conditionibus Rothomago egreſſus 253
§. 21. Galliarum Rex Rothomagum ingreſſus 254
§. 22. Harflevii urbis expugnatio 256
§. 23. Diſſidia inter Cracovienſem Archiepiſcopum in Polonia, & Gneſnenſem Præſulem 258
§. 24. Rex a Polonis ad jusjurandum compulſus 259
§. 25. Bellum Germanicum inter Marchionem Brandeburgenſem & Norimbergenſes ibid.
§. 26. Jubilæi ſolemnia Romæ 261
§. 27. Quinam clarioris generis homines Romam pro anno ſæculari confluxerint 263
§. 28. S. Bernardini Senenſis Canonizatio 264
§. 29. Æneas Sylvius in Senenſem Epiſcopum electus 266
§. 30. Bulla Nicolai V. pro Chriſtianis adverſus Turcas 267

§. 31.

§. 31. Cardinalis Arelatenſis in Germania inferiore Legatus 267
§. 32. De obitu hujus Cardinalis 269
§. 33. Idem Cardinalis a Clemente VII. Papa Beatorum numero adſcriptus ibid.
§. 34. Ejusdem geſta in Baſileenſi Synodo vindicata 272
§. 35. Honflorium a Dunenſi Comite captum 274
§. 36. Mors Agnetis Sorillæ de Caſtro *Pulchritudinis* 275
§. 37. Jacobus *Cordis* Agneti venenum propinaſſe accuſatus 278
§. 38. Idem exilio, ac bonorum proſcriptione mulctatus 280
§. 39. Delphinus in Delphinatu hærens, nec amplius ad Regiam redux ibid.
§. 40. Valonia ab Anglis occupata 282
§. 41. Angli trajecto flumine Gallos aggreſſi 283
§. 42. Suppetiæ a Conneſtabili Gallis ſubmiſſæ 284
§. 43. Angli ad Pagum Forminiacum prælio devicti 285
§. 44. Iidem tota Normannia pulſi 286
§. 45. Cadomus a Conneſtabili oppugnata 287
§. 46. Conditiones in deditione Cadomi pactæ 289
§. 47. Faleſia obſidione cincta 290
§. 48. Cheroburgi obſidio 291

§. 49.

§. 49. Mors Franciſci Britanniæ Ducis, Pater frater ejus Succeſſor 293
§. 50. Regni Proceres a Rege Turonibus congregati 294
§. 51. Regis exercitus in Aquitanniam miſſus 295
§. 52. Ærarii exactor ob infidelitatem punitus 296
§. 53. Homagium a novo Britanniæ Duce Regi præſtitum ibid.
§. 54. Henrici Bavariæ Ducis obitus 298
§. 55. Concordia duorum Fratrum Saxoniæ Ducum 299
§. 56. Ladislaus electus Bohemiæ Rex a Cæſare detentus 300
§. 57. Deſcriptio Taboritarum ab Ænea Sylvio facta 301
§. 58. Æneæ Sylvii colloquium cum Podiebracio 303
§. 59. Joannes Capiſtranus in Germaniam a Papa prædicatum miſſus 304
§. 60. Capiſtranus ad diſputandum de fide a Rochiſana datis literis invitatus 306
§. 61. Croia Albaniæ Metropolis ab Amurate obſeſſa 307
§. 62. Turcarum Imperatoris obitus ibid.
§. 63. Mahometes II. Filius ejus Succeſſor 309
§. 64. Ejusdem vitia, animique dotes 310

§. 65.

§. 65. Cusanus Cardinalis Legatus in Germaniam a Papa decretus 312
§. 66. Polonis quoque, & Lithuanis Jubilæi indulgentiæ a Papa conceſſæ 314
§. 67. Græci ad abjurandum ſchiſma a Papa admoniti ibid.
§. 68. Tractatus pacis cum Græcis a Mahomete innovatus 316
§. 69. Græci datis literis Bohemos ad ſuas partes pertrahere intenti 317
§. 70. Iſidorus Cardinalis Legatus Conſtantinopolim miſſus 318
§. 71. Laurentius Juſtinianus Patriarcha Aquilejenſis a Papa creatus 319
§. 72. Papa pacem Gallos inter & Anglos conciliare intentus 321
§. 73. Exordia belli in Aquitannia 322
§. 74. Montgugonum & Blavia expugnata 323
§. 75. Burgum, Liburnum, Acquæ, Fronſacum, & cetera oppida Regi ſubjecta 324
§. 76. Galli Burdegala potiti 325
§. 77. Pacta privata cum Buchii Dynaſta inita 326
§. 78. Rex Tulleburgi 327
§. 79. Bajonna a Gallis capta ibid.
§. 80. Angli propriæ ruinæ cauſſa 328

§. 81.

§. 81. Propoſitiones Parochorum juribus adverſæ, ac damnatæ 330
§. 82. Fridericus Imperator Italiam petit, coronam Imperii recepturus 331
§. 83. Imperator Venetiis Florentias, Piſas, &c. profectus 332
§. 84. Idem Romam ingreſſus 333
§. 85. A Pontifice coronatus 334
§. 86. Neapolim petit, Alphonſum inviſurus 335
§. 87. Fridericus Imperator ex Italia in Germaniam reverſus 337
§. 88. Idem Ladislaum puerum a ſe demittere compulſus 339
§. 89. Papa Ladislai literis pro non impedienda ejus libertate interpellatus 340
§. 90. Pariſienſis Univerſitas ab Eſtoutevilla Cardinale reſtaurata 341
§. 91. Franciæ Epiſcoporum Conventus Biturienſis ob Pragmaticam Sanctionem ab eodem Cardinale convocatus 343
§. 92. Idem Cardinalis pacem inter Galliarum Regem, & Sabaudiæ Ducem conciliare intentus ibid.
§. 93. Burdegalenſes Anglis adhærere parati. 345

§. 94.

§. 94. Regis copiæ in Aquitanniam miſſæ 345
§. 95. Græcorum tumultus adverſus unionis decretum 346
§. 96. Mahometis II. molimina de Conſtantinopolis obſidione 348
§. 97. Concilium Colonienſe, in quo de expoſitione SS. Sacramenti actum 350
§. 98. Amadæi obitus 351
§. 99. Græcorum cæcitas ad Mahometis molimina 353
§. 100. Conſtantinopolis a Mahomete duplici exercitu cincta 354
§. 101. Turcarum naves terreſtri itinere adductæ 356
§. 102. Exiguus Chriſtianorum urbem propugnantium numerus ibid.
§. 103. Conſtantinopolis ingenti furore a Turcis oppugnata 359
§. 104. Suppetiæ a Genuenſibus, ductore Juſtiniano, Græcis latæ 160
§. 105. Quatuor naves ex Chio in ſubſidium urbis advectæ 361
§. 106. Navale prælium Turcas inter & quatuor illas naves 362
§. 107. Naves victorioſe portum ingreſſæ 363
§. 108. Pax Græcis a Mahomete oblata 364
§. 109. Turcæ falſo rumore territi, obſidionem ſolvere parati ibid.

§. 110. Mahometis milites ad ultimam expugnationem urbis inſtructi 366
§. 111. Oppugnatio extrema Urbis Conſtantinopolitanæ 368
§. 112. Turpis Juſtiniani fuga 369
§. 113. Græci ex Juſtiniani fuga animis fracti 371
§. 114 Conſtantinus Imperator in prælio occiſus 372
§. 115. Conſtantinopolis a Turcis capta 373
§. 116. Iſidorus Cardinalis captus 375
§. 117. Notaræ magni Ducis Conſtantinopolitani exitium 376
§. 118. Pera urbs Mahometi a Genuenſibus tradita 377
§. 119. De Phranzis fato in hac obſidione 378
§. 120. Mahometes Chriſtianis placatus 379
§. 121. Novus Patriarcha Conſtantinopoli Mahometis juſſu electus 380
§. 122. Mahometes neo-electo Patriarchæ poſſeſſionem Patriarchatus conſueto ritu tradit 381
§. 123. Gregorius Scholarius novus Patriarcha a Mahomete ſalutatus 383
§. 124. Neo-electi Patriarchæ ſeceſſus in Monaſterium. Ejusdem opera 384
§. 125. S. Sindonis translatio Conſtantinopoli in Sabaudiam 385

§. 126.

§. 126. Mahometis fœdus cum Peloponeſi Principibus 390
§. 127. Æneæ Sylvii exhortatio ad Principes adverſus Turcas 391
§. 128. Vehemens epiſtola ejusdem ad Papam 393
§. 129. Mahometis bellum contra Scanderbegum 394
§. 130. Conjuratio in Nicolaum Papam a Stephano Porcario mota 395
§. 131. Alvari Lunæ infelix exitus 396
§. 132. Ladislaus juvenis coronatus Rex Bohemiæ 398
§. 133. GalliarumRex Angeriacum profectus, Burdegalam expugnaturus 400
§. 134. Prælium Gallorum cum Anglis. Talboti obitus 401
§. 135. Burdegalæ obſidio, & deditionis articuli 402
§. 136. Sententia adverſus Joannem Cordis 404
§. 137. Theologus de veneficio delatus, ac punitus 405
§. 138. Seditio a Brugenſibus, & Gandavenſibus mota 407
§. 139. Gandavenſes puniti 409
§. 140. Fœdus Galliarum Regis cum Helvetiis ibid.
§. 141. Principum Conventus Rothomagenſis 410

§. 142. Burgundiæ Dux minus liberaliter habitus ab Imperatore 412
§. 143. Pax in Italia a Monacho conciliata 413
§. 144. Genuenſes ab hac concordia excluſi 414
§. 145. Joannis Caſtellæ Regis obitus 416
§. 146. Æneæ Sylvii epiſtola de rerum ſtatu illius temporis 417
§. 147. Exigua ſpes, Sylvii judicio, de Francofordienſi conventu concipienda 418
§. 148. Pax Venetos inter & Turcas 420
§. 149. Contentiones inter Joannem Navarræ Regem, ejusque Filium 421
§. 150. Claſſis a Rege Luſitaniæ contra Turcas in Italiam miſſa 422
§. 151. Expeditio in Turcas ex Anglorum ac Gallorum bellis impedita 424
§. 152. Aliud obſtaculum ob diſſidia Regum Septentrionalium 425
§. 153. Odium Helvetiorum in Domum Auſtriacam 426
§. 154. Poruſſi ad Poloniæ Regem deficientes 427
§. 155. Nuptiæ Regis Poloniæ cum Sorore Ladislai Junioris 429
§. 156. Turcæ Serviam petunt, Georgium aggreſſuri 430
§. 157. Georgii, Serviæ Deſpotis obitus 431

§. 158. Principum Germaniæ conventus Francofordienſis 432
§. 159. Æneæ ſuaſionibus bellum contra Turcas decretum ibid.
§. 160. Supplicium Eſparri capite truncati 433
§. 161. Auſchiorum Archiepiſcopi poſſeſſio ab Armeniaco Comite turbata 434
§. 162. Incæſtus Armeniaci cum Sorore ſua 435
§. 163. Alphonſi Toſtati obitus 436
§. 164. Ejusdem opera 438
§. 165. Laurentii Juſtiniani Patriarchæ Veneti obitus 439
§. 166. Idem a Clemente VII. Papa Beatorum faſtis adſcriptus 440
§. 167. Actum cum Imperatore de bello Turcico 441
§. 168. Nicolai Papæ obitus 442
§. 169. Cardinales conclave ingreſſi 444
§. 170. Beſſarion a quibusdam, aliis reluctantibus, in Papam propoſitus 445
§. 171. Alphonſus Borgia in Pontificem electus 446
§. 172. Calliſti III. nomen adoptat 447
§. 173. Neo-electi Pontificis dotes ibid.
§. 174. Votum de invadendis Turcis a Calliſto emiſſum 449
§. 175. S. Antoninus a Florentinis Orator decretus ad Papam 450

§. 176. Æneæ Sylvii oratio ad Papam nomine Cæsaris 451
§. 177. Simultates Papam inter & Alphonsum 452
§. 178. Occasio dissensionum inter utrumque 453
§. 179. Puellæ Aurelianensis innocentia vindicata 454
§. 180. Mediolanensium Dux a Delphino adversus Alphonsum defensus 456
§. 181. Richardi Eboracensis Ducis seditio adversus Angliæ Regem 457
§. 182. Sommersetus in prælio occisus 458
§. 183. Epistolæ Callisti Papæ ad Francorum Regem 459
§. 184. Dissidia inter Sigismundum Austriæ Ducem, & Cusanum Cardinalem 460
§. 185. Mediolanensium Dux, & Alphonsus plene sibi conciliati 461
§. 186. Dissidia Joannis Navarræ Regis cum suo Filio 462
§. 187. Nannetensis Episcopus a Parisiensi Curia exauctoratus 468

LIBER CXI.

§. 1. Preces publicæ contra Turcas a Callisto Papa institutæ 465
§. 2. Belgradum, seu Alba Græca a Mahomete Turcarum Imperatore obsessa 466

§. 3. Eadem urbs per Joannem Hunniadem obſidione liberata 467
§. 4. Extrema Turcarum clades 469
§. 5. Invidioſa æmulatio inter Joannem Capiſtranum, & Hunniadem 470
§. 6. Feſtivitas Transfigurationis Domini ſolemni ritu celebrata 470
§. 7. Hunniadis Tranſylvaniæ Vaivodæ obitus 471
§. 8. Mors Sancti Joannis Capiſtrani 473
§. 9. Ejusdem opera ibid.
§. 10. Papæ zelus adverſus infideles 474
§. 11. Diſſidia Papam inter & Alphonſum Aragoniæ Regem 476
§. 12. Cardinales a Calliſto Papa creati 477
§. 13. Tumultus ab Alphonſi copiis in ditione Senenſi excitati 479
§. 14. Controverſia de communione Paſchali 481
§. 15. Bulla a Nicolao V. pro Mendicantibus edita a Calliſto III. confirmata 482
§. 16. Eadem per aliam huic contrariam a Pontifice revocata 483
§. 17. Religioſi Mendicantes ſe hujus revocationi ſubjiciunt 484
§. 18. Horrendi terræ motus in Italia 486
§. 19. Turbæ in Regno Scotiæ 487
§. 20. Concilium Sueſſionenſe 489
§. 21. Delphinus in Brabantiam profugus 490

§. 22. Idem a Burgundiæ Duce benigne exceptus 491
§. 23. Alenſonii Dux comprehenſus, atque incluſus 492
§. 24. Turbæ in Hungaria poſt Hunniadis obitum 493
§. 25. Ulrici Ciliæ Comitis mors 494
§. 26. Primogenitus Hunniadis filius capite truncatus 495
§. 27. Matthias alter Hunniadis filius cuſtodiæ datus 497
§. 28. Suppetiæ ab Arragonum Rege Hungaris denegatæ ibid.
§. 29. Bellum Genuenſibus ab Arragonio illatum 499
§. 30. Pontificis ſtudium Principes ad bellum contra Turcas adhortantis 500
§. 31. Calliſti III. defenſio contra Germanorum querelas 501
§. 32. Reſponſum Æneæ Sylvii ad easdem ibid.
§. 33. Æneæ Sylvii ſcripta pro defenſione jurium Apoſtolicæ Sedis 504
§. 34. Objurgationes ab eodem Germanis factæ 505
§. 35. Pax inter Imperatorem, & Hungariæ Regem a ſummo Pontifice conciliata 508
§. 36. Rex Hungariæ Pragam venit, connubium cum Magdalena Galliarum Regis Filia celebraturus 509

§. 37.

§. 37. Ladislai adoleſcentis Hungariæ ac Bohemiæ Regis obitus 510
§. 38. Joannes Luſitaniæ Regis Patruelis mortuus 512
§. 39. Franciſci Foſcari antiqui Venetorum Ducis obitus 513
§. 40. Clades Turcis a Scanderbego & Cardinale Aquilejenſi illata 516
§. 41. Bellum a Rege Perſarum motum 517
§. 42. Concilium Avenionenſe a Cardinale de Fuxo celebratum 518
§. 43. Pax Regem inter & Delphinum redintegrata 519
§. 44. Richardi Eboracenſis Ducis ſummum in Anglos imperium 521
§. 45. Dux aula profugus 523
§. 46. Diſſidia de ſucceſſione in Hungariæ, & Bohemiæ Regna 524
§. 47. Matthias Huniadis Filius Rex Hungariæ renuntiatus 525
§. 48. Fridericus Imperator Regni Bohemiæ competitor 526
§. 49. Podiebracius Rex Bohemiæ ſalutatus 527
§. 50. Taboritæ a Podiebracio exterminati 528
§. 51. Tabor urbs everſa, atque ſuccenſa 529
§. 52. Mauri in Africa a Luſitanorum Rege bello invaſi 530

§. 53. Alphonsus Genuam obsidet, & Neapoli moritur 532
§. 54. Ferdinandus spurius Alphonsi Filius Rex Neapoli salutatus 533
§. 55. Plures alii Principes de Regno Neapolitano contendentes 536
§. 56. Callisti III. summi Pontificis obitus 537
§. 57. Cardinales conclave ingressi, Papam electuri 539
§. 58. Cardinalis Rothomagensis Æneæ Sylvii electioni obluctatus 540
§. 59. Cardinalium consilia de Rothomagensi in Papam eligendo 543
§. 60. Sententia Æneæ de hac electione ibid.
§. 61. Rothomagensis electio ab Ænea Sylvio impedita 544
§. 62. Æneæ oratio ad Papiensem Cardinalem Vice-Cancellarium 545
§. 63. Papiensis Cardinalis a Rothomagensi deficit 547
§. 64. Æneas a Cardinale tituli S. Mariæ-novæ in Papam propositus 548
§. 65. Cardinales ad votorum inspectionem procedunt, Papam electuri 549
§. 66. Æneas Piccolominæus Cardinalis Senensis Papa electus sub nomine Pii II. 551
§. 67. Oratio Bessarionis ad Papam 552
§. 68. Papæ responsum ad Bessarionis orationem 552

§. 69.

§. 69. Populi Romani lætitia ob electionem Pontificis 553
§. 70. Series vitæ, & indoles Pii II. 556
§. 71. Diversa Principum judicia de electione Pontificis 559
§. 72. Capranicæ Cardinalis Firmani obitus 561
§. 73. Mors Maphæi Vegii ibid.
§. 74. Inauguratio Pii II. Pontificis Maximi 563
§. 75. Conventus Mantuæ a Papa indictus, & Galliarum Rex de eo certior factus. ibid.
§. 76. Galliarum Regis responsum ad Papam 565
§. 77. Pontificis epistola ad Podiebracium Bohemiæ Regem 566
§. 78. Bessarion Cardinalis ad Imperatorem, aliosque Germaniæ Principes ablegatus ibid.
§. 79. Turbæ in Germania 567
§. 80. Imperator Hungariæ & Bohemiæ Reges placare intentus 568
§. 81. Neapolis Regnum Ferdinando a Papa assertum 569
§. 82. Corinthus urbs a Mahomete occupata, & Insula Peloponesia tributo subacta 571
§. 83. Abdicatio Patriarchatus Constantinopolitani a Gennadio facta 572
§. 84. Bellum in Anglos a Galliarum Rege motum ibid.

§. 85.

§. 85. Sandwicum in Anglia a Gallis occupatum 574
§. 86. Lancaſtrienſes & Eboracenſes reconciliati 575
§. 87. Exercitus bello inſtaurato per Eboracenſem conſcriptus 577
§. 88. Eboracenſis Dux in Hiberniam fugere compulſus 578
§. 89. Mors Arthuri III. Britanniæ Ducis, & Conneſtabilis Franciæ 579
§. 90. Papa Roma Mantuam profectus 581
§. 91. Sileſitarum querelæ contra Podiebracium Bohemiæ Regem 583
§. 92. Adminiſtrator Pragenſi Eccleſiæ a Papa datus 586
§. 93. Papa a Coſma Medicæo Florentiæ exceptus 587
§. 94. S. Antonini Archiepiſcopi Florentini obitus 589
§. 95. Pontifex illius exequiis præſens 590
§. 96. S. Antonini opera ibid.
§. 97. Papa Florentia Bononiam & Ferrariam profectus 592
§. 98. Pogii Florentini obitus 595
§. 99. Papa Mantuæ 594
§. 100. Oratio Pontificis ad initium Conventus Mantuani 595

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 101. Principes datis literis ad eundem Conventum a Papa excitati 596
§. 102. Plurium Oratorum concurſus ad Mantuana comitia 597
§. 103. Certamen inter Legatos de loco magis honorato 599
§. 104. Seſſio I. Conventus Mantuani 600
§. 105. Ducis Burgundiæ Legatus in Conventu exceptus 601
§. 106. Pontificis poſtulata pro bello Turcico 602
§. 107. Mediolanenſis, ac Mutinenſis Duces Mantuam delati 604
§. 108. Principes ac Oratores ad Eccleſiam Cathedralem a Papa convocati 605
§. 109. Altera Pontificis oratio ad Mantuanum Conventum 606
§. 110. Oratio Papæ a Beſſarione Cardinali excepta 607
§. 111. Bellum adverſus Turcas decretum 608
§. 112. Franciæ, Siciliæ, & Britanniæ Legatorum adventus 609
§. 113. Legati in Senatu publico a Papa auditi 610
§. 114. Reſponſum Papæ ad orationem Pariſienſis Epiſcopi 611
§. 115. Franciæ Legati denuo a Papa audiri poſtulantes 614
§. 116. Legatorum poſtulata 615
§. 117. Papæ reſponſum ad poſtulata Gallorum. ibid.

§. 118.

§. 118. Papa ſibi objecta de Siciliæ Regno diluit 616
§. 119. Papa de Pragmatica Sanctione conqueſtus 618
§. 120. Reſponſio Legatorum Franciæ ad orationem Pontificis 619
§. 121. Papa a Clero Gallicano decimarum repulſam paſſus 621
§. 122. Regis Angliæ Oratores Mantuam ablegati 623
§. 123. Indignum facinus Legati Pontificii in Anglia 624
§. 124. Tumultus ab Eboracenſium factione in Anglia reſtaurati 625
§. 125. Factionum pugna 626
§. 126. Eboracenſis Dux ſe Regem Angliæ proclamat 628
§. 127. Henrico Regis nomen, Eboracenſi autem jus ſucceſſionis a Senatu adjudicatum 630
§. 128. Germani ad ſubſidia belli adverſus Turcas a Pontifice ſollicitati 631
§. 129. Aliorum Principum, & Legatorum adventus ad Conventum Mantuanum 632
§. 130. Carolina Luſitaniæ Regis vidua hæres Regni Cyprii 633
§. 131. Regnum Cypri opera Sultani Jacobo aſſertum 635

§. 132.

§. 132. Jacobi juramentum a Sultano petitum 636
§. 133. Exſcenſio in Neapolis Regnum a Calabriæ Duce facta 637
§. 134. Urbes in eodem Regno a Duce Calabrienſi occupatæ 638
§. 135. Dux Sueſſenſis Ferdinando necem machinatur 640
§. 136. Ferdinandus ſtrenue ſe tuetur, atque ſicarios in fugam agit 641
§. 137. Idem prope Sarnum cæſus 642
§. 138. Rationes, ob quas Papa adeo impenſe Ferdinando faverit 643
§. 139. Novi tumultus in Genua; Galli inde ejecti 645
§. 140. Alcaſaria a Fezzarum Rege obſeſſa; Regisque clades 647
§. 141. Caſtellani Regni ſtatus ibid.
§. 142. Decretum Papæ contra appellationes a Sacra Sede ad Concilium 649
§. 143. Papæ conatus ad urgendam expeditionem adverſus Turcas 652
§. 144. Conventus Mantuani exitus 655
§. 145. Papa Mantua Senas profectus 658
§. 146. Sex Cardinales a Papa creati 659
§. 147. Novi Cardinales a Pontifice ad alloquium admiſſi 660
§. 148. Appellatio contra Pragmaticæ Sanctionis abrogationem ad Concilium

inter-

interpoſita a Procuratore Generali Pariſienſis Parlamenti 662
§. 149. Diſſidia inter Sigismundum Auſtriæ Ducem, & Nicolaum Cuſanum Cardinalem 663
§. 150. Cardinalis Cuſanus a Duce carceri datus 665
§. 151. Auſtriæ Dux a Papa anathemate perculſus provocat 666
§. 152. Epiſcopus Legionenſis a Caſtellæ Rege ad ſummum Pontificem decretus 670
§. 153. Diſſidia quorumdam Regum cum Papa ob beneficiorum collationes ibid.
§. 154. Legatio Orientalium Patriarcharum ad Papam 672
§. 155. Peloponeſi Oratores ad Papam miſſi 673
§. 156. Papa Senis profectus, Romam venit 674
§. 157. Legati Orientalium Principum ad Papam 675
§. 158. Jacobi II. Scotiæ Regis obitus 677
§. 159. Manichæi a Bohemiæ Rege expulſi 679

HISTO-



Constantinopolis a Turcis expugnata.
Störcklin sc. A.V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CIX.

EUGENIUS IV. PAPA.
FRIDERICUS III. OCCIDENT. JOANN. PALÆOLOGUS ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Archiepiscopus Salisburgensi Ecclesiæ præfectus.

Sub prima hujus anni auspicia in pluribus diversarum Regionum Ecclesiis beneficia conferebantur, ac inter cetera Salisburgi vacabat Sedes Archiepis- Sæcul. XV. A.C. 1442.

Acta Patric. to. 13 Conc. pag. 1597.

Secul. XV. A.C. 1442.

copalis, ad quam Fridericus, qui illius Decanus erat, per Capituli suffragia nominabatur, cujus nomine ad Basileenses Legatus decernebatur, qui electionis confirmationem postularet. Istis vero petentibus, ut Felix in secreto Patrum Senatu electum confirmaret, & in ejusdem manibus obedientiæ sacramentum confirmatus exsolveret, Legatus huic propositioni sese subjicere renuit, affirmavitque, se ad solam Synodum fuisse missum, de cetero nullum sibi cum Felice esse negotium. Diu itaque, acriterque hac super re disceptatum, donec tandem Synodus suo nomine, quæ Legatus petierat, concederet, quo facto Mense Januario ad medium vergente mox Friderico pallium per Cardinalem S. Sixti, & Stephanum de Novaria Advocatum nomine Pontificis traditum est. Ita demum hæc lis composita fuit.

§. II.

Basileensium jurgia ob Herbipolensem Præposituram.

Eodem ferme tempore novis inter se dissidiis Basileenses scindebantur. Hi enim Joanni de Bachenstein Herbipoli, quæ est Episcopalis civitas in Franconia ad Mœnum sita, hujus Ecclesiæ Præposituram conferebant, quamvis Philippus Trevi-

Trevirenſium Archiepiſcopus ab Eugenio, poſtquam a Baſileenſibus exauctorabatur, jam ab aliquo tempore eadem dignitate auctus fuiſſet. Hortabatur Felix Joannem, ut cauſſam ſuam agere differret, donec Eccleſiæ diſſidia in Germania ſopita forent; Archiepiſcopum enim Trevirenſem, ajebat, apud Principes Electores gratia, & auctoritate plurimum valere, remque periculis plenam eſſe, ſi vir amicorum potentia, ſimulque meritorum gloria longe celeberrimus ad iracundiam provocaretur. Verum Joannes privata publicis præponens, apud plenum Baſileenſium conſeſſum, inſcio Felice, cauſſam ſuam adverſus Philippum movit, ipſumque Vercellenſem Epiſcopum ad ſententiam ſuæ cauſſæ propitiam inclinavit, qua impetrata a Baſileenſibus, ut ſibi eandem dignitatem de novo conferrent, petiit, hac enim via majorem prætenſo juri ſuo firmitatem conciliari arbitrabatur. Attamen ob intempeſtivas ejusmodi preces recruduit Baſileenſium diſſenſio, quibusdam in Joannis poſtulata propendentibus, aliis ad præcavenda ſcandala cauſſæ inducias efflictim poſtulantibus. Habita eſt Congregatio generalis, in qua negotium dirimeretur, nihilominus lis minime compoſita eſt. Nec minor erat Baſileenſium contentio, ubi de Capuano Decanatu, aliisque beneficiis

Secul. XV. A. C. 1442.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

conferendis agebatur, multumque temporis in ejusmodi altercationibus fruſtra inſumebatur, nec ulla tamen cauſſa dirempta eſt, vel quia noluerunt, vel quia nil decidere potuerunt.

§. III.

Profectio Legati a Felice in Italiam miſſi dilata.

Interea temporis Felix Nuncii ſui in Italiam diſceſſum vehementer urgebat, hancque in rem Nichodio de Metone Niceæ Comitatus Rectori, qui tum forte Baſileam advenerat, negotium dedit, ut Triremem inſtrueret, qua Legatus in Italiam prima Maji transvehi poſſet. Jamque legationis mandata ex ore Æneæ Sylvii, quem a ſecretis habuit, accepit Legatus, quæ tamen eidem primum ultima die Februarii ſcripto data fuere. Differebatur illius profectio, eoquod Baſileenſes conſultius fore cenſerent, ſi prævia Legatione ſolemni Burgundiæ, Borbonii, & Sabaudiæ Duces, qui Niverni convenerant, ſalutarentur.

Vide infra §. 35.

§. IV.

Principes Germaniæ in Eugenium Papam propenſi.

Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1598.

His ita Baſileæ agitatis Archidiaconus Metenſis, & Auditor Cameræ, quia Baſi-

Basileensibus ad exploranda Principum consilia in Germaniam decernebantur, ineunte Mense Martio Basileam reversi sunt, hæc nunciantes: Principum sententia potissimum in id propendit, ut Eugenio Papæ obedientiam palam profiteantur, jamque concordiæ cum illo sanciendæ conditiones in Italiam transmiserunt; Germani etiam acriter adversus Basileenses commoti sunt, eoquod nullum hucusque locum pro celebranda œcumenica Synodo nominassent; cum tamen Principes certo credidissent, quod jam dudum Oratores suos Francofordiam ablegassent, plena instructos potestate omnia, quæ Germani Principes in votis habuerunt, agendi. Hoc nuntio Basileenses vehementer attoniti, frequenter cogebant conventus, in quibus hac super re deliberarent. Ast suffragantium animi semper in diversa abiere: cum autem ceteros inter Consiliarios quidam Felici auctor fuisset, ut in legationibus ad Reges, & Principes decernendis nulli labori, nullisque sumptibus parceret, cum aliis quoque temporibus hac ratione ejusmodi malo remedium quæsitum fuisset, Felix respondit, se jam aliunde inutilibus expensis plus justo gravatum, pluries jamjam Legationes decrevisse, nunquam felici exitu secundatas; sibi vero optimum consilium, tutissimamque videri

Sæcul. XV. A.C. 1442.

Sæcul. XV. A. C. 1442

viam, si Patres abrupta omni mora pro futura Synodo locum designarent, sicque Principum, quibus hac in re nulla competeret auctoritas, urbem nominandi copiam prævenirent.

§. V.

Legati a Basileensibus ad Cæsarem pro pace reddenda decreti.

Paucis ex post diebus, cum Felix Basileensibus spopondisset, se quævis pro pace Ecclesiæ reddenda acturum, nihilque eorum, quæ salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate, ad stabilem concordiam necessaria judicaverint, omissurum, visum est omnibus, quosdam ad Imperatorem delegandos, qui de mediis ad consequendam firmam pacem necessariis communi studio agerent. Felix ergo cuidam Episcopo, nomine Bartholomæo, necnon Nicolao Amici negotium dedit, ut Synodicas literas ad Cæsarem deferrent, quibus de rerum statu edoctus, ad pacem Ecclesiæ reddendam permoveretur. Concinnabat hanc epistolam Basileensium nomine Panormitanus, quæ, cum copiose quidem dilaudata, nulli tamen probata esset, Æneas Sylvius jubente Arelatensi Cardinale alteram confecit, omnium, ipsius quoque Panormitani applausu commendatam.

In

In ea non minori sermonis claritate, quam verborum compendio enarrabat Basileensium gesta; radicem schismatis Eugenium inter & Synodum detegebat, simulque pluribus exaggerabat Concilii vilipensionem huic Pontifici imputatam, necnon molimina, quibus illud dissolvere conatus esset, ac denique exponebat crimina, quorum reus coram Ecclesia agebatur, ex adverso autem æquitatem sententiæ in eum a Basileensibus latæ, necessitatemque novum eligendi Papam veluti sacris Canonibus suffultam deprædicabat. Imperatorem quoque adhortabatur, ut justam Synodi caussam tueretur, & adversariorum audaciam reprimeret; tandem contestabatur, Basileenses nil ardentius in votis habere, quam pacem Ecclesiæ; talem tamen, quæ non modo honestati, sed etiam veritati, ac justitiæ inniteretur, quæque fidei orthodoxæ nullo pacto adversaretur. Addebat, promptissimum revocandæ unionis medium esse, si Synodi Constantiensis, & Basileensis decreta observentur. Pollicebatur etiam Felicem unacum Patribus omni, quo posset, studio concordiam promoturum. Sæcul. XV. A.C.1442.

Sæcul. XV. A. C. 1442.

§. VI.

Basileensium Delegati ad Imperatorem profecti.

Abeunt ergo ambo Delegati die quinta Aprilis hisce mandatis plene instructi. Ast cum famæ rumores quaquaversum nuntiarent, Fridericum jamjam itineri accinctum proxime Francofordiam ad Imperii comitia venturum, Basileenses collatis inter se consiliis decernebant, ut solemniori Legatione Cæsarem honorarent. Id muneris recusabant neo-electi Cardinales; memores enim erant nuperæ ignominiæ, qua ceteri Deputati non ita pridem in Moguntino Conventu afficiebantur, haud absque ratione metuentes, ne & ipsi, ut antea factum, dignitatis suæ insignia deponere cogerentur, ac nequidem Cardinalium habitu ornati comparere permitterentur. Nihilominus Felix, pluresque alii jubebant illos bono animo esse, ante eorum oculos ponentes, officii sui partes exigere, ut pro defensione veritatis ac justitiæ, necnon ad tuendam Concilii æquitatem quidvis aggrederentur, & adversa quæque tolerare parati essent, etiamsi vestes purpureas, dignitatis suæ tesseram, exuere compellerentur. His ita corroboratis, agebatur de seligendis ejusmodi Delegatis: ubi suffra-

ſuffragantium vota inclinabant in Cardinalem Arelatenſem, aliosque duos recens creatos Cardinales, nimirum Archiepiſcopum Panormitanum, & Joannem Segovienſem. Hi ergo Baſilea diſcedentes menſe Majo navem conſcendebant, ſecundo Rheno iter aggreſſuri.

§. VII.

Ferrarienſis Concilii Seſſio poſt Græcorum diſceſſum quinta.

Totum Eugenii animum occupabat Florentinæ Synodi cura, cujus quinta poſt Græcorum diſceſſum Seſſio die vigeſima ſexta Aprilis hoc anno celebrata eſt, in qua Pontifex Concilium Florentia Romam, approbante ipſa Synodo, transferendum propoſuit, eo ex fine, ut majorem auctoritatem ex ipſius loci dignitate acciperet, & ut clarioribus honorum ſignis magni Æthiopiæ Regis Zara-Jacobi Oratores, qui ad Concilium Oecumenicum fidei orthodoxæ ſuſcipiendæ animo properabant, excipi poſſent, ſubjunxit quoque Eugenius, Synodum eſſe proſequendam in Baſilica S. Joannis in Laterano, decima quinta die poſt ejus ad Urbem reditum. Addidit & alias cauſſas, quibus hanc translationem juſtam, utilemque fore oſtenderet, nimirum opportunitatem loci, omnium neceſſariorum

Acta Patricii tom. 13. pag. 1599.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

copiam, & tandem majorem facilitatem Ecclesiæ pacem, & Italiæ tranquilitatem certius procurandi. Nihilominus Basileenses cunctas hasce rationes ab Eugenio propositas in deteriorem partem accipientes, quaquaversus spargere non dubitarunt, Eugenium eo consilio Synodum Romam transtulisse, tum ne compelleretur ad aliud Concilium in Germania celebrandum accedere, eoquod nullam extra Italiæ fines Synodum ratam haberet, tum ut ostenderet, sibi summum imperium competere supra Concilium, eoquod de loco ad locum, Basilea Ferrariam, Ferraria Florentiam, & inde Romam pro arbitrio suo illud transferret, quæ omnia tamen, ajebant, nonnisi ad evertendam Ecclesiæ ac Conciliorum auctoritatem tenderent.

§. VIII.

Sessio XLIV. Basileensis Concilii.

Labbe Conc. to. 11. p. 650.

Basileenses quoque eodem anno die nona mensis Augusti pridie ad festum S. Laurentii sessionem quadragesimam quartam celebrarunt, qua sanctionem valde prolixam ediderunt, ut sibi & eorum, quæ gesta fuerant, securitati prospicerent; quocirca omnia & singula, quæ adversus se, aut in suorum præjudicium promulganda essent, irrita ac nulla declararunt, con-

confirmantes ſtatuta, atque decreta hanc in rem in præcedentibus ſeſſionibus ſancita; Præterea in eos, qui Synodi membra vexaverint, vel eorum beneficia occupaverint, aut detinuerint, præter excommunicationem, & beneficiorum vel dignitatum privationem etiam pecuniariam mulctam decem marcarum auri ſtatuerunt, hoc verborum tenore: *Si vero univerſitas, aut capitulum, aut aliud Collegium, ſeu communitas* ſimilia attentaverit, *triginta marcarum pro una Cameræ Apoſtolicæ, ac pro alia parti læſæ, & pro tertia æqualibus partibus Domino civitatis vel loci, in quo tale beneficium extiterit, applicandarum pœnas incurrat.* Tandem etiam Collatores beneficiorum iisdem pœnis obnoxios fore pronuntiarunt, *ſi infra duorum menſium, & duodecim dierum ſpatium, poſtquam pro parte illorum, quorum intereſt, requiſiti, partes læſas in eum ſtatum, in quo ante occupationem ſuorum beneficiorum fuerant, reponere, & integrare neglexerint.* Sæcul. XV. A.C. 1442.

§. IX.

Comitia Francofordienſia.

Sub idem tempus Fridericus comitia Imperii Francofordiæ celebranda indixit, in quibus de mediis duas illas, in quas Eccleſia ſcindebatur, factiones conciliandi *Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1600.*

Sæcul. XV. A C 1442. ciliandi ageretur, quam ob cauſſam quosdam Epiſcopos, aliosque Viros dignitate conſpicuos nominabat, qui tam Eugenii Papæ, quam Baſileenſium Oratores exciperent. Synodi Patres in omnibus urbis Eccleſiis preces decreverant, quibus optatus rei exitus a Deo obtineretur. Felix quoque præcepit, ne durante hoc conventu Baſileenſes cujuscunque rei negotium pertractarent; verebatur enim, ne quicquam ſtatueretur, quo acrius Principum indignatio in eos accenderetur.

§. X.

Francofordienſium comitiorum initia.

Die vigeſima ſeptima Maji Baſileenſium Oratores Francofordiam delati, a Magiſtratibus urbis humaniter quidem excepti ſunt, neutiquam tamen eis conceſſum, ut ſe Apoſtolicæ Sedis Legatos nominarent, aut hujus prærogativæ inſignia deferrent. Eodem die Imperator urbem ſuo quoque adventu honorabat, comitantibus eum S. R. I. Electoribus, Moguntino, Colonienſi, & Trevirenſi, Comite Palatino, Saxoniæ Duce, pluribusque aliis Principibus. Prohibuit Fridericus, ne ſibi Baſileenſium Oratores honoris gratia obviam procederent, aliquot tamen poſt ejus adventum diebus, illis ad alloquium admiſſis, literas tam Synodi

di quam Felicis ad se delatas recepit. Ceterorum nomine perorabat Panormitanus, Cæsarem rogans, ut justitiam, & Ecclesiæ libertatem tueretur, ejusque Protectorem sese exhiberet. Cui Fridericus in responsis dedit, sibi quidem nil antiquius esse, quam Ecclesiæ bonum procurare, ideoque se Principum comitia convocasse: verum oportere eos paucis adhuc diebus congregatorum sententiam præstolari; instare enim itineris necessitatem, quo Aquisgranum ad suscipiendam Imperii coronam ire cogeretur, nihilominus se absente posse Basileenses æque ac eorum adversarios jura sua exponere his, qui ad hoc negotium constituendi essent. Sæcul. XV. A.C. 1442.

Deputati, quos Eugenius miserat, erant Joannes Carvajalus, Nicolaus de Cusa, & Jacobus Ferrariensis, quos pariter Imperator in Ecclesia Sancti Francisci ad alloquium admisit. Hi Eugenii literas porrigentes Cæsarem hortati sunt, ut Basileæ congregatos dispergeret, omnesque Fideles compelleret, ut ad unicum, verum, & minime dubium Pontificem redirent, eique debitam obedientiam deferrent. Quo sermone finito, quidam Basileensium Legatus Cæsarem rogavit, ut prius suos quoque Collegas audiret, antequam Eugenii Oratoribus responderet, sed Carvajalus hujus verba excipiens repo- *Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1602.*

Sæcul. XV. A.C 1442.

repoſuit, iniquum eſſe damnatos, & ſchismaticos audire, ſi vero iis, quæ præponere cupiunt, aures præberi vellent, Joannem de Segovia, ejusque ſocium advocarent, tuncque reſponſum illis eſſe dandum. Hoſce Delegatos, totumque negotium Cæſar ad illos remiſit, quos ad diſcutienda eorum jura nominaverat.

§. XI.

Fridericus Aquisgrani coronatus.

Cuſpinian. de Cæſar. in Frid. III.

Sub idem ferme tempus Fridericus Aquisgranum profectus eſt, coronamImperii ſuſcepturus, quam decimo ſeptimo Junii a Theodorico Colonienſi Archiepiſcopo accepit. Referunt Hiſtorici, acceſſiſſe quoque ad hæc ſolemnia Ludovicum Cardinalem Arelatenſem, ſed a Joanne Heinsbergio Leodienſi Epiſcopo, qui Eugenio adhærebat, fuiſſe repulſum, atque e civitate abire juſſum. Obluctabatur etiam Joannes, ne ullus Cardinali honor exhiberetur, Colonienſis tamen Archiepiſcopus tumultum ſedabat.

§. XII.

Baſileenſium Oratores tandem auditi.

Patric. 1601.

Cum interea Cæſar abſens eſſet, Auguſtanus, & Chiemenſis Epiſcopi, Marchio

chio Rothlinganus, & Thomas Haſelbachius celebris Theologus, quos Fridericus cum Eugenii, & Synodi Legatis collaturos decreverat, contendentibus ad exponenda jura ſua opportunum temporis ſpatium conceſſerunt. Primi audiebantur Baſileenſes, ex quibus Panormitanus Juris conſultorum ævi ſui facile princeps, in tertiam usque diem probare conabatur, Baſileenſem Synodum legitime continuatam eſſe; Papam eidem obedire adſtrictum, nec illam diſſolvere, nec transferre potuiſſe; Ferrarienſem vero convventum Oecumenici Concilii prærogativa non gaudere; Eugenium a Baſileenſibus merito exauctoratum, & in ejus locum Felicem rite ſuffectum fuiſſe; eique omnes Fideles de neceſſitate ſalutis obedientiam præſtare, eumque tanquam ſolum, & unicum Chriſti Domini Vicarium colere debere. Tandem objectas Adverſariorum ſuorum rationes diluere, & quoddam Eugenii decretum, quod ab his verbis incipit: *Etſi non dubitemus &c.* pluribus argumentis reſellere aggrediebatur. Hæc omnia geſta fuere privatim, remotisque arbitris.

Sæcul. XV. A. C. 1442.

§. XIII.

Baſileenſium dicta ab Eugenii Legatis confutata.

Deinde Eugenii Papæ oratores apud eosdem

Sæcul. XV. A. C. 1442.

eosdem Cæsareos Delegatos causam suam agebant; ex his Nicolaus de Cusa ceterorum nomine verba faciens demonstravit, iniquum fuisse, Amadæi Sectatores utpote proscriptos audiri. His præmissis, ac explicata uberius rerum, necnon utrinque gestorum serie invicte probavit, Eugenium æquissimis rationibus motum, Synodum transtulisse, sententiam adversus ipsum latam impiam, cunctaque accusationum capita falsissima; Basileensium quoque cœtum Oecumenicæ Synodi nomine indignam, sanctum vero & Oecumenicum Concilium Florentiis celebratum esse; Basileense Concilium non alios protulisse fructus, quam schisma, divisionem, & abominationem in Ecclesia Dei: ex adverso a Florentinorum Patrum sollicitudine ortam fuisse unionem, & conversionem Græcorum, Armenorum, Jacobitarum, & aliorum plurium. Omnium ergo harum rationum momenta tanti ponderis esse, ut merito Imperatorem movere deberent ad Basileenses unacum suo idolo ejiciendos, & ad extremos orbis angulos proscribendos, Eugenium vero recipiendum, honorandumque ut sanctum Pontificem, & verum Christi Vicarium. Redegerunt insuper utriusque partis Oratores hosce suos sermones in scripturam, ut fidelius, pleniusque Cæsari redeunti cuncta referrentur.

§. XIV.

§. XIV.

Secul. XV.
A C. 1442.

Quinque Electores Eugenio adhærere parati.

Fridericus initio menſis Auguſti Francofordiam rediens, quæ interim ibi geſta fuiſſent, exacte relata percepit. Baſileenſium Legati, poſtquam quinque Electores in Eugenii obſequium ſub certis conditionibus juraſſe comperiſſent, hoc nuntio admodum attoniti, horribilem, ſibique ſatis fatalem tempeſtatem, quam inde ſuis cervicibus impendentem timebant, effugere omni ſtudio, & opera nitebantur. Igitur nil non egerunt, ut hoſce Imperii Principes ad ſuam ſententiam pertraherent, qui tamen eos audire reſpuebant. Imperator ſollicite rebus intentus, cum de conditionibus, ſub quibus Electores Eugenium venerari meditarentur, certior factus eſſet, easdem in conſeſſu Principum, atque Prælatorum diſcuti voluit. Hæc cum Baſileenſium Deputati comperiſſent, confeſtim, & facto velut agmine Cæſarem accedere, ac precibus, ſuaſionibus, multaque verborum contentione urgere cæperunt, ne haſce conditiones ratas haberet.

§. XV.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

§. XV.

Imperatoris ſententia.

Verum poſt crebras diſceptationes, multaque conſilia, jam probata, jam iterum rejecta, tandem Fridericus reſpondit, aliud Concilium omnino eſſe celebrandum; mittendos nuntios Baſileam ad Patres, & Florentiam ad Eugenium, qui ſuper loco & tempore deliberarent: interim vero, Germanos neutri parti, ut hactenus factum, adhæſuros: Cum vero Baſileenſes conquererentur, quod *neutralitatem*, ut vocabant, nec Cæſar, nec Principes obſervaſſent, eoquod nuntios ad Eugenium, non itidem ad Felicem mittere decreviſſent, Imperator placatis eorum animis, Baſileenſes ad ſua redire juſſit, pollicitus, ſe rem ſedulo ponderaturum. Quo reſponſo accepto, illi prima die Septembris Baſileam reverſi ſunt, cunctaque Francofordiæ geſta Patribus expoſuerunt.

§. XVI.

Decreta in Conventu Francofordienſi condita.

Imperator Provinciæ tranquillitati conſulturus, edicto publico prohibuit, ne quisquam occaſione ſchiſmatis in Beneficii ſui poſſeſſione quovis pacto turbaretur,

tur, declarans, transgreſſores veluti pacis publicæ hoſtes, ac regni rebelles caſtigandos. Dein communi Principum conſenſu quædam conditæ ſunt leges, quæ Eugenio Papæ offerrentur, ad reſtituendam Eccleſiæ pacem idoneæ, dataque regula, quam Delegati, Eugenium & Baſileenſes adituri, obſervare tenerentur. Sæcul. XV. A.C.1442.

§. XVII.

Mandata Delegatis ad Eugenium data.

Præſcripta agendi norma hunc in modum concepta erat: Omnes Imperatoris ac Principum Legati ad diem feſtum S. Galli Tridenti conveniant: venerentur Eugenium ut Romanum Pontificem, quem mox ut adierint, expoſitis rationum momentis, ob quas tamdiu in denegatione obedientiæ perſeveraverint, Cæſarem, & Principes excuſent: Dein exponant, Imperatori nullum aptius ad pacem Eccleſiæ conciliandam medium videri, quam Generale Concilium; quapropter Beatiſſimum Patrem rogent, ut illud intra unius anni ſpatium celebrari curet, & quamdam ex civitatibus mox recenſendis ſeligat, proponant autem Ratisbonam, Treviros, Metas, Argentinam, Conſtantiam, aut ſi malit Papa Tiden- *Act. Patric. to.13. Conc. p. 1602.*

Sæcul. XV A.C. 1442.

tum: si forte Galliarum Rex hanc Synodum intra Regni sui fines celebrari enixius postularet, ipsi Germaniam huic negotio longe magis opportunam esse, omni modo Eugenio persuadeant, exponentes, quod hæc regio summa tranquillitate floreret, ab omni bellorum tumultu libera esset, atque aliunde conveniens foret, ut ubi schismatis zizania crevissent, ibi pacis olivæ plantarentur. De cetero modus procedendi in Concilio ipsius Synodi curæ relinquatur. Pontifice autem ejusmodi Synodum convocare renuente, ad Cæsarem tale jus devolutum esse censeatur; si vero Eugenius objecta sibi crimina diluere desideret, ejus excusatio neque admittatur, neque respuatur; Delegatis infra unius Mensis terminum Papæ responsum, & quidem scripto significetur, hi vero, priusquam proficiscantur, sacramento se obstringant, quod nihil omnino a summo Pontifice postulare, nec etiam sponte oblatam aliquam gratiam, beneficia, vel dignitates recipere velint, idem quoque observent, qui ad Basileense Concilium mittendi forent, nec Felici ut Pontifici ullam exhibeant reverentiam, sed nonnisi per Internuncios cum eo agant. Tandem Cæsari atque Principibus legationis suæ rationem reddant ante Festum Beatæ Virginis purificatæ, quo tempore Norimbergæ

gæ hac ſuper re conventus celebrabitur. Sæcul. XV.
Hæc acta ſunt in comitiis Francofor- A.C.1442.
dienſibus.

§. XVIII.

Imperator redux Baſileam proxime præteriens, nec tamen urbem ingreſſus.

Baſileenſes comperta hac ſententia ſum- *Acta Patric.*
mo mœrore afficiebantur, ſpe ſua de- *to.13. Conc.*
luſi, qua Principes cauſæ propitios fore, *p.1603.*
eorumque conſiliis acceſſuros exiſtimabant. Exinde Imperator ſuos Baſileam Legatos decernebat, Sylveſtrum Episcopum, Thomam Haſelbach, aliosque, qui Baſileenſibus Francofordienſis conventus decretum referrent. Ipſe vero reditum maturaturus, itineri ſeſe accinxit, cumque prope Baſileam ob viarum opportunitatem tranſiret, die decima quarta Septembris plures Cardinales eidem obviam procedentes eum rogarunt, ut urbem præſentia ſua honorare vellet, ſed Cæſar repulſa eis data duntaxat poſtulavit, ut Legatis a ſe nominatis aures præberent. Hi Baſileenſibus exponebant, Imperatorem in ea eſſe ſententia, ut infra annum Generale celebraretur Concilium, & quidem in loco, qui tam ſibi, quam Imperii Principibus commodus, & ad Eccleſiæ negotia ibi-

Sæcul. XV. A.C. 1442

dem pertractanda, pacemque reddendam opportunus videretur: ad hanc igitur concordiam suis & ipsi suffragiis concurrerent, si tamen in eorum animis vel minimum adhuc studium pacis Christiano Orbi, quem per nefandum schisma dilaceraſſent, reddendæ vigeret.

§. XIX.

Basileensium consensus de celebranda alia Synodo.

Id. p. 1604. Super hac Imperatoris petitione Basileæ coram Felice diu multumque disceptatum; præsenserant enim Basileenses ingentia prorsus pericula, quæ ex alterius Synodi celebratione ipsis immine-rent. Nihilominus post crebras inter se contentiones Principum voluntati obsecundare, & convocandæ Synodo annuere compellebantur. Exinde autem nova identidem inter eos succrevit jurgiorum materies, quænam ratio in Concilio tenenda esset; plures enim satius fore censebant, si hac super re nil certi constitueretur, donec Cæsar Basileam ingressus esset. Fridericus econtra urbem adire constanter recusabat, nisi prius Basileenses disertis verbis promitterent, se alterius Concilii celebrationi consensuros. Insuper Felicis, & Basileensium anxietas plurimum augebatur, eoquod Imperii

Imperii Principes, & ipsemet Fridericus Imperator datis ad Eugenium literis eundem tanquam Romanum Pontificem venerati essent, quam tamen prærogativam Felici omnino denegassent, & nequidem suos ad eum Legatos misissent. Palam itaque conquerebantur Basileenses, tantum abesse, ut Cæsar & Principes neutralitatem, quam polliciti sunt, observarent, quin potius aperte profiterentur, Basileense Concilium nonnisi iniquum esse conventiculum, & Eugenium ab eo per summum nefas a Sede Pontificia dejectum. Basileensium Delegatis ejusmodi querelas in Imperatorem effundentibus, Casparus Slick reposuit, Cæsaream Majestatem ad procurandam Ecclesiæ pacem pronum gerere animum, de cetero quod attineret honorem Eugenio tanquam Papæ delatum, scirent, Francofordiensis conventus decreta nullatenus immutari posse. Sæcul. XV. A.C.1442.

§. XX.

Congregatio Generalis Basileæ celebrata.

Basileensibus nil reliquum erat, quam ut disertis tandem verbis Imperatori mentem suam declararent, quocirca hac super re die sexta Octobris generalem Congregationem habuerunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

§. XXI.

Responsum Imperatori datum.

In eo Conventu post crebras consultationes, & jurgia, tandem Basileenses communi voce Friderici Legatis hunc in modum responderunt: *Quamvis in hac civitate Basileensi hactenus fuerit, & hodie sit generale Concilium, & dicta civitas esset locus aptus, & rebus gerendis accommodus æque ac tutus, aliunde sine maximis periculis, incommoditatibus, laboribus, sumptibus, & difficultatibus abhinc ad alium locum mutatio hujus sacri Concilii fieri non posset; Nihilominus his non obstantibus hoc sacrum Concilium ob unitatem, & pacem Ecclesiæ, & quia cupit votis sereniſſimi Regis, & Principum Electorum complacere pro pacificatione universalis Ecclesiæ, offert sacra Synodus se paratam ad locum Germanæ Nationis rebus gerendis accommodum, & Regiæ Celsitudini gratum sua propria auctoritate seipsam transferre, securitatibus tamen in talibus præstari solitis, & aliis necessariis datis, & præstitis. Item petit sacra Synodus, ut Sereniſſimus ipse Dominus Rex Romanorum ipsi Concilio interſit personaliter, vel adveniente impedimento, aliquem potentem, & magnæ auctoritatis Principem sacro Concilio gratum, in ejus Protectorem instituere velit. Obsecrat eandem Regiam Celsitudinem, quatenus digne-*

dignetur Reges, & Principes toto ingenio, Secul. XV.
& nisu inducere, ut veniant personaliter, A. C. 1442.
aut suos solemnes Oratores mittant, atque Prælatos. Denique subjungunt Basileenses, *ne inanis & frustratoria reddatur hujusmodi Concilii translatio, Rex & Electores certificent, quod Concilium, dum in illo loco fuerit, recognoscent pro vero Generali Concilio, eique adhærebunt, statutisque, ordinationibus & decretis acquiescent, etiamsi adversarii ad illud non venerint. Loca vero nominabit sacrum Concilium Basileense, quorum alterum ipse Dominus Rex eligat, & assiguet auctoritate hujus sacri Concilii, & hæc sancta Synodus suam translationem in illum locum publice, ac in solemni Sessione decretabit fiendam ad tempus, quod considerata necessitate Ecclesiæ videbitur expedire, postquam tamen præfatæ securitates sacro huic Concilio fuerint præstitæ cum effectu.*

§. XXII.

Imperator Basileam ingressus.

His ita conclusis, Imperator Basileam petiit, & die undecima Novembris divo Martino sacra solemni pompa, ac regia prorsus magnificentia urbem ingressus est. Incedebat medius inter Cardinalem Arelatensem, & Patriarcham Aquilejensem Episcopum Tridentinum, *Acta Patric. to. 13. p. 1604*

Sæcul. XV. A.C. 1442.

qui itidem Cardinalium dignitate clarus, Poloniæ Regi sanguine conjunctus erat; ceteri præibant Cardinales, Imperatorem vero sequebantur Brunsvicensium Dux, Comes Genevensis, aliique quam plurimi Proceres, omnesque Prælati. Hi solemni hoc comitatu Cæsarem ad Ecclesiam Cathedralem deducebant, in qua persolutis precibus unaomnes ad Friderici alloquium admissi sunt. Postera die Cardinales cum Basileensibus Imperatorem visum ibant, quibus copiose declarabat, nil magis cordi sibi esse, quam ut justitiam, & Ecclesiæ auctoritatem sartam tueretur. Postridie vero, inclinato jam die, Felicem invisurus, cum paucis suorum illum adiit, nulla tamen eidem exhibita reverentia alias Romano Pontifici debita, sed detecto duntaxat capite in cubili substitit unacum omnibus, qui eundem comitabantur. Felix comperto Cæsaris adventu cubiculo suo egressus est, & cum novem suis Cardinalibus, præcedente Crucis vexillo Imperatori obviam processit, longam ac purpuream togam pontico vellere obductam indutus.

§. XXIII.

Friderici cum Felice colloquium.

Cæsar Felicem obsequiose excipiebat, & per quemdam Episcopum sese excusa-

cusabat, quod ei non submissionem sum- Sæcul. XV.
mis Pontificibus debitam deferret, id au- A C. 1442.
tem ex eo fine fieri dicebat, ut eo facilius Ecclesiæ pax reddi posset, ad quam ut & ipse operam suam conferret, & Friderici consiliis acquiescceret, vehementer eum adhortaretur Imperator. Episcopus, cum Felicem alloquebatur, sollicite curabat, ne illam *Sanctitatis*, aut *Beatitudinis vestræ* titulo honoraret; quocirca eundem nonnisi *Clementem benignitatem suam* vocavit. Nihilominus inquit Patricius, *Felix Pontificalibus verbis non abstinuit, egitque gratias de visitationis honore; ac denique multis hinc inde dictis Cæsar domum rediit, & sequenti die Basilea discessit.*

Aug. Patric. hist. Conc. Basil. & Florent. art. 133. ex tom. 13. Conc. pag. 1603.

§. XXIV.

Felix Basilea Lausanam profectus.

Paucis post Cæsaris discessum diebus, Felix quoque Basilea Lausanam petiit. Comitabantur eum nonnulli Cardinales, ac Ministri, ceteris majori numero Basileæ relictis. Hoc iter, ut suam valetudinem curaret, sese aggressum ajebat, pollicitus, transacta hyeme ad Synodum se rediturum. Sub idem tempus Comitis Duglassii natione Scoti Orator Basileam venit, Domini sui nomine Felici obsequium delaturus, eidemque nunciaturus, quosdam Episcopos, qui ab Eugenio

Patric. ib. p. 1605.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

genio promoti essent, tantum effeciisse, ut Scotiæ Prælati, quamvis Papa jamjam exauctoratus esset. Synodum tamen Provincialem congregassent, in qua Basileenses unacum Felice damnatos anathemati subjeciisset, omnesque illis adhærentes suis beneficiis privassent, hos inter numerari dicebat Comitis Duglassii Filium, qui a Synodo, ac Felice ad Episcopatum nominatus, sede sua pulsus esset, nunc vero utpote resistendo imparem efflictim Basileensium opem implorare ajebat, ut Patres censuris Ecclesiasticis ejus adversarios perstringerent, caussamque ejus defendendam susciperent.

§. XXV.

Calabriæ Dux Concilium Basileense, & Felicem veneratus.

Aug. Patric. hist. Con. art. 133. ex tom. 13. Conc. p. 1605.

Mense Decembri nondum evoluto, Ferdinandus Calabriæ Dux, Alphonsi Arragonum Regis Filius, Basileam suum decrevit Legatum, qui ejus nomine obedientiam, reverentiamque Concilio exhiberet in omnibus, quæ Patris sui juribus contraria non essent. Cum vero Orator in suo sermone Ferdinandum appellare haud dubitasset Calabriæ Ducem, Raymundus Episcopus, nomine Renati Regis palam contendit, Ferdinandum Calabriæ Ducis prærogativa non gaudere, eoquod Regni

Regni Neapolitani jure Renatus potire- Sæcul. XV.
tur, non autem Alphonſus, utpote illius A.C 1442.
uſurpator, proin Calabriæ Ducatum hæreditario jure ad Joannem Renati Filium devolvi, Ferdinandum vero non niſi intruſum Ducem eſſe, nullumque jus in Siciliæ Regnum eidem competere. Panormitanus Epiſcopum talia effutientem redarguit, dicens, quod ſine ullo Renati mandato ea faceret, quæ tamen nec ipſe Dux ullatenus probaturus eſſet, ſubjunxitque hanc ſuam agendi rationem eo magis reprehenſibilem eſſe, quo impenſius Alphonſum ejusdemque Filium utpote Concilii fautores, colere, nullatenus autem eorum Adverſarios tueri oporteret.

§. XXVI.

Franciſcus Sfortia Felici obedientiam pollicitus.

Præterea Baſileenſes ex Franciſci Sfortiæ promiſſis amplas conceperunt ſpes, quæ tamen brevi temporis ſpatio evanuerunt, eoquod officioſæ ejusmodi pollicitationes nonniſi ad proprium Sfortiæ commodum atque proventum tenderent. Erat is Bellidux militari experientia, animique virtute ſuo ævo longe præſtantiſſimus, & Philippi Mediolanenſis Ducis gener, cujus tamen hoſtis evaſit,

Sæcul. XV. A. C. 1442.

vasit, postquam Venetorum partibus accesserat. Incurrebat insuper Eugenii indignationem ob usurpata quædam Romanæ Ecclesiæ bona, quæ Pontifici, licet summis urgeretur precibus, prius restituere recusaverat, postea tamen reddere compulsus est. Hæc itaque iniquo ferens animo Sfortia, dimisso Eugenio ad Felicis partes transire constituit. Huncque in finem Thomam de Rieti primo Lausanam, dein Basileam ablegavit, qui cum Felice ageret.

§. XXVII.

Felix a Sfortiæ Oratore vanis promissis delusus.

Orator, ubi Basileensium conventum accesserat, in Eugenium innumeras protulit calumnias, Basileenses vero Ducis sui nomine quatuor pollicitationibus lactavit. I. Venetos, Florentinos, & Genuenses in Felicis obsequium juraturos. II. Sfortiam evoluto Mense Junio bello petiturum, quemcunque Felix imperaret, aut compescendum judicaret, dummodo privilegia, vi quorum magnus Ecclesiæ Romanæ Vexillifer esset, ab Eugenio sibi antehac concessa confirmarentur. III. Eundem intra duos menses Romanam urbem, atque Ecclesiæ Provincias occupaturum, Felici demum asserendas.

rendas. IV. Denique, Eugenium captivum a Sfortia Felicis manibus tradendum. Pro se vero vicissim a Basileensibus postulavit, ut tredecim aureorum millia singulis mensibus sibi numerarent ad alendos mille pedites, & quatuor equitum millia, præterea ut in pacifica possessione Tuderti, Assissii, & Tuscanellæ cum tribus aliis civitatibus relinqueretur. Horum quoque promissorum Genuenses Mercatores idoneos fore sponsores jactitabat. Felix æque, ac Basileenses speciosis promissis excæcati, tanta fiducia triumphabant, ut proxime imminentis Norimbergensis Conventus exitum, quiscunque demum esset, parum curare viderentur: verum optimas hasce spes siniſter eventus fefellit. Sæcul. XV. A. C. 1442.

§. XXVIII.

Neapolis ab Alphonso occupata.

Tandem Alphonsus Regni Neapolitani possessionem adeptus est, Romanis Pontificibus, qui sese supremos hujus Regni Dominos dicebant, nequicquam renitentibus. Frustra itidem reclamabant Andegaviæ Duces, qui tamen licet legitimi essent hæredes, tum præ virium defectu, tum ob Procerum perfidiam ac denique propter innatam mobilis, ac inconstantissimi populi levitatem a cæptis desiste- *Æneas Sylv. cap. 65. Mariana l. lib. 22. c. 17.*

Sæcul. XV. A. C. 1442.

desistere cogebantur. Enimvero oppido mirum est, quod Ducalis hujus Domus Principes, quamvis eos tot luctuosa Prædecessorum suorum exempla, tantaque parta tuendi discrimina ab hac expeditione deterrere debuissent, nihilominus hoc regnum sibi subjicere toties aggressi sint, seque tam gravibus periculis committere sustinuerint. Ingressus est igitur Alphonsus Neapolim die secunda Junii hujus anni, postquam ejus milites a fabro cœmentario, quem fames Neapoli exire compulerat, per subterraneum aquæductum intromissi fuerant. Hujus perfidia Alphonsus Neapoli potitus, non modo incolarum vitam, sed & urbis bona a victoris militis rabie, atque direptionibus illæsa servavit, cives quoque insolita prorsus benignitate, ac humanitate prosecutus est.

§. XXIX.

Renatus Andegavensis relicta Neapoli in Franciam reversus.

Renatus Andegavensis, postquam omnes prudentis Ducis, ac strenui militis partes expleverat, in arcem sese recepit: Ast cum & hujus tuendæ, urbisque recuperandæ spes omnis deesset, eoquod victrices hostium copiæ undique instarent, fuga sibi consulere constituit. Opportu-

portune duæ Genuenſium onerariæ, quibus commeatus ad urbem devehebatur, altera poſt captam Neapolim die advenerant, atque ad arcis pedem anchoras jecerant. Renatus igitur harum unam conſcendens, Piſas contendit, indeque Florentiam ad Eugenium Papam, qui ibi agebat, perrexit, & quamvis nihil intentatum, inauſumque reliquiſſet, ut amiſſa recuperaret, arcesque, quas adhuc ſuo imperio obnoxias tenebat, tueretur; cum tamen de rebus ſuis actum eſſe cognoſceret, in Franciam reverſus eſt. Sæcul. XV. A.C. 1442.

Ex adverſo Alphonſus, triumphi gloriam ut illuſtriorem redderet, quamdam muri partem disjecit, & ſublimis curru inaurato, quem quatuor eximii candoris equi, phaleris, ceteroque apparatu pretioſe ornati trahebant, urbem ingrediebatur; Currum Clerici inſtructo agmine præcedebant, ſequebantur Regni Principes ac Proceres, cuncti pedeſtres; Ubique viæ floribus ſternebantur, ac plateæ hinc inde aulæis ſplendide contectæ fulgebant. Hoc ſolo in tanta pompa moderatus apparebat Alphonſus, quod lauream capiti non imponeret, hunc honorem ſoli Deo cedendum ratus, ut teſtantur Hiſtorici miris laudum præconiis Regem extollentes. *Æneas loc. cit.* *Marian. l. 21 n. 17.* *Æn. Sylv. de Europ. c. 65.*

Sæcul. XV. A.C. 1442.

§. XXX.

Brunorus Bellidux ab Alphonſo in captivitate detentus.

Ferventibus Neapolitani belli flammis, Alphonſus captivum tenebat Petrum Brunorum, patria Parmenſem, ac belli Præfectum armorum gloria longe celeberrimum. Vir iſte, cum in quadam juvene Volateranenſis agricolæ filia, nomine Bona, quæ oves paſcebat, maſculam prorſus virtutem, atque innatum gloriæ ardorem perſpexiſſet, eandem ſecum duxit, ejusque educandæ curam in ſe ſuſcepit, illamque, ut equo vecta ſuum Dominum in venationibus expeditius comitari poſſet, virili veſte indui voluit. Ipſa unacum habitu muliebrem animum exuiſſe videbatur, adeo inſigni dexteritate cuncta ſibi demandata obibat munia. Defecerat Brunorus relicto Alphonſo ad partes Franciſci Sfortiæ, nec tamen illa a Domino ſuo receſſerat, & ubi paulo poſt Brunorus relictis Sfortiæ vexillis denuo ad Alphonſi Regis ſui caſtra redibat, identidem Bona eundem individua fidelitate ſequebatur. Attamen cum Brunorus elapſo aliquo tempore iteratum ad Sfortiam defectionem meditaretur, necnon fugam animo ſuo volveret, clandeſtina tamen ſua conſilia remotis

tis arbitris exequi haud posset, Alphonsus, quod res erat, suspicatus, eundem comprehendi, ac custodiæ mandari jussit. Bona comperto Patroni sui fato, benefactorem suum libertati reddere constituit; hinc ad omnes totius Italiæ Principes, Galliarum Regem, Philippum Burgundiæ Ducem, Venetosque convolavit, atque ad eorum pedes provoluta, literas commendatitias obtinuit, quibus Brunoro libertatem exoraret. Alphonsus tam potentum Principum precibus expugnatus, captivum suum libertati, ac generosæ suæ liberatrici asserere compellebatur; Illa vero nec his contenta, insuper sua opera eidem a Senatu Veneto dictæ Reipublicæ copiarum imperium impetravit, constituto viginti millium ducatorum stipendio. Brunorus tam insignium beneficiorum memor, in grati animi testimonium Virginem sibi matrimonio jungere decrevit. Bona peracto connubio majora indies suæ virtutis specimina edidit, atque ingenti sollicitudine ac vigilantia præliis omnibus præsens, invicto robore pugnavit, tantamque artis militaris experientiam affecuta est, ut se veteranum militem in variis bellorum periculis comprobaret, præcipue vero in Venetorum pugna contra Franciscum Sfortiam, qui decedente Philippo in Mediolanensium Ducem salutatus est; in hac enim illa magis

Sæcul. XV. A.C. 1442.

Hilarion de Costa Elog. Illustr. Fœm.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

gis exemplo, quam imperio militares copias ducens, ſtrictumque gladium manu tenens, arcem Pavonium haud procul a Breſcia facto impetu invaſit, atque hoſtium manibus eripuit. His facinoribus, cum Venetorum Senatores Petri Brunori fidem, & uxoris ſuæ fortitudinem, atque prudentiam plene probatam haberent, utrumque Chalcidem decernebant, ut Inſulam adverſus Turcarum molimina propugnarent, quam etiam tam invicto robore defenderunt, ut toto, quo Inſulam incoluerant, tempore Turcæ eam aggredi non auderent. Brunorus Chalcide ejusdem nominis urbe extremum clauſit diem, ſummo funeris honore ſepultus. Illuſtris vero Bonna uxor ejus Venetias reditura in itinere Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto in quadam Moreæ urbe rebus humanis erepta eſt, duabus prolibus, quas ex hoc conjugio ſuſceperat relictis. Sed ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ geſta, unde digreſſi, redeamus.

§. XXXI.

Eugenii Papæ reſponſio ad Conventus Francofordienſis Legatos.

Eugenius hucusque ad Cæſaris poſtulata reſpondere diſtulit, licet quam maxime Friderici Legati inſtarent, jamque

que præstitutum Norimbergensis Conventus tempus immineret, & plurimi, ut responsum daret, iterato rogarent, nihil tamen ab eo impetrare poterant. Ob hanc moram Comitia ad alterum semestre protracta fuere, consentientibus quoque S. R. I. Electoribus, non tam ut obsequerentur Eugenio, quam Cæsari, qui eo tempore Ladislai patruelis sui tutelæ curis destinabatur. Tandem post diuturna consilia Eugenius Legatis ad se missis reposuit hunc in modum: generalem Synodum expeti, haud satis mirari possumus, cum jamjam Oecumenicum Concilium auctoritate Apostolica, omniumque Patriarcharum Orbis Christiani consensu institutum celebretur, quod in dubium vocare nil aliud est, ac fidem Catholicam impugnare, necnon divinæ voluntati resistere. Si vero quorumdam menti forte contraria insidet opinio, hos de veritate rei edoceri, & rejectis insensatis ac perfidis Basileensium commentis, ad amplectendam Sedis Apostolicæ doctrinam, super quam Christus Dominus petram fidei fundavit, induci unice in votis habemus; poterit igitur in hac Synodo, cum ex celeberrimis Præsulibus composita foret, recte consuli, si quid decernendum restaret, & dubia aperiri, si qua essent. Ut tamen Cæsaris ac Principum voluntati morem geramus, quam primum Romam

Sæcul. XV
A. C. 1442.

Acta Patrica art. 135. ex Tom. 13. Conc. p. 1607.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

pervenerimus, quo & Synodum in Lateranensi Ecclesia celebrandam transtulimus, maximo, quo poterimus, numero Episcopos convocabimus, ac junctis eorum consiliis tractabimus, an expediat aliud Concilium celebrari, quosve ad illud admittere vel excludere oporteat, simulque de debito ordine agemus, quo perniciosis violentiis hucusque perpetratis obviari posset. Mittemus nihilominus Legatos, qui de iis cum Cæsare atque Principibus conferant, quamquam nihil Ecclesiæ proficuum cum illis agi posse credamus, nisi prius neutralitatem Christianæ fidei haud notam rejiciant, atque ad pristinum Apostolicæ Sedis obsequium redeant, qua sola re pax Ecclesiæ reddi poterit. Id si facturi sunt, concurrentibus quoque, illudque approbantibus aliis Regibus & Principibus, qui in debita reverentia firmi perstiterunt, libenti animo aliud Concilium celebrabimus. Hæc est summa Responsionis Eugenii Papæ, quam tamen plures alii ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum tertium rejiciunt.

§. XXXII.

Privata Basileensium negotia.

Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1606.

Fervente hoc pacis ineundæ tractatu, Basileenses multa negotia, quæ Privato-

vatorum cauſſas reſpiciebant, agitarunt. Præprimis Curienſis Epiſcopus translatus fuerat ad Eccleſiam Conſtantienſem, data ipſi priorem Eccleſiam Curienſem ſervandi facultate. Patres Concilii Curienſem Sedem commendarunt Epiſcopo Tridentino, donec horum primus Eccleſiæ Aquilejenſis poſſeſſionem conſequeretur. Verum Patriarcha Aquilejenſis hoc pacto læſus, Conſtantienſem impugnabat Epiſcopum, qui nequaquam ceſſurus videbatur. Ergo utrinque contendentium exarſere ſtudia. Unus ex Principibus cauſſam in ſe ſuſcipiebat, ac hortabatur Patres, ne quid ſtatuerent contra Epiſcopum Conſtantienſem, quoniam, ut inquiebat ille, ejusmodi agendi ratio contraria prorſus foret unioni inter Principes ſtabilitæ; quapropter in hac cauſſa nil ultra actum eſt. Non minus fervida erat contentio Joannis de Bachenſtein, Eccleſiæ Herbipolenſis Præpoſituram poſtulantis; Huic Cardinalis Arelatenſis, & Baſileenſium non pauci plurimum favebant, & tandem hanc litem diremi optabant, verum res indeciſa permanſit. Demum tempore ad decernendam Legationem pro Norimbergenſibus comitiis maturato, hac ſuper re frequentes habebantur conventus, quorum tamen optatum ſucceſſum denuo eluſit congregatorum diſcordia, utpote

Sæcul. XV. A. C. 1442.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

qui jam de numero & conditione legatorum, jam de mandati articulis, nunc de sumptibus itineris inter se discordabant. Quocirca ægre admodum de hoc solo puncto convenere, ut Patriarcha Aquilejensis tanquam Legatus *a latere* nonnullis aliis Prælatis stipatus, ad Imperatorem, Poloniæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reges, Austriæ Duces, pluresque alios Principes decerneretur. Erat is Cæsaris, ac Regis Poloniæ Patruelis, totoque studio contendebat, ut Bohemiæ Regnum Polono assereretur, & quidem eo majori jure, quod jamjam magnam illius partem teneret. Attamen Basileensibus non eadem erat sententia, quippe illi potius hanc coronam Ladislao addixissent, quamvis adhuc infans, ac Filius non nisi post Alberti Cæsaris Patris sui obitum natus esset. Suppeditabat Felix sumptus ad Deputatorum iter necessarios, & Basileenses insuper postulabant, ut quatuor adhuc alii Præsules, nimirum ex singulis Nationibus unus, pro futuro Concilio Præses esset; sed rursum Felix & Cardinalis Arelatensis huic petito acriter sese opponebant, caussati, ex his duos, quos ex Italica, & Hispana Natione eligere oporteret, Arragonum Regis subditos fore; ejusmodi autem Viros ab hoc munere necessario arcendos esse. Ast modo de Græcorum rebus agamus.

Patru. ibid.

§. XXXIII.

Sæcul. XV.
A C. 1442.

§. XXXIII.

Continuata inter Græcos dissidia.

Constantinopoli continua inter Græcos dabatur dissensio, nec Imperator gravibus cum Fratre suo simultatibus implicatus, grassanti schismati remedium ponebat, cum tamen levi brachio primam totius mali radicem exscindere potuisset, si sub quovis prætextu Marcum Ephesinum comprehendi jussisset, maxime, cum ad id nec operis facilitas, nec agendi auctoritas deficeret, eoquod Episcopus hic schismaticus datam etiam fidem violasset. Ex adverso Cæsar perinde acsi in Florentina Synodo de rebus fidei nihil actum, nihilque decisum fuisset, nimium facilis decrevit, ut publica fieret concertatio inter eundem Marcum Ephesinum, & Bartholomæum Florentinum Ordinis FF. Prædicatorum Episcopum, & Theologiæ doctrina longe celeberrimum, quæ tamen disputationes nil omnino profuere, præterquam quod de palma utrinque contenderetur, unoquoque eandem sibi attribuente. Unde re infecta tandem solutum est colloquium.

Antonin. tit. 22. cap. 21.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

§. XXXIV.

Marci Ephesini obitus.

Inde tamen nonnullum saltem emolumentum Ecclesiæ accessit; quippe, cum Marcus Ephesinus, acerrimus unionis impugnator, iterum a Bartholomæo Florentino superatus ac confusus esset, omniumque judicio, qui a partium studio alieni erant, ejusdem argumentis satisfacere haud posset, tam vehementem iracundiam, tantamque animi mæstitiam inde concepit, ut contracto morbo paucos intra dies animam exhalaret, tam pervicaciter in sua perseverans sententia, ut hos omnes, qui unionis decreto subscripsissent, a suis exequiis abesse juberet, nec pro anima sua preces ad Deum ab iis fundendas se desiderare, palam profiteretur.

§. XXXV.

Pars Regni a Galliarum Rege perlustrata.

In Francia Galliarum Rex indefessa sollicitudine Andegavensem, Pictaviensem, & Santonienſem Provincias percurrebat. Ubi Salmurium pervenit, Britanniæ Ducis Legatos excepit, pluresque arces in Pictavienſi agro sitas sibi tradi cura-

curavit, in quibus nonnulli Optimates numerosos prædonum manipulos alebant, qui in hanc Provinciam violenter grassari solebant. Cum vero Lemovicum attigisset, ad aures ejus delatum est, a Principibus adhucdum adversus Regni administrationem secreta fabricari molimina, atque eo consilio Aureliæ, Burgundiæ, Borbonii, & Alenconii Duces Niverni congregatos, ut communi consilio inter se conferrent de opportunis mediis, quibus prætensos honorum gradus suis meritis, ac generis nobilitati debitos sibi restitui procurarent. Rex missis suo Cancellario Domino de Bellomontio, aliisque Proceribus, nomine suo illis significari jussit, sibi summopere eorum conventum displicere, causssam vero hujus congressus edoceri velle. Principes hisce Regis monitis absterriti, ulteriora tentare non audebant, sed sua gravamina, & querelas Cancellario exponentes, easdem ei scriptas dederunt, ad Regem Lemovicum, ubi adhuc degebat, deferendas.

Sæcul. XV. A.C. 1442.

Joan. Chartier. hist. Car. VII.

§. XXXVI.

Procerum Franciæ querelæ, atque postulata.

Inter cetera præcipue querebantur, pacem cum Anglis perperam differri, Judices

Sæcul. XV. A. C. 1442.

dices tam pro ſupremo Senatu, quam reliquis juſtitiæ Curiis indignos omnino ſeligi; populum tributis, vectigalibus, ſubſidiis, atque gabellis immodice gravari; Principes regio ſanguine ortos in maximi quoque momenti negotiis a Conſilio turpiter excludi; Nobilitatis privilegia paſſim ac maxima ex parte violari; denique Regis Senatum nonniſi ex hominibus, qui proprii commodi ſtudioſi, privatis ſuis affectibus ſervirent, conflatum eſſe. Præter hæc a Rege petebant, ut Niortum, atque Sanſuſannam urbes Alenconio Duci reſtitueret, necnon ut tam huic quam Borbonio, ac Vindocinenſi Comiti debita penſio ſolveretur, tandem Atrebatenſis tractatus, cujus plurimos articulos ſingulis diebus impune violari, Burgundiæ Dux querebatur, exacte ſervaretur.

§. XXXVII.

Regis reſponſum ad has querelas.

Rex dolori nonnihil temperandum ratus, Principum Delegatos ſat comiter habuit, atque ad ſingula libelli capita reſpondit. I. Penes ſe ſolum non ſtare, quod pax cum Anglis haud ſancita fuiſſet, his continuo quascunque conditiones ſibi oblatas reſpuentibus; II. Melioris notæ Viros, quantum ſibi conſtaret,

ſtaret, Senatui ſuo præfectos; de cete- Sæcul. XV.
ro, ut deinceps ſecundum æquum, & ju- A.C.1442.
ſtum judicaretur, ſe ſedulo invigilaturum. III. Cum absque ſubſidiorum præſtatione ſubditorum, ac Regni ſui incolumitati conſulere haud poſſet, quæ ut a populo exigeret, ſe ſumma neceſſitate compulſum; Principum ſubditos duplo minus quam alios ejusmodi oneribus preſſos eſſe; IV. Se juſtiſſimis ex cauſſis Niortum Alenconio Duci reddere cunctari, cui tamen æqua pecuniarum vi ſatisfactio præſtanda foret. V. De penſione autem tam illi, quam ceteris pendenda agendum, poſtquam meritorum ſuorum teſtimonio, illius recipiendæ digni probati fuiſſent. Denique ſe Atrebatenſem tractatum ad amuſſim adimpleri velle, tantumque abeſſe, ut vel in minimo eundem violaſſet, quin potius de fracta pace ipſus juſtam conquerendi cauſſam haberet. Talia Claramontanus Epiſcopus nomine Regis reſpondit.

§. XXXVIII.

Dux Aurelianenſis Regem Lemovici convenit.

Cum Principum averſio potiſſimum inde orta fuiſſet, quod Aurelianenſis Dux Regis gratia excidiſſet, Rex, miſſo nuntio, eidem ſignificari juſſit, ad Pentecoſtes

Sæcul. XV. A.C. 1442.

coſtes Feſta Lemovicum veniret, ipſumque a Rege cunctis benevolentiæ ſignis excipiendum. Ergo comitante conjuge ſua Regem adit, a quo comiter ac benevole habitus, centum quadraginta millium librarum ſubſidium ad reſiduam lytri ſui Anglis pendendi partem accepit, auctus præterea annua ſex millium librarum penſione. Dux Aurelianenſis hac Regis munificentia devictus, ſepoſita omni indignatione reverſus eſt, ex quo Dux etiam Burgundiæ, utpote Aurelianenſi intimo fœdere junctus, ſingulari lætitia afficiebatur. Rex igitur utroque hoc Principe in ſui amicitiam redacto, cum a nemine alio periculum ſibi immineret, ſecure iter ſuum ad Occidaniam proſecutus eſt.

§. XXXIX.

Tartaſiæ urbis obſidio ab Anglis ſoluta.

Porro ad iter hoc arripiendum, Regem præprimis incitabat imminens periculum Urbis Tartaſiæ Albreti dominio ſubjectæ, quam Angli ultra ſeptem menſes dura obſidione premebant. Jamjam Gubernator extrema neceſſitate compulſus, niſi infra diem ſancto Joanni ſacram ſuppetiæ ferrentur, deditionem facere cum hoſte convenerat, Carolo Albreti

breti Filio in pacti fidem obside dato. Aſt ubi Rex, necdum evoluto inductarum termino cum ſex millibus equitum urbi appropinquabat, Angli confeſtim receptui canentes, Domini Albreti Filium reddebant, & urbem Tartaſiam Regi cedebant. Eodem victoriæ curſu Conneſtabilis S. Severi oppidum, Delphinus Aquam Auguſtam occupant, Marmandia vero ad primum Regii exercitus conſpectum deditionem fecit, & REGULA urbs facto impetu expugnata eſt. Subegerant equidem Angli oppidum S. Severini, ſed Galli paulo poſt harum urbium primam recuperarunt. Tandem deficiente commeatu, & equorum pabulo, exercitum ad hyberna dimittere oportuit. Rex interea Montalbanum ſeſe recipiebat, ubi cum Natalis Domini ſolemnia tranſigeret, quodam fideliſſimorum Officialium orbatus eſt. Hic erat Vignolius Hira, qui ibidem fatis ereptus eſt, toto exercitu Ducis ſui militari virtute longe præſtantiſſimi jacturam dolente.

Sæcul. XV. A.C.1442.

Acqs. Marmande la Reole.

§. XL.

Deppa ab Anglis obſeſſa.

Cum Rex victricibus armis Anglos in Vaſconia debellaret, hi copiis ſuis, quæ in Normannia erant, illatas clades reſarcire conantur. Talbotus enim Anglici,

Joa. Chart. hiſt. Car. VII.

Sæcul. XV. A C. 1442.

glici exercitus Dux, Concho urbe pactis conditionibus capta, Deppæ obsidionem aggreditur, ac primo impetu Polletam, amplum suburbium versus Havream occupat, erectoque ibidem aggere, mortaria, Colubrina, & ducenta omnis generis tormenta collocat, Polletæ turrim dejecturus. Sub idem tempus Dunensis Comes cum copiis suis in vigilia Sancti Andreæ ad urbem se contulit, cumque præsidiarii numero admodum diminuti essent, ad urbem octingentorum, aut ferme nongentorum Virorum subsidium introduxit, quo obsessi animos ceperunt, ac strenue sub auspiciis Caroli Demaresii Nobilis Scutarii pugnarunt. Altero seu tertio die Comes Dunensis urbem egressus, tam instanter a Rege subsidiarias copias submitti petiit, ut hic mense Martio anni sequentis Britanniæ Scutarium, nomine Theobaldum de Civibus, Guilielmum Ricervillam regium annonæ Præfectum, unacum centum armatis decreverit, qui præsidiariorum vires augerent.

§. XLI.

Angli a Delphino obsidionem soluere compulsi.

Ast cum hæ suppetiæ oppugnantium potentiæ impares essent, Galli prœlium experiri decernebant, ut saltem hac ratione

ratione Anglos ad solvendam obsidionem compellerent. Ergo ipsemet Delphinus eo se confert, & selectas Regii exercitus copias ducens, die dominica, quæ Festum Beatæ Virginis assumptae praecesserat, mense Augusto ad munimentum Anglorum progreditur, ubi in hostium suorum conspectu castra posuit, Feria autem quarta sequenti classicum canere jussit. Acre pertinaxque certamen utrinque commissum est, donec tandem Galli expugnato urbis munimento Anglos inde propulsarent, omnibusque transfugis, qui natione Galli erant, suspendio mulctatis ceteros secum captos abstraherent. Facta hujus munimenti expugnatione Angli obsidionem solvere coacti sunt, & Delphinus urbem ingressus, tam Praesidiario militi, quam oppidanis invictam eorum magnitudinem gratulabatur, demum victoriis ac gloria plenus ad Regem, qui tunc Salmurii degebat, revertebatur. Hæc prospere gesta fuere anno salutis millesimo quadringentisimo quadragesimo tertio.

Sæcul. XV. A. C. 1442.

§. XLII.

Julianus Cardinalis Legatus in Hungariam ab Eugenio Papa decretus.

Deppa urbe nondum occupata, jam ineunte hoc anno Eugenius Papa Julianum Cardinalem in Hungariam misit, tum

An. 1443. *Bonfin. 3. dec. 4. & 5. Crom. l. 21.*

Sæcul. XV. A C. 1443. tum ut pacem inter Ladislaum Poloniæ Regem, et Reginam Elisabetham conciliaret, tum ut Regni hujus Proceres stimularet ad conscribendos subsidiarios milites adversus Turcas, quorum Imperator Amurates Belgradum, alii Albam-Græcam vocant, firmissimum Hungariae propugnaculum ingenti exercitu obsederat. Adfuit etiam missus a Felice Alexander Cardinalis Tridentinus, qui prædicti Ladislai Patruelis erat, hunc Regem ad Felicis partes tracturus. Verum Hungari in Eugenii Papæ obsequio immoti perseverarunt, Polonis autem, quoniam Academia Cracovienſis auctoritatem Concilii Basileensis tuebatur, tutius visum est, neutri parti adhærere.

§. XLIII.

Elisabethæ Hungariæ Reginæ obitus.

Crom. l. 21. Quod vero Legationem Juliani Cardinalis attinet, eadem ex animi sententia cessit, pace quibusdam conditionibus feliciter composita, quæ tamen expectatione minorem sortita est eventum; quippe supervenerat repentinus Elisabethæ Reginæ obitus, ac insuper non pauci, qui Reginæ, ejusque Filio adhæserant, qua vi, qua metu adacti, demum Poloniæ Regi sua addixerunt studia. Turcæ vero, præterquam quod Amurates a septime-

ptimestri Albæ-Græcæ oppugnatione re infecta turpiter discedere coactus esset, tribus insuper magnis cladibus a celeberrimo Hunniade, cujus mentio alibi redibit, affecti fuere. Secul. XV. A. C. 1443.

§. XLIV.

Concordia cum Felice ab Alphonso tentata.

Interea Alphonsus Arragoniæ Rex solitis suis fraudibus cum Eugenio Pontifice æque ac cum Felice egit. Rex præprimis nulla alia motus ratione ab Eugenio defecerat, quam ut eundem Pontificem postulatis suis annuere compelleret. Postquam ergo Neapolis Regnum penitus occupaverat, epistolam ex urbe Neapoli die decima Aprilis ad Felicem dedit, decreto ad illum oratore suo Ludovico Cascusa, qui cum eo de quibusdam concordiæ conditionibus ageret, quarum summa erat: Felix primam hujus Regis adoptionem a Joanna Regina factam confirmabit, Literas investituræ in Regnum Siciliæ eodem, quem Felici præscripturus esset, tenore concedet, totam pecuniarum vim Regi eo temporis momento, quo Alphonsus ei tanquam Pontifici obsequium deferet, promissam numerabit. His conditionibus expletis Alphonsus pollicebatur, se vicissim Patrimonium *Surita hist. lib. 15. c. 18.*

Sæcul. XV. A.C. 1443.

Sancti Petri in Felicis poteſtatem redacturum, omnesque Eccleſiæ ditiones recuperaturum, quarum protectionem, atque tutelam tam ipſe Alphonſus, quam Ferdinandus ejusdem Filius in ſe ſuſcepiſſent; præterea Alphonſus Rex Terracinam urbem retinebit, pro ſumma trecentorum aureorum millium in partem multæ danda, in quam olim Eugenius propter inducias a Patriarcha Alexandrino violatas incidiſſet. Quam primum igitur hi articuli adimpleti fuerint, ſpondebat Alphonſus, ſe tam ſuo, quam Fratrum nomine obſequium Felici exhibiturum, necnon complures Regnorum ſuorum Prælatos miſſurum ad Synodum, ubicunque demum illa ad tuendam Baſileenſis Concilii atque Felicis auctoritatem congreganda foret: inſuper pollicebatur, ſe ad idem præſtandum itidem Mediolani Ducem, necnon Caſtellæ Regem pro viribus ſollicitaturum. Denique ex proventibus Eccleſiæ, quos recuperabit, unam partem Felici, alteram Cardinalibus, reliquam vero ſibi adjudicandam petebat, deductis tamen expenſis, quas in recuperandis Eccleſiæ terris conſumere neceſſe foret. Suo quoque arbitrio reliquendum voluit Alphonſus, ut haſce concordiæ leges, negotio nondum penitus concluſo, prout ſibi libuerit, immutare, aut de concordia cum alio tractare poſſet.

§. XLV.

Sæcul. XV. A. C. 1443.

§. XLV.

Eugenius Papa Florentia Senas profectus.

Die septima Martii Eugenius Papa Florentia discessit, Romam petiturus, ad quam urbem Synodum transtulerat; Senas die decima ejusdem mensis solemni pompa ingressus est, ac ibi sex menses substitit, a plurimis Italiæ Principibus, aliorumque Oratoribus summis honoribus exceptus.

§. XLVI.

Cardinalis Sanctae Crucis obitus.

Eo tempore Senis, die nona Maji Cardinalis S. Crucis, nomine Nicolaus Albergatus Carthusianus, postquam anno millesimo quadringentesimo decimo septimo in Bononiæ Episcopum consecratus erat, ex calculo, quem sibi extrahi curavit, rebus humanis ereptus est. Jam sæpius Viri hujus merita, data occasione commemoravimus. Numerabat inter suos domesticos Thomam Sarsanam, & Æneam Sylvium, quorum uterque ad summi Pontificatus apicem postmodum ascenderat. Eugenius, qui morbo decumbentem frequenter invisit, ejus quoque funeri publice interesse voluit. Corpus ejus, prout jusserat, translatum est

Ciacon. Pogg. in orat. funebr.

Sæcul. XV. A. C. 1443. ad Carthusiam Florentinam, cujus Prior erat Thomas Subdiaconus, postea sub nomine Nicolai V. ad summam sedem evectus. Poggius Florentinus defuncto Cardinali oratione funebri parentavit.

§. XLVII.

Eugenii Papæ Epistola ad Alphonsum.

Aug. Patric. Conc. Basil. & Flor. art 140 p. 1610. ex tom. 13. Cons.

Eugenius Papa Senis ad Alphonsum literas dedit, per Patriarcham Aquilejensem delatas, ac Regi Terracinæ porrectas. Cum vero Alphonsus tam Eugenium, quam Felicem variis lenociniis sopire moliretur, illi, a quo ampliores conditiones exigere posset, tandem adhæsurus, concordiam quoque die duodecima Junii, ut referunt Acta Patricii, cum Eugenio iniit, his præcipue legibus ultro citroque conclusis.

§. XLVIII.

Articuli Pacis Eugenium inter et Alphonsum.

Pax firma atque stabilis inter Eugenium Papam & Alphonsum, necnon mutua, eaque solida omnium præteritorum oblivio inducetur; Alphonsus Eugenium tanquam verum, ac summum Pontificem profitebitur, nec ejusdem auctoritatem quoquo modo clam, aut publice lœdi per-

permittet, eademque lege honori Cardi- Sæcul. XV.
nalium, suorum subditorum, atque omni- A. C. 1443.
um Eugenio adhærentium cautum erit. Rex omnia in suis Regnis contra Ecclesiæ libertatem ac Papæ auctoritatem attentata prorsus irrita declarabit, necnon cibaria, annonam, et mercimonia Romam advehi concedet. Eugenius autem tam per se quam per Legatos suos Alphonsum, ipsique addictos ab omnibus Censuris quocunque pacto incursis liberabit; Regnum Siciliæ Alphonso jure beneficiario cedet, iisdem omnino juribus et formis, quibus per Romanos Pontifices alias concedi consueverat, & cum clausula hac: *Non obstante, quod Alphonsus illud vi & armis occupasset,* ac tali modo eundem Regem salutabit; præterea eidem Alphonso Beneventum, & Terracinam tradet, adjecto titulo Vicarii perpetui utriusque urbis; hic vero in signum beneficiarii tributi duos Accipitres dabit, absolvetque eum Pontifex ab omni pecuniarum præstatione, quam Cameræ Apostolicæ debet ex quocunque nomine; His adimpletis, Alphonsus Sacramento sese Eugenio obstringet, homagium eidem præstabit; insuper Romanæ Ecclesiæ oppida restituet, quæ occupavit; contra Turcas sex triremes suis impensis ad semestre alendas mittet, & quatuor equitum millia, necnon mille pedites adver-

Sæcul. XV. A. C. 1443

fus Franciſcum Sfortiam ſuppeditabit, ut Marchia Anconitana, ceteraque Eccleſiæ loca recuperari poſſent, hisque copiis Ducem præficiendi facultatem Eugenii beneplacito relinquet; præſtituto trimeſtri, infra quem terminum Papa præfatis conditionibus ſatisfaciet, aut in eventum violatæ fidei centena millia ducatorum pendet.

Sarita c. 32.

Præter hoſce articulos a Patritio relatos, Hiſtoricorum nonnulli quosdam alios recenſent, nimirum Alphonſum promiſiſſe, ſe cenſum annuum de more Eccleſiæ Romanæ ſoluturum, nobilitatem ac populum intra Regnum in avitis eorum privilegiis, quibus olim ſub Guilielmo II. Rege gaudebant, conſervaturum. Alii inſuper Auctores addunt articulos, qui libertatem Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum, necnon appellationes ad Sedem Apoſtolicam, aliaque ejusdem jura, non minus temporalia, quam Eccleſiaſtica concernebant: hæc omnia continentur in inveſtituræ literis, quas Eugenius Senis die decima quinta Julii Regi dedit, necnon in inſtrumento homagii, quod Alphonſus die ſecunda Julii Anno Domini ſupra milleſimum quadringenteſimo quadrageſimo quinto Pontifici exſolvit. Cum vero in literis inveſtituræ diſertis verbis exprimatur, Neapolis Regnum, ſi Alphonſus nullam poſt ſe relinquat prolem

lem legitimis natalibus ortam, ad Eccle- Sæcul. XV.
siam rediturum, inde manifeste patet, A. C. 1443.
nonnisi posteriori tempore hisce concordiæ pactis adjectam fuisse conditionem, ut Ferdinandus ex illicito Alphonsi concubitu natus, sublato per Papam natalium vitio, unacum posteris suis Patri in Regno succederet. Hæc seorsim facta fuisse, Scriptorum nonnulli testantur, adeo, ut Pontifex rei coacte magis quam sponte concessæ verecundia suffusus, quamdiu ipse viveret, nec investituræ Bullam, nec Diploma, quo Ferdinandum legitimorum natalium jure donavit, publicare voluerit.

§. XLIX.

Omnes pacis conditiones ab Eugenio acceptatæ.

Eugenius perceptis hisce conditionibus, omnes approbavit, ratasque habuit, ac die vigesima Mensis Junii hæc pacta utrinque firmata fuere. Alphonsus, cum de Pontificis consensu certior factus esset, sexto post die ad omnes Regnorum suorum Provincias hac super re literas perscripsit.

Sæcul. XV.
A. C. 1443.

§. L.

Eugenius pro vero Pontifice ab Alphonso agnitus.

Acta Patric. tom. 13. Conc. p. 1609

Ergo palam profitebatur Alphonsus, se quidem in hoc Ecclesiæ statu dubium longo nimis tempore fluctuasse, tandem vero, Deo inspirante, cognovisse, Eugenium solum esse verum Romanum Pontificem, certumque Christi Vicarium, eique ab omnibus obediendum; quapropter se omnia edicta, atque a se gesta contra Eugenium pro Felice, & Basileensi Concilio nulla, atque irrita declarare, licereque omnibus suis subditis curiam Romanam adire. Hoc edicto promulgato Eugenius paulopost Alphonsum ab omnibus censuris antea incursis absolvit, omnesque, qui prius Basileensibus adhærebant, aut Regi usque ad primam Julii diem, & sequens bimestre anni currentis contra decreta Apostolica favebant, pristinis honorum, & dignitatum gradibus restituit, ac quocunque modo ob anteacta vexari prohibuit, nullatenus tamen hujus gratiæ participes fieri, atque comprehendi voluit Cardinales ab Amadæo creatos, quibus, ut ajebat, alio modo provideretur, si Papæ clementiam promererentur, atque erroris sui veniam submisse postularent.

§. LI.

§. LI.

Sæcul. XV. A. C. 1443.

Prælati ab Alphonso Basilea avocati.

Eodem tempore Alphonsus pro parte sua tres illos Cardinales, qui erant ejus subditi, & a Felice ad hanc dignitatem promoti, nempe Panormitanum Archiepiscopum, Dertusensem, & Vicensem Episcopos, adhortatus est, ut Basilea quamprimum discederent, atque in Italiam vel ad suas Ecclesias sese reciperent, si tamen Regis sui gratiam ac benevolentiam cordi haberent, cui in præsenti rerum vicissitudine nil acceptius præstare possent, subjunxitque, se illis auctorem esse, ne alteras, in quibus id ipsum denuo ab illis postularetur, expectarent epistolas: Tres isti Præsules, cognita Regis voluntate, mox etiam invitis sibi parendum esse censebant, eoquod Alphonsi essent subditi, atque in illius Regnis sua possiderent beneficia. Igitur post plures consultationes cum sociis suis habitas, manantibus lacrimis sortem suam dolentes Basilea excesserunt, asserentes, se in Synodi, ac Felicis fide semper permansuros, nec unquam Eugenio adhæsuros; paratos enim se esse, Sacrorum Conciliorum auctoritatem defendere, nec ullo unquam tempore ab eorum doctrina recedere. Abiit die quarta Augusti celeber ille Panormitanus, ac dimissis Basileæ

Patric. ibid. Æn. Sylv. Epist. 54. & 55.

Sæcul. XV. A. C. 1443.

sileæ Cardinalatus sui insignibus Italiam repetiit, ad Ecclesiam suam reversurus. Ceteri duo Episcopi pariter ad suas quisque Diœceses remigrarunt, quos mox secuti sunt reliqui omnes, qui ex Alphonsi Regnis Basileæ erant.

Acta Patric. p. 1611.

Eodem tempore inter Austriae Duces, & Basileenses cives eorumque confœderatos suscitata est belli flamma, quæ tamen vix mota Prælatorum ibidem congregatorum cura ac labore extincta est.

§. LII.

Variæ Congregationes Basileæ habitæ.

Basileenses integro ferme hoc anno otiosi hærebant, sive ob Felicis absentiam, sive ob futurum Norimbergensis conventus mox celebrandi eventum, quem prius expectandum censebant. Quapropter nonnisi quædam habebantur Congregationes, in quibus de privatis agebatur caussis, quæ Herbipolensem Præposituram a Bachensteinio expetitam concernebant, necnon revocationem cujusdam sententiæ, quam in Curia Romana Firmanus Cardinalis adversus Philippum Hybernum, aliosque pronunciaverat. Præterea Mense Majo delatæ sunt literæ Francisci Britanniæ Ducis, qui Basileenses vana spe lactabat, pollicitus, se suos con-

convocaturum Clericos, eosque ad acceptandas, quæ cauſſis Eccleſiæ multum proficuæ eſſent, propoſitiones compulſurum, ea tamen lege, ut illi ad ſe legatum decernerent. Placuit Baſileenſibus Ducis conſilium. Sæcul. XV. A. C. 1443.

§. LIII.

Felix Baſileam redire detractans.

Sub idem tempus Felix in graves adverſus Baſileenſes prorupit querelas, quod, antequam ad Papatum vocaretur, promiſiſſent, ſe ad ſolemnes legationes neceſſarios ſumptus ſuppeditaturos; cum tamen nullatenus hucuſque datam fidem liberaſſent, & ipſe ad filiorum ſuorum hæreditatem inſumendam coactus fuiſſet. Cum vero ex illius abſentia multum auctoritati Concilii deceſſiſſe videretur, Baſileenſes eundem rogabant, ut Baſileam rediret, quibus ille repoſuit, ſe propria edoctum experientia ſcire, longe melius Eccleſiam Lauſannæ, quam Baſileæ gubernari, multosque eum ibi convenire, qui tamen nunquam Baſileam ituri eſſent, ac propterea firmo conſtituiſſe animo, deinceps in dicta urbe permanere.

§. LIV.

Italorum vota de Synodo Romæ celebranda.

Alphonſus, Veneti, Florentini, Senenſes, aliique Italiæ Principes ad Cæſarem

Sæcul. XV A. C. 1443.

farem literas dabant, atque eidem persuadere conabantur, ut Concilium Romæ in Palatio Lateranensi convocari permitteret, illucque suos Prælatos ire juberet. Detrectabat Fridericus hac super re suam edicere sententiam, priusquam Norimbergensis Conventus ad Sancti Martini solemnia indictus celebraretur; unde literas ad Reges, & Principes perscripsit, quibus eos, ut suos Norimbergam Legatos mitterent, hortatus est. Ad id vehementer illum stimulabant preces Francorum Regis, qui declarabat, omnium tutissimam, magisque expeditam schismatis extinquendi viam esse, si Principes, eorumque Oratores in quodam loco communi convenirent, ibique de mediis ad reddendam Ecclesiæ pacem opportunis ex plurimorum suffragio decernerent.

§. LV.

Imperator tam de Eugenio, quam Basileensibus conquestus.

Æn. Sylv. Epist. 54. & 55.

Narrat Æneas Sylvius, qui tum Friderico a secretis erat, Cæsarem datis literis Franciæ Cancellario significasse, Carolum Regem sibi tale præbuisse consilium, cui se morem gerere decrevisset; satis enim aperte se cognoscere, neque ab Eugenio, neque a Basileensibus novam Synodum congregandi propositum

positum ratum haberi; unde sibi nec probari Pontificis Concilium Florentiam transferendi voluntatem, nec Basileensium decretum, quo sessione die undevicesimo Maji habita juxta Constantiensis, ipsiusque Basileensis Synodi præscriptum aliud Generale Concilium tertio post anno celebrari statuissent, & quidem in civitate Lugdunensi, quam Felix hanc in rem delegisset, huncque temporis terminum contrahendi Facultatem a Basileensibus impetrasset. Haud tamen propterea dissolutum censeretur Basileense Concilium, cum ipsis cordi foret, illud continuari, ac prosequi, dummodo Basileensis civitas securitatem hactenus promissam imposterum illæsam servaret: si vero aliquod impedimentum intercederet, tunc pro ejusdem Basileensis Synodi prosecutione, Lausana urbs nominaretur, ad quam Patres sese transferrent.

Sæcul. XV. A. C. 1443.

§. LVI.

Sessio XLV. Basileensis Synodi.

Celebrarunt quidem Basileenses Mense Majo hujus anni sessionem numero quadragesimam quintam. Ast urgebant in Germania belli tumultus, recedebant Præsules Alphonso subditi, nec non ipsemet Imperator assidue aliam Synodum celebrari postulabat; quibus accessit,

Labbe Conc. tom. 12. p. 697.

Aug. Patric. l. c art 138. ex tom. 13. Conc. p. 1607

Sæcul. XV. A. C. 1443.

ceſſit, non modo Felicis Baſileam venire renuentis pertinacia, ac denique ſucciſa ſpes, ut Prælati, ſi diutius Baſileæ hærerent, neceſſaria perciperent ſubſidia. Has ob cauſſas Baſileenſes præfatum decretum condere, hacque Seſſione abſoluta Synodum ſuam diſſolvere compellebantur.

Nihilominus in præcedenti Seſſione Patres damnabant plures propoſitiones, quas nonnulli Fratres Mendicantes contra Parochorum jura enunciabant: Fuerunt autem iſtæ: *Parochianos non jure Dominicis, & ſolemnibus diebus Miſſas in propriis Eccleſiis Parochialibus audire. Illis diebus cuicunque liberum eſſe Miſſæ intereſſe,* (*) *nec Conciliorum decretis hac libertate fideles privari poſſe. Parochianos illis diebus non teneri oblationem Parochis ſuis facere: Obnoxium faciendi celebrari Miſſas, non ſatisfacere debito, ſi per curatum Sacerdotem id fieri curet, quoniam ratione*

(*) Hanc propoſitionem a Baſileenſibus damnatam fuiſſe obſervat Odoricus Raynaldus ad hunc annum num. 23. *ut ea ratione tum Clerum ſæcularem ſibi tanquam Parochorum & Epiſcoporum auctoritatis vindicibus conciliarent, tum etiam ut Pontificum, qui Religioſos Ordines immunitatibus ampliſſimis donavere, auctoritatem infringerent, ſed eorum artes in irritum cecidiſſe.*

tione Curæ ad id est obligatus: Decimarum solutionem, etsi de præcepto sit, non tamen de præcepto esse, cui sit solvenda, sed liberum, quibuscunque vellent solvere, vel in pia opera pro arbitrio impendere: Morientes in professione, & habitu Ordinis Minorum, ultra annum non passuros in pœnis Purgatorii, quoniam B. Franciscus ex divino privilegio quotannis ad purgatorium descendit, suosque omnes ad Cœlum deducit: Fratres Mendicantes etiam non præsentatos Ordinariis posse confessiones audire; & qui apud eos essent confessi, non teneri etiam semel in anno confiteri proprio Sacerdoti: Episcopos etiam in Synodo congregatos non posse sibi reservare ullos casus præter illos in jure expressos. Omnes istas assertiones in Diœcesi Taurinensi, & Astæ Mediolanensis ditionis urbe Mendicantes concionibus suis divulgarunt, quas Basileenses in quadragesima quarta Sessione tanquam erroneas damnarunt, hanc censuram in præsenti Sessione confirmantes. Quibus peractis nullum alium conventum egerunt Basileenses. Sæcul. XV. A. C. 1443.

§. LVII.

Finis Florentini & Basileensis Concilii.

Ita demum finem habuerunt Concilia Florentinum, & Basileense, quorum Patres, *Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1612.*

Sæcul. XV. A.C. 1443.

Patres, uti videtur Dupino, non tam devicti, quam defessi recesserunt, cum neutra pars cederet, & quælibet nec pacem inire, nec reconciliatione facta finem jurgiis suis imponere meditaretur, ac denique Concilia sua aliorsum, hi Romam, illi Lausannam transferre simularent, ubi tamen fere nihil est, quod ab illis gestum fuisse reperitur, sed schisma nihilominus usque ad Eugenii obitum, qui quarto ex post anno contigit, protractum est. Felix interim tam Lausannæ, quam Genevæ agebat, & Basilea discedens nonnisi quatuor secum habebat Cardinales, scilicet S. Sixti, S. Marcelli, Aquilejensem, & Verambonem; cum vero primi duo vita excederent, & tertius apud Cæsarem Viennæ diverteret, unicus duntaxat supererat.

§. LVIII.

Novi Cardinales a Felice creati.

Acta Patrie. to. 13. Conc. p. 1611.

Igitur Felix, cum curiam suam congruo Patrum numero destitutam perspiceret, & deficiente Ministro nequidem sacra celebrare valeret, apud Basileenses, antequam ad sua abirent, instabat, ut Sessionis XXIII. Decretum hac duntaxat vice relaxarent, eique permitterent, ut quinque alios Cardinales nominaret. Acta res est cum magna Basileensium conten-

contentione, tandem vero ſummi ſui Capitis precibus acquievere membra, ac Felix ex quinque Cardinalibus, quos creaverat, nonniſi duos proclamavit, ſcilicet, Joannem Tarentaſienſem, & Ludovicum Viſenſem natione Luſitanum. His enarratis Auguſtini Patricii acta finiuntur, in quibus nil omnino memoratur de ſupradicta Lugdunenſi urbe, quæ ad Baſileenſis Synodi continuationem ſelecta dicitur. Sæcul. XV. A C 1443.

§. LIX.

Aſſertiones ab Alphonſo Toſtato ad diſputandum coram Papa propoſitæ.

Senis cum eſſet Eugenius Papa, Alphonſus Toſtatus Hiſpanus, qui poſtea Abulenſis Epiſcopus eo tempore nonniſi vigeſimum octavum, ſeu nonum ætatis annum agebat, præſente ſummo Pontifice theſes unam, & viginti ex Theologia depromptas publicæ diſputationi propoſuit. Harum nonnullæ minus probæ exiſtimabantur, ac inter ceteras hæc præcipue: *Etſi nullum peccatum cujuscunque conditionis irremiſſibile ſit, Deus tamen nec a pœna nec a culpa abſolvit, nec aliquis Sacerdos abſolvere poteſt.* Item, *Chriſtus non eſt mortuus die vigeſima quinta Martii, ut communis fert ſententia, ſed tertia A-* *Bellarm. de Script Eccl. Spond ad an. 1443.*

Sæcul. XV. A.C. 1443.

prilis. Has propositiones stricto calamo Joannes Turre-cremata Cardinalis, non minus vehementer ac solide impugnavit, ad quæ Tostatus confestim respondit edito commentario, cui *Defensorii* nomen fecit, in quo tamen sua dicta judicio Ecclesiæ, & Pontificis subjecit.

§. LX.

Eugenius Papa Senis Romam profectus.

Platin. in Eugen. IV.

Posthæc Eugenius Papa Senas reliquit, Romam reversurus, quorsum etiam die vigesima octava Septembris post novem & amplius absentiæ suæ annos pervenit, summis honoribus, ac incredibili lætitia exceptus; cuncti enim Principes, qui id temporis magnam hanc Orbis urbem incolebant, adventanti summo Pontifici certatim obviam effundebantur; Populus quoque festivis acclamationibus intimi sui gaudii signa prodebat, non solum ob Principis sui præsentiam exultans, sed vel maxime propter sublatum novum vectigal vino impositum, quod Pontifex necdum urbem ingressus, Romanis graviter inde conquerentibus, liberaliter remisit. Aliquot post diebus Eugenius ad Palatium Lateranense processit, & Concilium Generale eo loci se celebraturum denuntiavit, missis ad omnes

nes Principes literis Apoſtolicis, atque Nunciis, quibus eos, ut ſuos Oratores ad Synodum decernerent, adhortabatur. Hac enim ratione, inquit Platina, infirmare, ac penitus abolere Baſileenſe Concilium intendebat. Indicta hujus Synodi celebratione in id præ omnibus animum applicuit, ut Eccleſiæ Patrimonium e manibus Franciſci Sfortiæ eriperet, huncque in finem armis utebatur Alphonſi Arragoniæ Regis, & Picinini, qui copiis Philippi Mediolanenſis Ducis præfectus erat. Sæcul. XV. A.C.1443.

§. LXI.

Hungarorum bellum adverſus Turcas.

Interea ferventes, quas Julianus Cardinalis Legatus ab Eugenio in Hungariam miſſus interpoſuerat, preces optatum habuere ſucceſſum; Hungari enim ingentem armorum apparatum inſtruebant, ut Amuratis Turcarum Imperatoris, cujus recens adhuc memoria in eorum animis vigebat, vires, atque potentiam frangerent. Decernebantur quoque Legationes ad Fridericum, & ad Pruſſos, atque Livonienſes Cruciferos Equites, necnon ad Polonos, & Valachos, a quibus auxiliares copiæ petebantur. Sed cum Fridericus Bohemiam belli tumulti- *Bonfin. 3. Dec. 5. &6.*

Sæcul. XV. A.C. 1443.

bus infestam caussaretur, Cruciferi vero exhaustam diuturno bello provinciam obtenderent; ideo nulla subsidia Hungaris submissa fuere. Soli Poloni, atque Valachi validum equitum, peditumque exercitum, promisso etiam semestri stipendio, subministrarunt. Cumque Eugenius sacrum Crucis bellum per omnes gentes prædicari jussisset, plurimi ex Gallia, & Germania hoc classico excitati, sponte sua ad Hungarorum vexilla convolarunt: Unde horum potentia, & numerus insigniter crevit. Cum igitur omnes hæ copiæ selecto prorsus milite conflatæ Danubium trajicerent, Sophia urbs (quam antiquam Sardicam esse volunt) occupata est, cumque prope adesse Turcas Rex Poloniæ intellexisset, ab eo Huniades, Vir bello ac pace summus, cum decem millibus equitum, qui hostem, favente noctis silentio, ex insidiis adorirentur, præmissus est.

§. LXII.

Huniades Polonorum copiis præfectus.

Æn. Sylv. de Europ. c. 5.

Huniades proprio nomine Joannes Corvinus dictus, eo tempore Vaivoda, seu Palatinus Transilvaniæ, atque Ladislai Poloniæ Regis, necnon Hungarorum exercitus Imperator fuit, atque anno præcedenti partis de Turcarum exercitu pluri-

pluribus juxta ac præclaris victoriis ingentem sibi gloriam peperit. Jam tertia enim clade Turcas affecit, harum primam inflixit Belliducibus Amuratis Imperatoris, quem a septimestri Albæ Græcæ obsidione re infecta inglorium discedere coegit, alteram edidit in Transilvania, tertiam denique apud Vascapum in finibus ejusdem Provinciæ. Solum hujus Viri nomen Turcis tantum incussit terrorem, ut ipsi quoque eorum infantes nonnisi ingenti cum terrore illius nomen pronuntiare auderent, eundem appellitantes *Jancum Lain*, seu Joannem sceleratum. Sæcul. XV. A.C.1443.

§. LXIII.

Huniadis victoria de Turcis reportata.

Huniades igitur tanti nominis Vir delato sibi a Ladislao copiarum imperio adeo feliciter rem gessit, ut datum negotium executurus, noctu per insidias Turcas oppresserit, & (ut referunt Historici) triginta eorum millia fuderit, quatuor millia unacum novem signis in captivitatem abstraxerit, reliquos autem in fugam egerit, quingentis duntaxat suorum desideratis. Parta hac victoria, Christiani inde ulterius progredientes, cum ad fines Thraciæ & Macedoniæ per- *Æn. Sylv. ep. 44. & 81.*

Sæcul. XV. A.C. 1443

veniſſent, ad montem Hæmum iterata grandi cæde alium Turcarum exercitum, quem Amurates ad tuendas montium fauces ex Aſia evocaverat, affecerunt. Ladislaus tot victoriis auctus, Budam poſtea ingreſſus, ut voto, quod nuncupaverat, ſatisfaceret, nudis pedibus templum Beatiſſimæ Virginis acceſſit, hoſtiumque vexilla fornici Eccleſiæ affigi juſſit. Æneas Sylvius, qui tunc Imperatori a ſecretis erat, ſcribit, Hungaros cupiditate gloriæ occupatos hanc victoriam nimium exaggeraſſe, cum tamen Julianus Cardinalis nonniſi duo millia Turcarum cecidiſſe, & ferme quatuor millia capta, inter quos *Baſſas*, ſeu Belliduces tredecim, & ſigna militaria novem numerant, in ſuis literis affirmet.

§. LXIV.

Scanderbegi Hiſtoria.

Reynaldus hoc anu.

Erat in Turcarum exercitu celeberrimus ille Scanderbegus, de cujus glorioſis factionibus Hiſtorici mira enarrant, & plures Auctores vitæ ejus commentaria conſcripſerunt. Hic proprio Originis ſuæ nomine Gregorius Caſtriottus appellatus eſt, Filius Joannis Albaniæ, ſeu Epirotarum Regis, quem Amurates II. Turcarum Imperator ad tantas redegit anguſtias, ut eidem quatuor ſuos Filios, quorum

quorum natu minor erat Scanderbegus, obsides tradere coactus fuerit. Juvenis hic Princeps præclaris suis dotibus, ingenii acie, atque oris specie expugnabat Amuratis crudelitatem, qua ceteros ejus fratres lento veneno enecaverat, soli vero Scanderbego vitæ gratiam fecerat, eumque ingenti cura educari, omnique militari disciplina gnaviter imbui jusserat. Prima itaque bellicæ suæ virtutis rudimenta huic Imperatori nuncupans, eidem haud levis momenti obsequia præstitit. Cum vero Joanne Patre suo fatis functo, ditiones suas a Turca contra jus fasque usurpari inique ferret, confestim easdem recuperandi heroicum cæpit consilium, Huniade, quocum secretam colebat familiaritatem, sibi paulopost promptam rem aggrediendi occasionem suppeditante. Sæcul. XV. A.C. 1443.

Huniades enim, ut meminimus, in auxilium Despotis Serviæ a Ladislao missus erat; hic toto impetu, ac collecto exercitus sui robore Turcarum copias, numero longe superiores, quæ sub Romaniæ Præfecto, ac Scanderbego Ducibus militabant, invasit; Scanderbegus, qui Huniadem vero similius consilii sui conscium reddiderat, retro cedere, postea in copias, quibus Bassa imperabat, irruere cæpit, quo facto brevi totus Turcarum exercitus rupto omni ordine susus, fugatusque est. Ex accepta clade occasio- *Chalcondyl.*

Sæcul. XV. A. C. 1443.

nem ipse arripiens rebus suis consuluit, & Virum Amurati a secretis, quem Bassa secum habebat, comprehendi jussit, eumque, ut literas Imperatoris nomine, ejusque sigillo firmatas ad Crojæ, Albaniæ Metropolis, Præfectum scriberet, intento ad pectus pugione coegit, eo tenore, ut harum literarum latori quamprimum civitatem, ac Præfecturam traderet; moxque Scanderbegus Cæsareis hisce literis munitus præfatum Secretarium, omnesque ejusdem comites rei conscios neci dedit, ut captum consilium diutius Amuratis notitiam fugeret. Deinde Crojam adiit, ubi cum Amuratis Præfectus tam urbem, quam Præfecturam ipsi ad fictum Cæsaris mandatum dedidisset, populis suis se eorum Principem esse declaravit, qui etiam, eoquod Turcicæ tyrannidis jugum excutere gauderent, quantocius Scanderbegum Dominum suum proclamarunt. Ita nempe anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio Majorum suorum sceptrum feliciter recuperavit, & omnium Albaniæ Procerum, quorum amorem sibi solerter conciliaverat, toto reliquo vitæ suæ cursu usque ad sexagesimum tertium ætatis annum tam potenti, quam prospero adjutus est auxilio, ut sæpius adversus Turcas bella movens, semper magna illorum clade Victor recesserit, tandemque eos armo-

armorum suorum potentia adegerit, ut a victis pacem in heroicæ suæ virtutis præmium adeptus sit. Sæcul. XV. A.C.1443.

§. LXV.

Continua Græcorum dissidia propter unionis decretum.

Interea Græci Constantinopoli assiduis curis unionis Decretum evertere adlaborabant; quocirca Archiepiscopus Cæsareæ in Cappadocia Hierosolymam petiit, querelas suas delaturus, quod Florentinum unionis Decretum nonnisi turbas, & scandala suscitaret, nec non Metrophanes Sedis Constantinopolitanæ usurpator, & Latinorum sententiæ fautor, Imperatoris auctoritate suffultus, omnes illos, qui avitæ Græcorum doctrinæ adhærent, acriter vexaret, nec alios, quam Latinis addictos, ad ecclesiasticas dignitates eveheret. Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, & Joachimus Hierosolymitanus Patriarchæ hujus Archiepiscopi commentis pronas aures præbebant, ac Synodalem epistolam promulgabant, qua omnes, quotquot Metrophanes sacris ordinibus initiasset, depositos, si vero insuperhabita hac sententia, Ecclesiastica sua munia exercere præsumerent, excommunicatos pronuntiabant, Cæsarienſi Archiepiscopo

Liter. Syno. Patr orient. apud Allat. lib.3 cap.4.

Sæcul. XV. A.C. 1443.

piscopo delegata hanc legem exequendi facultate. Data est hæc Epistola Mense Aprili anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio. Aliam præterea sub idem tempus scripserunt ad Joannem Palæologum Imperatorem, qua illum nisi a Metrophanis patrocinio, & Latinorum sententia discederet, anathemate percellendum comminati sunt.

§. LXVI.

Papæ Legatus a Russiæ ac Moscoviæ Græcis carceri datus.

Cum Synodus ista a quatuor Patriarchis nullatenus Imperatoris jurisdictioni, sed infidelium imperio subjectis convocata esset, Joannes Palæologus jam aliunde nimium meticulosus, insuper tanta suorum audacia, tamque atrocibus minis ultra modum perterritus, a primævo suo fervore longe magis, quam unquam alias remisit, proin totus Oriens eo pertinacius pristino schismati inhæsit, quo plus apud Græcos hæc Synodus valebat, quam præsentia sua omnes Patriarchæ honorabant, excepto Constantipolitano, quem velut anathemate notatum, atque usurpatorem traducebant. Sequebantur idem quoque exemplum Russiæ ac Moscoviæ populi, ad quos Isido-

Isidorus Cardinalis (*) tanquam Papæ Legatus mittebatur, ut unionem prædicaret; hi vero jam a Græcis præventi erant, ac non minus eorum imperio subjecti, quam fidei quoque ac ritus eorum jam a pluribus retro sæculis fidelissimi audiebant sectatores; quapropter Isidorum Cardinalem tanquam seductorem populi, fidei desertorem, atque proditorem, qui eos turpiter Latinis venditasset, captum in carcerem conjecerunt, a quo tamen postea, favente Deo, fuga evasit. Ita unaomnes adversus pacem, atque concordiam ad arma convolarunt, excepta satis exigua Cleri Constantinopolitani parte, quæ Patriarchæ sui exemplum, ejusque doctrinam fideliter sequebatur. Sæcul. XV. A.C.1443.

§. LXVII.

Metrophanis Patriarchæ Constantinopolitani obitus.

Imperator tanta suorum rebellione vehementer commotus, ac serpenti malo remedium quærere intentus, ex Metrophanis consilio Synodum Constantinopoli convocare constituit, cujus auctoritate unio-

(*) *Is erat Thessalonicensis Monachus S. Basilii Archiepiscopus Ruthenus ab Eugenio Papa Florentiis decimo quinto Calendas Januarii anno* 1439. *Cardinalium numero adscriptus.*

Sæcul. XV. A.C. 1443.

unionis acceptatio decerneretur. Verum optimas spes Metrophanes fefellit, die prima Mensis Augusti ejusdem anni præmatura nimis morte vivis ereptus; cui defuncto Gregorius Protosyncellus, qui Imperatoris conscientiam moderabatur, subrogatus est, sed haud meliori, quam Prædecessor suus sorte potiebatur, ut in progressu Historiæ videbimus.

§. LXVIII.

Galliarum Rex in Convenensi Comitatu successor.

Erat hoc anno tam aspera hyems, ut cunctis fluminibus glaciali frigore concretis militares copiæ ex hybernis exire prohiberentur; unde Rex quoque diutius Montalbani hærere cogebatur, minime tamen otiosus; quippe interea Convenensis Ducatus successionem sibi asseruerat. Equidem Margarita Convenarum Comitissa Matthæo Fuxio jam quartis nuptiis desponsata erat; ast cum præpediente annorum senio liberos suscipiendi spe frustraretur, eam Maritus illius viginti ferme annis in quadam arce, ubi diversabatur, captivam detinuit, eo fine, ut calamitosi hujus status pertæsa conjugi suo Convenensem Comitatum dono dare urgeretur. Verum Rex afflictæ hujus Comitissæ miseria commotus, eandem

dem carceri eripi jussit, & secum Pictavium duxit, ubi integræ libertati restituta præfatum Comitatum Regi cessit; cum omni prole destituta, jamjam octuagesimum ætatis suæ annum & amplius ageret. Facta hac donatione haud multo tempore superstes, Pictavii, Rege adhucdum ibi commorante, extremam clausit diem. Sæcul. XV. A.C. 1443.

§. LXIX.

Comes Armeniacus ex hoc comitatu a se occupato per Delphinum brevi expulsus.

Comes Armeniacus, qui cum defunctæ Comitissæ Marito, atque alio Fuxi Comite de dividenda inter se Convenarum ditione secreta communicabat consilia, summo animi mœrore percepit, eandem jam Regi dono datum fuisse. Nihilominus Anglos ad sua studia pertrahere conatur, horum auxilio, si necessitas urgeret, rebus suis opportune consulturus. Interea vix comperto Comitissæ obitu, ejusdem terras jamjam Regi datas occupat, ac præsidiario milite munitas suæ potestati subjicit, quas tamen haud diu tenuit. Rex enim confestim Delphinum Filium suum unacum Loheaco Marescallo, ac validis copiis eo decrevit, dato negotio, ut Armeniacum Comitem in

Sæcul. XV. A.C. 1443.

in Insula Jordani totis viribus aggrederetur. Comes tam inopinata vi prævertus, causſæ suæ melius prospectum iri arbitrabatur, si Delphinum adiret, pacemque exoraret. Attamen nullis publicæ securitatis literis munitus comprehenditur, & unacum conjuge ac liberis suis Vaurium in captivitatem abstrahitur. Quo facto Delphinus non modo Convenarum sed etiam ipsum Armeniaci Comitatum suis subjecit armis, exceptis duntaxat Severaco & Uxelloduno, duobus castris, quæ Armeniaci Nothus aliquamdiu propugnavit, donec tandem & ea certis conditionibus Delphino dedere compulsus esset. Armeniacus vero, nequicquam proficientibus Fuxi Comitis precibus, ægre admodum, & nonnisi dura conditione, ut omnes terras a se occupatas redderet, libertatem, pacemque redemit.

§. LXX.

Joannis Britanniæ Ducis obitus.

Argentr. hist. Britan. la Touche

Eodem anno die vigesima octava Mensis Augusti Joannes V. Britanniæ Dux in suo Tuchiano castro prope Nannetem dierum suorum curriculum absolvit. Relinquebat Ducatum suum omnium rerum abundantia, & ingenti popularium frequentia longe felicissimum; quippe copiosos hosce fructus ex diutina pace collegerat,

legeret, cum circumvicinæ Provinciæ assiduo bellorum turbine exsiccatæ jacerent, quas inter præcipua erat Normannia, ex qua plusquam triginta millia Familiarum emigrarunt, cunctis in Britannia, & potissimis earum apud Redones suum domicilium figentibus; ob quorum frequentiam Joannes Dux urbis hujus angustias plurimis ædificiis extendere, totamque illam partem, quæ urbs inferior appellari consueverat, ampla murorum corona cingere compellebatur. Dux iste tres Filios post se reliquit, Franciscum, Petrum & Ægidium, quorum duo natu minores sibi invicem in Ducatus regimine succedebant. Regnante Francisco Sommersetiæ Comes Anglus Caroburgi cum octo millibus armatorum excensionem fecit, & Guerchiam, exiguam Britanniæ urbem occupavit, eandem Ducis Alenconii dominio subjectam esse caussatus. Cum vero Franciscus Dux Britanniæ quereretur, hostili hac incursione iniquius se vexari, Angli confestim urbem reddiderunt. Sommersetus tamen arma sua usque ad Andegavensem ditionem extendit, & quibusdam copiis Loheaci Mareschali, & Domini de Beuil cæsis, tandem, nullo alio memoratu digno facinore edito Rothomagum reversus est.

Sæcul. XV. A. C. 1443.

Guerche.

§. LXXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1443.

§. LXXI.

Leonardi Bruni, alias Aretini, obitus.

Æn. Sylv. epist. 51.

Hoc anno e vita deceſſit Leonardus Brunus, vulgo Aretinus cognominatus, eoquod Aretii Hetruriæ urbe, quo tamen menſe ignoratur, natus eſſet. Græcam linguam a Magiſtro Emanuele edoctus, in Virum evaſit ſuo ævo facile celeberrimum. Fuerat olim Innocentii VII, Gregorii XII, Alexandri V. et Joannis XXIII. usque ad Synodum Conſtantiæ celebratam Apoſtolicorum Brevium Magiſter, poſtea vero Florentinorum Reipublicæ Cancellarius. Vitam egit celibem, & cetera laudatiſſimam; id tamen ei vitio vertitur, quod terrenis bonis nimia quadantenus cupiditate inhiaverit. Ingentem ſibi conciliavit gloriam Ciuitatis Florentinæ Hiſtoria, quam ſolertiſſime conſcripſit; quorundam quoque Vitas a Plutarcho græce editas, latine reddidit, tresque libros de Bello Punico elucubrauit, necnon Hiſtoriam Gothorum, quæ tamen verius Procopii verſio cenſetur, certius eidem alia Græcorum Hiſtoria adſcribitur. Obiit Florentiis, annos natus ſeptuaginta quatuor.

Æn. Sylv. epiſt. 51.
Paul. Jov. in elog. c. 9.

Æneas Sylvius Aretinum, *magnum Hetruriæ ſplendorem* appellat, ſubditque, eo neminem poſt Lactantii ætatem Ciceronis eloquentiæ propius acceſſiſſe. Succeſſit

ceſſit ei apud Florentinos Poggius, quamvis alius quidam Hiſtoricus Carolum Aretinum Leonardi conſanguineum in illius locum ſuffectum ſcribat. Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. LXXII.

Novi apparatus bellici contra Turcas.

Ladislaus Poloniæ ac Hungariæ Rex præclaris, quas anno ſuperiore de Turcis, conſilio & miniſterio Juliani Cardinalis, & Huniadis fortitudine ac auxilio reportauerat, victoriis ſtimulabatur, ut bellum tam ſecundo Marte inchoatum proſequi conſtitueret. Præterea Eugenius Papa, Veneti, Genuenſes, & Philippus Burgundiæ Dux validam claſſem ad intercipiendum Turcis tranſitum in Europam Regi obtulerunt, & Joannes Paleologus Græcorum Imperator viribus ſuis quamvis imparibus, negotium illis in Thracia ſe facturum promiſit. Nec defuit Caramaniæ Princeps, qui bellum in Aſia Amurati inferret, cum interea Chriſtiani eum in Europa, acriter infeſtante Scanderbego, perſequerentur. Denique omnes, quorum intererat, ad arma convolabant, ſolis Polonis diſſidentibus, qui pulſis ex Hungaria Turcis, infeſtas Tartarorum incurſiones veriti, Regem ſuum in Poloniam revocare ſtudebant, ut regni negotiis utilius proſpiceret. An. 1444.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

ret. Verum suffragiis plurimorum prævalentibus decreta est in Hungaria prosecutio belli, missaque ex Italia classis septuaginta Triremium, cui præfectus est Cardinalis Condulmerius Papæ nepos, qui in Hellespontum navigans, portus occupavit, subsidiariis Turcarum copiis transitum intercluſurus.

§. LXXIII.

Amuratis consilia de pace cum Christianis pangenda.

Bonfin. 3. dec. 6.

Crom. l. 21.

Bellico hoc apparatu territus Amuratis, ut tot tantosque Principes in sui perniciem conspirantes, quibus par esse diffidebat, dissiparet, serio pacem inire meditabatur, cui antehac tam odio Christianæ Religionis, quam Imperii sui latius protendendi cupiditate stimulatus, nunquam aures præbere voluerat. Jubebat, Socero suo Despotæ Serviæ, quem non solum principatu, sed & liberis suis exuerat, si pax ejus opera sanciretur, utriusque restitutionem clam promitti. Georgius speciosæ hujus pollicitationis lenociniis allectus, rem cum Huniade communicavit, quem promissis quadraginta millibus aureorum, & nonnullis oppidis, quæ in Hungaria ancipiti jure occupabat, ad pacem inclinavit, ipsumque Poloniæ Regem, jam aliunde prosequendi

quendi hujus belli tædio affectum, facile ad ſuas partes induxit. Ergo, dolente quidem ad hæc vehementer Juliano Cardinale, induciæ in decennium pactæ ſunt his conditionibus; Amurates Bulgariam teneat; cetera omnia in illis terris ab eo occupata illis reſtituat, quorum juris ante bellum fuerant. Captivis etiam ſua utrinque libertas concedatur præprimis vero Georgii Deſpotæ Serviæ Filii liberi dimittantur. Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. LXXIV.

Fœdus cum Amurate.

Cum autem ventum eſſet ad pacta firmanda, & Turcæ peterent, ut prolata in medium ſacra Evchariſtia Ladislaus juraret, hoc ne fieret, omnino reſtitit Polonus quidam nomine Gregorius, poſtea Epiſcopus Leopolienſis. Igitur Rex ſuper Evangeliorum libro, Turcæ autem ſuper Alcorano jurarunt. Jcto hoc fœdere, & præſtito utrinque Sacramento, Condulmerii Cardinalis, qui in Helleſponto Claſſi præerat, literæ allatæ ſunt, in quibus ſignificabat, Amuratem ex Europa cum omnibus copiis in Aſiam adverſus Caramanum trajeciſſe, proin occaſionem maxime opportunam offerri, nullo negotio recuperandi, quicquid Turcæ ſuo imperio

Sæcul. XV. A. C. 1444.

in Europa subjeciſſent. Præterea ad Regem Ladislaum perſcripſit, fidei, ſponſionisque Principibus Chriſtianis factæ memor, & ipſe cum ſuis copiis accurrere feſtinaret, cum ceteri Principes, ſua quisque auxilia jamjam præmiſiſſent. Allatæ ſunt pariter Joannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani literæ, in quibus ille idem belli negotium urgebat, ſignificans, ſe non ſolum oblatas ſibi a Turcis pacis conditiones repudiaſſe, ſed etiam hoſtilia illis arma ultro intuliſſe. Ea enim, quæ ab Oratore Turcico in induciis promiſſa fuiſſent, merito ſuſpectæ fidei eſſe habenda, & Turcas certe proxima occaſione opportuna, neglecta juramenti religione denuo arma ſua in Chriſti fideles converſuros, nec omnino committendum, ut glorioſa initia non minus vecordi, quam criminoſa negligentia fœdarentur.

§. LXXV.

Actum de rumpendo fœdere priusjurato.

His itaque intellectis, atque perpenſis, cunctos Principes rationum momentis devictos haud modica facti pœnitentia inceſſit; cum clare eorum oculis obverſaretur, quod totius Chriſtiani orbis ludibrio, ac contemptui ob turpe hoc fœdus

fœdus seſe exponerent, eoquod fidem suam prius obstrinxissent Eugenio Pontifici, Joanni Palæologo Imperatori, Græcis omnibus, simulque Latinis, qui omnes petita, atque promissa ab eis auxilia jam præsto habebant. Insuper animo suo volutabant, quod absque summæ perfidiæ nota ceteros Principes in discrimine, in quod eos pellexerant, luctantes relinquere haud possent. Præter hæc apparebat opportuna quædam rumpendæ concordiæ causſa, cum & ipsi Turcæ quorundam pactorum fidem haud servassent, eoquod nec captivos ad constitutam diem liberos dimisissent, nec urbes ab eis occupatas reddidissent.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

Phranz, l. 1. c. 18.

§. LXXVI.

Oratio Juliani Cardinalis fideles ad rumpendas inducias inducturi.

Itaque Julianus Cardinalis Legatus, cum Principes suspensos hærere cerneret, an inducias servare, an bellum restaurare satius esset, opportunam inde capiebat occasionem, ut magno animi ardore, ac eloquentiæ vi exercitus Christiani Ducibus, quid egerint, ante oculos poneret, „videtis modo, inquiebat, in quantum „malorum cumulum vos præceps consi„lium conjecerit, dum pacem cum infida „Turcarum Natione pepigistis, & violata

Bonfin. ibid. l. 6. dec. 3. p. 483. edis. Basil. fol. 1568.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

„fide fœdus cum Papa, aliisque Principibus jurato antea initum rescidistis, „idque exiguæ admodum utilitatis gratia, ut Mysiam diu misere depopulatam „recuperaretis, quæ rursum ad breve „tempus intercipi potest. Quare cum alterum hoc fœdus cum Turcis recens „pactum honori ac existimationi vestræ „non modicam inurat labem, majusque „bono Ecclesiæ damnum inferat, absque „hæsitatione alterum hoc fœdus rescindite, ne infringatis primum illud, quod „cum Eugenio Pontifice maximo, Joanne Palæologo, cum Græcis & Italis iniistis. Quid enim, prosequebatur Cardinalis, respondebitis Imperatori Constantinopolitano, qui juxta promissi fidem jam dudum excubat in castris, & „vestrum in tanta opportunitate expectat exercitum? quid Eugenio Papæ, „quid Venetis & Genuensibus, qui classem jamjam instructam habebant? quid „Burgundionibus, qui ardore fidei excitati ex Oceano diu solverunt, & tot pericula maris emensi, jam in Hellesponto „infidelium vires frangere parati navigabant, responsuri estis? Adfui quidem „& ego, addebat idem, dum execrabile „id fœdus cum Christiani nominis hostibus ictum fuerat: verum quantum in „me fuit, ne id fieret, intercessi, illud improbavi, & instantissime damnaui; sed „quod

„quod aliquantulum a meo fervore re- Sæcul. XV.
„miserim, Huniadis sapientia & auctori- A. C. 1444.
„tate, ac Georgii Despotæ commisera-
„tione victus; ac ne commodorum po-
„puli Hungarici, & vicinarum gentium op-
„pugnator audirem, tristis & invitus ces-
„seram, haud inscius, hinc salutem Chri-
„stianæ Reipublicæ labefactari, spemque
„gloriæ, & immortalitatis extingui.
„Quare vos adhortor, ut antequam per-
„fidiæ vestræ rumor longius sese effun-
„dat, vosmetipsos ab hac infamia vin-
„dicetis.

§. LXXVII.

Legatus pacta servari cupientium timores dissipat.

Cum vero violati fœderis, & quidem *Gobelin. Pers. comm.*
Sacramenti Religione firmati pro-
brum non pauci Christiani sibi objectari timerent, & conscientiæ stimulis agitati fluctuarent, Legatus illis animum addidit, dicens: „Fas est quandoque publi-
„cæ salutis gratia, neque stare pactis,
„bono communi contrariis, neque per-
„fidis fidem servare. Equidem jusju-
„randum justitiæ, ac veritati innixum,
„omnium judicio religiose servandum:
„quod autem non modo in privatum, sed
„& publicum cedit exitium, illud irri-
„tum ac vanum esse debet. Displicet

Sæcul. XV. A. C. 1444.

„Deo ſtulta & infidelis promiſſio; nefari-
„um & deteſtabile eſt, Pontificis, &
„Chriſtiani fœderis violare ſanctitatem,
„Deus, ſi aliter fiat, accerrimus violatæ
„fidei vindex erit: Nihil Chriſto Domi-
„no gratius, ipſisque Principibus glorio-
„ſius eſſe poteſt, quam occupatas a Tur-
„cis Provincias a dira illorum ſervitute
„vindicare; & fœdus cum illis non ſine
„Fidei ac Religionis damno initum re-
„ſcindere: hanc igitur, eamque oppor-
„tuniſſimam occaſionem haud negligite;
„ea enim, nulla unquam commodior ob-
„venire poterit: Ac, ne Rex Poloniæ,
„Proceresve ſe teneri timeant jurisju-
„randi Turcis præſtiti Religione, ab ea
„illos auctoritate Pontificis, cujus Lega-
„tione fungor, liberatos declaro.“ Nec abs re; Eugenius enim, Ænea Sylvio teſte, cum non ſine magno animi ſui dolore inducias cum Amurate pactas intelligeret, datis ad Julianum Cardinalem literis profitebatur, hoc fœdus, utpote ſe inconſulto ac inſcio concluſum, omnino nullum eſſe, hinc a ſe Regi Ladislao, ut illud infringeret, in mandatis datum, illumque a ſui juramenti vinculo abſolutum iri. Demum eundem Cardinalem adhortabatur, ut bellum reſtaurari, tam precibus, quam minis curaret, tandemque pro felici armorum ſucceſſu omnes ingenii ac eloquentiæ vires exereret, ne tot

Æn. Sylv. Europ. c. 5.

tot tamque magnanime cœpta consilia suo frustrarentur effectu. Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. LXXVIII.

Sententia de Bello in Turcas restaurando.

Hæc Cardinalis Legati oratio tanta vi adstantium animos commovit, ut per totius sermonis decursum nil nisi strepitus eorum audirentur, qui arma Turcis inferri deposcebant, etiamsi minus prospero Marte res eventurae essent; satius enim fore, exclamabant omnes, pro Christiana Religione dimicando occumbere, quam prodita eorum, qui tanto studio pro illius conservatione arderent, fide, indecoram vitam trahere. His nec Despota Serviæ, nec Huniades multum obluctari videbantur, ille futuræ victoriæ, ac recuperandæ suæ ditionis spe allectus, hic Regno Bulgariæ post felicem belli exitum potiundi sponsione stimulatus.

§. LXXIX.

Bellum contra Turcas a Rege Poloniæ motum.

Postquam igitur decretum sublati fœderis, quod nuper cum Turcis initum erat, ad Joannem Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum, & ad Car-

Sæcul. XV. A. C. 1444.

Cardinalem Venetum Eugenii Papæ Nepotem Classis Præfectum, transmissum fuerat, Rex Poloniæ die vigesima prima Septembris Segedino castra movit, copiis tamen paucioribus, quam anno superiore, non paucis Polonis atque Valachis ob vulgatas cum Turcis inducias exauctoratis. Trajecto ad Orsavam Danubio, expositoque in Bulgaria exercitu, nec ullius arcis obsidionem tentare, nec ad prædam milites discurrere, aut hostibus insultare Rex patiebatur. Constituerat enim, nec tempus perdere, nec vires suas præcipiti ausu consumere, priusquam conjungeret se cum navalibus copiis ad Hellespontum. Nonnisi Nicopolis Bulgarorum Metropolis suburbana oppugnabantur, eoquod suas ab incolis divitias illuc advectas esse, rumor sparsisset. Verum Poloni cum urbs milite ac mœnibus strenue defensa esset, ab oppugnatione cessarunt, atque iter suum prosecuti sunt.

§. LXXX.

Valachiæ Princeps Regem Poloniæ a bello dehortatus.

Princeps Valachiæ magnitudine animi, ac rebus præclare gestis oppido celebris, contra Turcas, quorum arma absque alio exterorum auxilio diu sustinuerat, ad expeditionem Regis Poloniæ

niæ accurrit, ſpe fretus, domitis vicinis hoſtibus, ſe quoque in ſua ditione reliquos vitæ dies pacate transacturum. Verum, ubi exiguum militum, quos Ladislaus ducebat, numerum animadvertit, Regem omnimodis obteſtari cœpit, ut a bello deſiſteret, & ne ultra contenderet adverſus Turcarum Imperatoris potentiam, qui, ut inquiebat, cum validiore propemodum mancipiorum manu venatum prodire ſoleret, quam Hungaricæ tunc eſſent copiæ: cum & inſuper ſævitia hyemis inſtaret, cujus rigorem vix ſuperare poſſet: ac proinde ad opportunius tempus Legiones reſervandas, & interim ſubſidiarios exterorum milites ſibi promiſſos exſpectandos eſſe ſuadebat. Cum autem Princeps Ladislaum Regem utpote ſpe ſuppetiarum Græcorum & Italorum fretum, a ſuſcepto conſilio reuocari non poſſe cognoſceret, quatuor millia equitum, proprio ſuo Filio Duce, copiis Regiis adjiciens diſceſſit. In Thraciam deinde Rex exercitum ſuum ducebat, ubi in itinere quædam Turcarum præſidia diripienda militibus conceſſit. Sævitum eſt etiam ab iis per ſummam licentiam in templa, & ſacra Græcorum atque Bulgarorum, non ſine intimo Regis dolore, qui in ſacrilegi furti reos inquiri, caſtigari, ac injuſte ablata reſtitui juſſit.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. LXXXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1444.

§. LXXXI.

Amurates Europam ingreſſus, Chriſtianis occurrit.

Crucii Turco græc. lib. 1.

Amurates inducias a Chriſtianis ruptas comperiens, haud minore ſtudio ingentem exercitum inſtruere cœpit, & primas eo curas intendit, ut ſuperato Helleſponto in Europam penetraret, Chriſtianorum copias aggreſſurus. Et vero res ipſi ex animi ſententia ſucceſſit. Quippe allatæ fuere a Cardinale Veneto claſſis Præfecto literæ, nuntiantes Ladislao, Amuratem vel eluſis arte, vel auro corruptis militibus, qui arctiſſimas Helleſponti fauces infra Gallipolim obſervabant, ingenti multitudine cunctas copias ſuas reduxiſſe in Europam, necnon conjunxiſſe cum aliis, quæ non procul ab Iſthmo in Thraciæ Cherſoneſo convenerant. De hoc tranſitu non eadem eſt Scriptorum ſententia. Bonfinius teſtatur, quod Genuenſes, cum Turcæ anguſtas haſce fauces declinata Chriſtianorum claſſe, transire penitus deſperarent, cunctis militibus liberum aditum vendidiſſent, pacto unius aurei pro ſingulis pendendi pretio. Qua ratione Turcarum exercitus in Europam penetraverit, non equidem explicat Chalcondyles, niſi quod dicat, cum animo agitarent Turcæ, qua arte

Bonfin. hiſt. Hung. decad. 6.

Chalcondyl. l. 6. ſub fin.

arte poſſent Chriſtianæ claſſis impetum evitare, dum in anguſtias Helleſponti perveniſſent, ab ipſis non amplius claſſem inventam, quoniam vehementiſſimo vento de repente exorto pulſa alio fuiſſet, ſicque Turcarum copias remoto ulteriori obice facile trajeciſſe. Æneas Sylvius in quadam epiſtola ad Epiſcopum Papienſem ſcripta narrat, quosdam aſſerere, Turcarum Imperatorem copias ſuas Genuenſium navibus transvexiſſe: ſe tamen hujus facti veritatem fide ſua teſtatam nolle, nec ſibi perſuaderi poſſe, Genuenſes tanta tamque indigna avaritia correptos, ut Chriſtianorum ſanguinem pecunia vendere præſumerent, niſi, ſubjungit idem Scriptor, eos diabolus, ſicut Judam Iſcariotem ſibi ſubjecerit.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

Æn. Sylv. epiſt. 18.

§. LXXXII.

Amurates Chriſtianorum copiis Varnæ obviam progreſſus.

Sed utut hæc ſint, id certum eſt, Amuratem, ſic penetratis Helleſponti faucibus, magnis itineribus obviam Chriſtianis proceſſiſſe, eisque apud Varnam Mæſiæ inferioris urbem ad Pontum Euxinum occurriſſe, hoſtemque ad pugnam provocaſſe. Ladislaus Rex, quamvis in ſiniſtro crure vomica laboraret, nihilominus ingenti pugnandi auiditate flagrabat, nec

Naucler. generer. 49. *p.* 465.

Sæcul. XV. A. C. 1444

nec ejus impetum retardabat Julianus Cardinalis, qui ſecurius fore cenſebat, ſi Chriſtianorum caſtra prope montem foſſa, & vallo munirentur, donec hoſtium vires exploratæ, ac perſpectæ fuiſſent, certusque nuntius de claſſe, & Græcis haberetur: Plures quoque alii in Cardinalis ſententiam abierunt. Ex adverſo tamen Huniades & Georgius Deſpota replicabant, ſibi plusquam ſatis compertas eſſe Turcarum vires, quibus ſolemne eſſet copiarum ſuarum numerum plus juſto extollere, nec inde Hungaris, quorum virtus univerſo Orbi abunde comprobata foret, quidquam timendum, etiamſi Sultani potentia adverſus eos conſurgeret. Prævalente utriusque hujus Ducis temerario prorſus conſilio, poſtridie in aciem deſcendere ſtatutum eſt. Verum cum uterque exercitus propius concurreret, Huniades tam inſolido hoſtium numero conterritus, Regi Ladislao, ut certaminis diſcrimen declinare, ac ſeſe recipere vellet, auctor extitit. Huic Rex in reſponſis dedit, ſera nimis ejus eſſe conſilia, ſatius fore virili fortitudine incertæ pugnæ periculum facere, quam certo dedecore infamem fugam arripere, ſimulque eidem faſtuoſos ipſius ſermones, quibus pridie jactabundus uno hiatu Turcas devorare videbatur, concitatiore animo exprobrabat, omnesque arma

ma sumere, atque ad prœlium paratos esse jubebat. Commissa igitur eidem Huniadi aciei, ordinumque dispositione, non nisi octodecim, vel, ut quidam volunt, viginti millia Christianorum numerata fuere, Turcarum copiis ad sexaginta & amplius, vel etiam juxta quorundam Scriptorum fidem, ad centum millia ascendentibus, initumque est prœlium decima die Novembris in vigilia Sancti Martini. Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. LXXXIII.

Prœlium Varnense inter Christianos et Turcas.

Ergo non minori fortitudine, quam diuturna pugnantium pertinacia utrinque commissum est prœlium. Vix prima Christianorum acies obvia quæque Turcarum perruperat, cum Amurates sinistro hoc facto conterritus, confestim fugam arripere, arenaque excedere constituit, quem tamen officiales sui fugientem, arrepto equi freno cohibuerunt, mortem minitati, ni abjecta vecordia strenue ad pugnam rediret. Restaurato igitur prœlio, & furore utrinque animi ardorem acuente, diu ancipiti Marte pugnatum est, victoria nunc ad Christianos, nunc ad Turcas inclinante, tandem vero Ottomanis accessit, ubi & Chri- *Naucler. generer. 49. p. 466.*

Sæcul. XV. A. C. 1444.

ſtiani immodico hoſtium ſuorum numero oppreſſi, nonniſi, ut ſibi ferro fugæ viam aperirent, dimicabant.

§. LXXXIV.

Ladislaus Poloniæ Rex in prælio occiſus.

Ladislaus juvenili audaciæ & victoriæ ardore animatus confertiſſimis hoſtium turmis ſeſe ingerebat, & necquicquam eum retrahente Huniade, cunctis obviis dextra, lævaque proſtratis, ad Janiſaros, ut vocant, penetrabat, atque in collem, ubi Amurates caſtra poſuerat, temere impingebat. Quo factum, ut Juvenis Princeps vigeſimo ætatis ſuæ anno necdum expleto, a ſuis derelictus, confoſſo equo, inter medios hoſtium enſes ceciderit, iisque non tam cæſus, quam obrutus occubuerit, cujus caput abſciſſum, haſtæque infixum Turcæ in partæ victoriæ trophæum omnium oculis expoſuerunt.

Tum demum hoſtiles copiæ, quæ hucuſque de victoriæ gloria deſperabant, reſumpto animo illos, a quibus paulo ante in fugam acti erant, retrocedere compellebant. Refert Bonfinius, Amuratem, cum ſuos ingruente prœlio titubare, ac terga vertere cerneret, initi fœderis literas e ſinu ſuo extraxiſſe, atque in-

Bonfin. l. c.

intentis ad cœlum oculis exclamaſſe: *Hæc ſunt Chriſte Jeſu fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſerunt, per nomen tuum ſancte jurantes. Nunc ſi Deus es, tuas, measque hic injurias te quæſo ulciſcere &c.* Vix hæc effatus, inquit idem author, Chriſtianorum exercitus debellari cœpit. Nihilominus ſi Huniadi par animus, ac Ladislao Regi fuiſſet, haud dubium, quin ea dies & Amurati vitam, & forte poſteris ejus imperium Græciæ abſtuliſſet; verum ille, ut ex nonnullorum Hiſtoricorum relatione diſcimus, ſimulac Chriſtianorum ſigna cedere conſpexerat, confeſtim cum decem millibus, partim Hungaris, partim Valachis ex acie ſe ſubtraxit, & nequidem ſalutato Rege fugam importuno admodum tempore arripuit; nondum enim victoria certo in Turcas propendebat: forte id ab illo ideo factum, quod diuturna, quam ex variis bellis hauſerat, experientia edoctus, re conclamata ſatius eſſe judicaverit, reſiduam exercitus partem fuga ſalvare, quam integrum infauſto Marte amittere. Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. LXXXV.

Ladislai cadaver honeſtæ ſepulturæ Amuratis juſſu traditum.

Amurates corpus Ladislai Regis in hoc infauſto certamine occiſi, in ipſo pu-

Sæcul. XV. A. C. 1444.

gnæ loco magno honore sepulturæ tradi jussit erecta ad tumuli pedem columna, cui omnia juvenis hujus Principis longiori vita digniſſimi facinora, atque fortunæ casus inscribi præcepit.

§. LXXXVI.

Huniades in Valachia comprehensus.

Phranz. l. 2. cap. 19.

Despota Serviæ, comperta suorum clade, mature auffugit. Huniades vero, Hungariam versus sumpto itinere, in Valachia captivus detinebatur, paucis tamen post diebus muneribus auctus libere dimissus est, qui denuo in Hungariam summa celeritate se recepit, ne per mortem Regis novi tumultus ibidem excitarentur.

§. LXXXVII.

Juliani Cardinalis obitus.

Occubuit etiam Julianus Cardinalis in hac pugna; quo tamen fato, varia est Historicorum fides, incertumque, an in castris, siue inter fugiendum cæsus, vel denique, cum per Danubium veheretur auri pondere, quod secum ferebat, oppressa navi submersus fuerit. Scriptores quidam rem ita referunt: Julianus, dum post sinistrum prœlii eventum auffugerat, & jamjam Turcarum acies eva-

evaserat, in quorumdam tamen Hungarorum latronum manus incidit; quorum nonnulli Cardinalem, cum equum prope stagnum potaret, agnoscebant, & magna auri vi instructum arbitrati, dejectum equo necabant, ablatisque vestimentis nudum feris, atque volucribus in prædam relinquebant. Hic exitus Viri fuit certe maximi, & benignioris fortunæ dignissimi, quem tamen Scriptores velut omnium horum malorum Auctorem acriter perstrinxerunt. Exploratum equidem habemus, eundem violati fœderis tam sancte jurati prope unam exstitisse caussam, proin totius ferme exercitus cladem ipsi imputandam. Numerabat eo tempore nonnisi quadragesimum sextum ætatis annum, & Zeli sui ardore, ac profunda eruditione, quam præcipue in Græcorum disceptationibus Florentini Concilii tempore monstravit, amplissimam gloriam adeptus est, majorem habiturus, si suos intra limites permanere noviset.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

Gobel. Pers. comm. l. 12. Æn. Sylv. epist. 8. Chalcond. lib. 7.

§. LXXXVIII.

Imperator comperta Turcarum victoria de conservanda unione desperans.

Joannes Palæologus infelix Græcorum Imperator, cum subsidia adversus Amuratem sibi mittenda desperaret, nec

Sæcul. XV. A. C. 1444

de unione, nec de Latinorum fœdere amplius cogitabat, minus vero ultra schismati palam sese opponere audebat, veritus, ne Turcæ in suspicionem adducerentur, quod ideo ejusdem Religionis vinculo unitus Latinis accederet, ut Græcos in Amuratis perniciem ad sua studia pertraheret. Quinimo haud erubuit pacem a Sultano poscere, quam ille victoriæ suæ gloria modeste usus, roganti ultro concessit, & inviolabili fide toto vitæ suæ curriculo servavit. In Amuratis enim laudem cedit, quod nequaquam superbiæ, aut crudelitatis vitiis deditus fuerit; quippe parta hac victoria, quæ sane alterius cujusque Herois animum jactantiæ typho inflare potuisset, ipse nequidem hilarem vultum, ut antea assueverat, ostendit: interrogatus vero, quare tristior esset: nollem, respondit, hoc modo sæpius vincere; quapropter neglecto victoriæ cursu ad sua revertebatur, reliquos vitæ dies Adrianopoli, ubi & mortuus est, in pace transacturus.

Æn. Sylv. cap. 5.

§. LXXXIX.

Sessio I. Concilii Florentini Romam translati.

Eugenius Papa, qui eo tempore Romæ agebat, summo animi mœrore recentem Christiani exercitus cladem percepit,

cepit haud ignarus, unico hoc fatali casu omnem spem, cunctamque operam, quam ad Turcas ex Europæ finibus eliminandos tanto studio impenderat, in irritum cecidisse. Nihilominus tamen benignissimus Deus optimum Patrem novo perfudit gaudio, dum indefessam ejus curam, atque immensos labores, quibus remotissimas quasque Nationes ad Sinum Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis obedientiam revocare conatus est, prospero juxta ac glorioso successu coronavit. Quippe sub idem tempus Abdala Edessæ Archiepiscopus Romam venit. Hic illinc, ut veræ Religionis Mysteria hauriret, missus erat ab Ignatio Patriarcha Syrorum, cunctarumque gentium, quæ Regiones Tygrim inter & Euphratem sitas incolebant, necnon Græcorum, atque Eutychianorum erroribus infectæ erant. Postquam igitur ille fidei doctrinam rite edocebatur, Eugenius Florentinam Synodum, quam ad Lateranense Palatium transtulit, Romæ congregavit, & Sessionem, quæ post dictam translationem prima est, die trigesimo Septembris, anno Pontificatus sui quarto decimo habuit.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. XC.

Decretum unionis Syrorum cum Ecclesia Romana.

Collect. Conc. Labbei tom. 13 p. 1222. & seq.

In hac igitur Sessione Eugenius evulgavit

Sæcul. XV. A. C. 1444.

vit Decretum, quo immortales Deo gratias egit, quod post unionem Græcorum, & conversionem Jacobitarum, tandem etiam Syri Ecclesiæ Romanæ denuo aggregari exoptarent, subditque, se nonnullos Cardinales, & Doctores Concilii delegisse, qui cum præfato Archiepiscopo Abdala de erroribus illius Nationis conferrent, ab his quoque eum fuisse inventum de fide, & moribus per omnia recte sentientem, tribus duntaxat exceptis Articulis.

§. XCI.

Articuli in Decreto contenti.

Concernebant illi Processionem Spiritus Sancti, duasque in Christo naturas ac totidem in illo voluntates, & operationes, de quibus, cum plene edoctus fuisset Archiepiscopus, catholicam quoque in iis contentam veritatem cum summa demissione professus est. Postea subjungit Decretum, *quod idem Eugenius Papa sacro approbante Concilio, rectam Fidei de iisdem Articulis Formulam eidem Archiepiscopo tradiderit declarans, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio æternaliter esse, & essentiam suam, suumque esse subsistens ex Patre simul & Filio, & ex utroque, tanquam ab uno principio & unica spiratione procedere: Dominum Jesum Christum perfectum*

fectum esse in Deitate, & perfectum in Humanitate; atque in duabus Naturis, inconfuse, incommutabiliter, & indivise agnoscendum, non in duas personas divisum, sed unum & eundem Dei & Hominis Filium. In eodem Christo Domino, vero Deo, & vero Homine, duas esse naturales operationes inconfuse, & indivise, duas etiam naturales voluntates, unam divinam, alteram humanam, non contrarias, sed humanam subjectam Divinæ: humanam ejus voluntatem Deificatam esse, non peremptam, sed salvatam magis atque perfectam, in proprio sui statu & ratione semper permanentem.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. XCII.

Conventus Norimbergenſis.

Mense Novembri, præstituto tempore Norimbergæ habitus est Imperii Principum Conventus. Cumque Veredunensis Episcopus Burgundiæ Ducis Orator magnopere suadere conaretur, ut Imperator repudiata neutralitate Eugenio Papæ adhæreret, placuit Friderico, ut inprimis ipse quatuor Viros suo nomine, quilibet vero Elector duos, & alius quivis Princeps unum seligerent, qui auditis Eugenii ac Felicis Oratoribus, eorumque rationibus utrinque ponderatis providerent, nequid Respublica Christiana detrimenti pateretur, sed firma ac stabi-

Æn. Sylv. 87. in fin. & comm. lib. 1.

Æn. Sylv. ep. 65. & 71.

Sæcul. XV. A.C.1444.

ſtabilis pax Eccleſiæ redderetur. Decretumque fuit, ut ad ambos Pontifices mitterentur, qui eos ad novum Concilium quamprimum convocandum adhortarentur, niſi forte alia via commodior, & ad extirpandum ſchiſma aptior inveniri poſſet. Novus quoque Conventus anno ſequenti Francofordiæ celebrandus indicebatur, pro antiquo Germanorum Principum more, qui comitiis nondum abſolutis, mox alia indicere ſolent. Non ergo ſublata fuit Neutralitas, qua durante a Locorum Ordinariis beneficia conferebantur.

Monſtrelet. Vol.2.c ult.

§. XCIII.

Cardinalis Angelotti cædes.

Angelottus divitiis auctus, avaritiæ deditus audierat, eumque, cum quondam pomeridianæ quieti indulgeret, adoleſcens ejus cubicularius, quem a puero velut Filium nutrierat, opes illius aucupandi cupiditate excæcatus trucidavit. Ille, ut ſicariæ hujus cædis ſuſpicionem eo callidius a ſe amoliretur, Domini ſui mortem inſolito prorſus dolore plangere ſe ſimulabat; nihilominus quibusdam etſi levioribus duntaxat indiciis reum prodentibus, carceri datur, brevique facinoris confeſſio, quæ tormentorum acerbitate extorqueri non poterat, blandis verborum

borum lenociniis prolectata est. Non deerant, qui afferere haud dubitabant, hunc hominem, etsi impacti criminis reus esset, rem tamen fortiter, probeque egisse, eoquod genus humanum a sordida hujus Prælati avaritia liberasset. In hosce laqueos infelix ultro delapsus, crimen suum fatebatur, eodemque anno die decima octava Aprilis suspensus, in quatuor partes, quæ ad præcipuas Urbis portas appensæ sunt, dissectus est. Vix non eodem tempore Eusebius Caymus Nobilis Mediolanensis in Cathedrali Ecclesia Mediolani, jussu Philippi Ducis, trucidatus occubuit, afficto crimine, quod Ducis secreta Francisco Sfortiæ Genero suo ac Veneti exercitus Ductori prodidisset. Sæcul. XV. A.C. 1444.

§. XCIV.

Sancti Bernardini Senensis obitus.

Hoc eodem anno die vigesima Maji S. Bernardinus Senensis Aquilæ in Vestinis, sive ut vocant, in Aprutio ex hac vita migravit. Pater ejus itidem Senensis ex pervetusta Familia de Albicescbis, Tollus nuncupabatur, qui Massam in Tuscia perveniens, in eadem civitate sedem fixit, uxoremque duxit Neram cujusdam Nobilis Viri Filiam. Bernardinus primam lucem aspexit Anno salutis *Platin. & Ciacon. in Eug. IV.*

Sæcul. XV. A.C. 1444.

salutis milleſimo trecenteſimo octogeſimo, & tertio ætatis ſuæ anno Matre, ſexto demum utroque Parente orbatus, ſub cura cujusdam Matronæ materteræ ſuæ educandus remanſit, donec tertium decimum attingens annum, per Patruos ſuos Senas advocaretur, ut Grammaticæ ſub Onuphrio, Philoſophicis vero diſciplinis ſub Joanne Spoletano operam daret. Paulo poſt ſocietati *Diſciplinatorum*, in magno Hoſpitali S. Mariæ de Scala in civitate Senarum adſcribi curavit, ubi eximio Charitatis fervore, ac pietatis ſtudio peſte laborantibus ſervitium ſedulamque operam exhibuit, nec tamen proprium ſuum corpus miris vitæ auſteritatibus affligere ceſſavit. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo in monaſterio de Columbario prope Senas Regulam FFr. de Obſervantia S. Francisci profeſſus eſt, & ſuſceptis poſtmodum ſacris Ordinibus Sacerdotio initiatus, totum ſeſe prædicando Dei Verbo impendit. Plures novos in Italia ſui Ordinis Conventus erexit, & veteres ad antiquam revocavit diſciplinam. Tandem Commiſſarius Terræ ſanctæ Hieroſolymam mittebatur, ſed paucis ex poſt annis in Italiam reverſus geminato fervore in prædicationis officium incubuit, atque ut Fidelium corda erga Servatorem noſtrum magis inflammaret, ſolemne illi fuit

S. Bern. vit. per Joan. Capiſtr.

Sæcul. XV. A. C. 1444.

fuit ſacratiſſimum JEſu nomen in quodam circulo radiis ſolaribus cincto deſcribere, ac curare, ut ejusmodi figuræ complures efformarentur. Non defuere, qui nomini ejus invidentus, ipſum erronea in ſuis ſermonibus in vulgus ſpargere dicebant, eumque ad ſummum etiam Pontificem deferebant, adeo, ut Martinus V. multis, gravibusque accuſationibus pulſatus, illum in jus vocaret, ejusdemque libros aliis examinandos committeret, qui tamen omnia ejus ſcripta fidei orthodoxæ apprime conſona judicabant; quapropter a Papa benevole auditus, ab omni criminum objectorum nota immunis declarabatur, conceſſa eidem ſui Miniſterii munia libere proſequendi facultate. Præterea Senenſes, Ferrarienſes, & Urbinatenſes miſſis ad Papam Eugenium IV. Oratoribus Bernardinum ſibi Antiſtitem præfici optabant, ſed Vir ſanctus oblatam dignitatem, quamvis ab ipſo Pontifice inſtanter rogaretur, conſtanti animo reſpuit, nec aliud, quam munus Vicarii Generalis Fratrum de Obſervantia pro tota Italia acceptavit, in quo lapſam inſtituti diſciplinam revocavit, & trecentos ferme Conventus a fundamentis erexit. Nicolaus V. eundem ſexto poſt obitum anno, Sanctorum Cœtui annumerandum cenſuit Anno Jubilæi milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo.

S. Bern. Sen. Vita per Joan. Capiſtr.

ibid.

Hujus

Sæcul. XV. A. C. 1444.

Hujus Sancti Doctoris opera in quatuor tomos nonnisi tractatus morales ac asceticos complectentes divisa exstant, quibus insertum habetur duplex, ut vocant, *Quadragesimale*, quos tamen sermones ob diversitatem styli ex ejus calamo profluxisse, negant Critici. Præter editionem Venetiis anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo factam, alia Parisiensibus literis Anno sexcentesimo trigesimo quinto supra millesimum duobus majoris formæ voluminibus excusa habetur.

§. XCV.

Actum de pace Franciam inter & Angliam.

Cum ambo Reges, Gallus, Anglusque ob diuturnum bellum viribus, & animo fracti essent, Henricus VI. ex ceteris primus pacis fundamenta jacturus, de conditionibus egit, consensitque, ut urbs quædam Gallorum imperio subjecta nominaretur, in qua conventus agi deberet. Seligebatur ad sanciendam concordiam Turonium, ad quam urbem convenere Regis Angliæ nomine Comes Suffolciæ, & Robertus de Rore. Ablegabat Burgundiæ Dux Joannem Crojum Hannoniæ Prætorem: A Rege autem Franciæ illuc Decreti fuere Dux Aurelianensis, Vindocinen-

cinensis Comes, Petrus Brezeus, & Bertrandus de Beauveau. Sæcul. XV. A C.1444.

§. XCVI.

Induciæ in Turonensi conventu pactæ.

Joan. Chartier. hist. Car. VII.

Ast cum eadem obstacula, quæ olim pacem impediebant, necdum e medio sublata essent, ægre unius anni induciæ obtineri poterant, quæ a die quinta decima Maji inchoatæ, nihilosecius usque ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum octavum subinde prorogatæ fuerunt, pacto etiam connubio, quo Margarita Renati Andegavensis Ducis Filia Angliæ Regi jungeretur.

§. XCVII.

Galliarum Regis copiæ extra Regni fines in aciem ductæ.

Franciæ Rex, cum copias suas plurimum auctas cerneret, paucasque inducias haud fore diuturnas pertimesceret, illas a signis dimittere nec poterat, nec debebat. Quapropter eas ad exteram belli expeditionem e Regno educere constituit; nec illi deerat occasio e re nata. Jam dudum enim Fridericus Imperator, & Sigismundus Austriæ Dux illius frater adversus Helvetios subsidiarium

Secul. XV. A.C. 1444

rum petebant militem, Renatus quoque Andegavenſis a Metenſibus debitas ſumi pœnas poſtulabat, eoquod pluribus injuriis ab eis affectus fuiſſet. Præterea Montbelligardenſis Prætor ſæpius ferente bello Franciæ regiones infeſtis armis invaſerat, hujus ergo temeritatem Rex plectere decrevit. Inde igitur ſat ampla offerebatur occaſio, ut exercitum ſuum extera expeditione occupare poſſet. Hanc ob cauſſam Delphinus præter octo Anglorum millia, qui ſeſe illi adjunxerant, eumque ſupremum exercitus Ducem venerabantur, ſuas quoque copias ferme quatuordecim millia equitum, peditumque quamplurimos prope Lingonas contraxit, accepto negotio, ut primo ad Montis-Belligardi oppidum tenderet, indeque Baſileam urbem aggrederetur, ut incuſſo armorum metu Synodi Patres ad tollendum ſchiſma compelleret, demum vero in Helvetiorum Pagos prædatum excurreret. Vix Delphinus Monti-Belligardo caſtra admoverat, dum illico hujus urbis Dominus illius poſſeſſionem ei ad annum conceſſit. Poſt hæc exercitus, tranſmiſſo per Cæſarem, & Auſtriæ Ducem itineris ductore, in loco Argentinam inter & Baſileam caſtra poſuit, & plurima oppida cepit.

§. XCVIII.

§. XCVIII.

Sæcul. XV. A.C. 1444.

Helvetii a Gallis cæsi.

Basileenses urbem vallis, fossisque muniebant, collectisque Helvetiorum sex millibus toto impetu in primam Gallorum aciem irruebant; attamen certamine jam ad quartam horam protracto, & quatuor millibus suorum cæsis, reliqui salutem caro satis pretio redimere compellebantur. Delphinus, quia mediam aciem a loco certaminis satis remotam ducebat, pugnantes Gallos præsentia sua animare haud poterat.

§. XCIX.

Ingens terror a Delphino Basileensis Synodi Patribus incussus.

Comperta Helvetiorum clades totam quaquaversus regionem incredibili timore percellebat. Delphinus copias suas Basileam versus promovens, Leprosorum domum unica leuca ab urbe dissitam adoriebatur, & octingentos Helvetios, qui illud munimentis firmaverant, una omnes gladio confecit; infausto tamen fato suum itineris ducem in conflictu trucidatum amisit. Insuper valida quædam Helvetiorum manus Basilea erupit, Gallorum exercitum obruturа, ast sinistro Marte dimicans, cæsa fugataque est, desidera-

Monstrelet. vol. c. 1. Æn. Sylv. ep. 87. Naucler gener. 49. p. 469

Sæcul. XV. A C 1444.

tis ſuorum mille, ac trecentis & amplius captis. Iterata hac clade ingenti Baſileenſis urbis incolæ, longe majori tamen Patres Concilii terrore perculſi ſunt, veriti, ne Delphinus collatis cum Eugenio conſiliis, eos, omnesque hujus Synodi ſocios comprehenderet, captosque abduceret. Quocirca ad hunc Principem ſuos Delegatos unacum civitatis Oratoribus decernebant, cujus legationis præcipui erant Arelatenſis, & S. Calixti Cardinales, unacum quatuor Epiſcopis, totidem Nobilibus, duodecim Doctoribus, ac pari numero civibus eos comitantibus. Hi omnes Delphinum deprecabantur, ne cum toto exercitu, ſed nonniſi ſuis familiaribus ſtipatus, urbem ingrederetur, viciſſim vero pollicebantur, ſe Auſtriæ Duci ſatisfacturos oblatis conditionibus, quas ipſe quoque, eo tempore Delphini copiis præſens, gratas ratasque habuit.

§. C.

Fœdus Gallos inter & Helvetios.

His ita compoſitis, exercitus quidem Baſilea diſceſſit, fœde tamen agros depopulatus eſt. Delphinus quinto jam menſe in urbe commoratus, concluſo cum Helvetiis fœdere, inde profectus eſt, accepto Regem Nancæi adeundi mandato.

to. Hæ pacis conditiones cum Helvetiis initæ, Encisheimii die vigesima octava Octobris, appositio utriusque partis sigillo, firmatæ fuerunt. Secul. XV. A.C.1444.

Delphinus, Regem Nancæi conventurus, iter suum per Montis-Belligardi oppidum instituit, interea vero Prezæus Prætor Pictavienſis urbem Metensem obsidione cinxit. Jam septimum mensem tenuerat hæc oppugnatio, quæ unice in gratiam Renati Andegavensis Lotharingiæ Ducis susceptа erat. Incolæ, cum Gallos hyemis rigore necquidquam remorante, urbem capere omnino decrevisse cernerent, Nancæum ad Regem alios destinabant Legatos, supplices, ut Rex a cæpto consilio desisteret; cum nullum ipsi jus ad hanc urbem competeret, utpote nullatenus Franciæ Regis dominio obnoxiam.

§. CI.

Aliud concordiæ pactum cum Metensibus.

Minus benigne excepti sunt Metensium Legati, quibus Joannes Rabotavius Regii Senatus Præses paucis respondit, invictis omnino argumentis probari, quod urbs Metensis Galliarum Regum imperio subesset, cujus juris auctoritate nixus Rex eandem sibi tradi juberet. Accepto responso Metenses quantocius alios

Sæcul. XV
A. C. 1444

designabant Oratores ampliſſima facultate inſtructos, ſalva tamen ſemper hac conditione, ut civitas alienæ non ſubderetur Dominio, & ejusdem libertates ac privilegia intacta ſervarentur. Rex tam Metenſium conſtantia victus, quam exercitus ſui adeo diuturnam obſidionem pertæſi languore compulſus, poſtulatis eorum acquievit, ea lege, ut quidem ad deditionem urbis ſuæ nequaquam adſtringerentur, nihilominus tamen ad refundendas obſidionis expenſas Regi ducenta aureorum millia numerarent, omnes bello captos absque redemptionis pretio libertati aſſererent, & Renato Andegavenſi Lotharingiæ Duci dimitterent centum millia aureorum, quam pecuniam Metenſibus debebat, & potiſſima ejus parte a Burgundiæ Duce libertatem ſuam redimebat.

§. CII.

Turmæ Cataphractorum a Rege Gallo erectæ.

Hiſce concordiæ articulis utrinque ſubſcriptis, ac executioni mandatis, Rex exercitum ab urbe diſcedere juſſit, & militibus ſtipendio ex pecuniis, quas nuperrime receperat, ſoluto, omnibus copiis ſuis miſſionem dedit, retentis duntaxat mille quingentis, ex quibus quinde-

cim

cim centuriæ efformarentur, quarum singulis suus præficeretur Centurio, & armatorum cuilibet sextuplum numeraretur stipendium, scilicet, pro se, tribus equitibus sagittariis, uno sicilato, & alio ephebo seu famulo. Sicilatum vocare consueverant, mutuato nomine a quadam gladii specie, qua præcinctus erat, quæve sica dicitur, & ab aliis pugionibus distinctam referebat formam. Hæc erat nova militaris ordinis constitutio, quam in progressu Historiæ cataphractorum turmas appellabimus. Rex adhuc Nancæi hærebat, cum eum Trevirensis Archiepiscopus, & Comes de Blankenheim Helvetiorum, & urbium Germaniæ fœderatarum nomine convenirent, cum illo fœdus inituri, quod etiam felici auspicio confectum est. Præterea Rex cum Principibus Saxoniæ pactum sanxerat, quo quivis alterius hostem invadere, alterumve a quocunque hoste tueri adstringeretur, exceptis summo Pontifice, Hispaniæ, Siciliæ, Scotiæ Regibus, & Sigismundo Austriæ Duce, qui Radegundem Galliæ Regis Filiam matrimonio sibi junxisset, nisi hujus Principissæ mors nimium præmatura nuptias intercepisset. Sæcul. XV. A.C.1444.

Sæcul. XV. A.C. 1444

§. CIII.

Suffolciæ comes nomine Regis Angliæ Filiæ Regis Siciliæ desponsatus.

EAdem tempestate Suffolciæ Comes Nancæum venit, nomine Regis Angliæ Margaritam Regis Siciliæ Filiam desponsaturus, quod connubium in Turonensi conventu prius pactum ingenti jam pompa celebratum fuerat.

§. CIV.

Epistola Sultani Ægypti ad Regem Daniæ.

Spond. ad an. 1444. n. 24

ISaccus Pontanus in sua Historia rerum Danicarum refert, Christophoro Daniæ Regi a Sultano Ægypti seu Babyloniæ Filiam fuisse in conjugem oblatam, datis hac super re literis, quæ ingenti titulorum, ac laudum copia, qua hanc Principissam celebrabat, confertæ erant. Meminit Sultanus se Regi misisse munera, nimirum vas aureum puro balsamo plenum; Inter alia hæc scribit: *Miramur, & quod obedis magno Sacerdoti Romanorum, cum etiam Dii nostri tibi prosperitates faveant. Eapropter scias in brevi nos te visitare. Datum Babylone super Nilum &c,* Hanc epistolam fuisse confictam,

ctam, tot produnt indicia, ut merito ejus fides in dubium vocari queat, præcipue, cum omnes Hiſtorici alto ſilentio oblatas haſce Sultani nuptias prætereant, & unanimi voce teſtentur, quod Chriſtophorus Daniæ Rex anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto uxorem duxerit Dorotheam Marchionis Brandeburgenſis Filiam. Sæcul. XV. A. C. 1444.

§. CV.

Ladislaus, puer adhuc quinquennis Rex Hungariæ proclamatus.

Rege Ladislao in Varnenſi clade extincto, orta eſt magna diſſenſio in Hungariæ, & Poloniæ Regnis, propter ſucceſſoris electionem. Ac primo quidem Hungari, qui nuper Ladislaum puerum Alberti, & Eliſabethæ Filium poſt Parentis ſui obitum repudiaverant, nunc cum in eis priſtinus erga poſtremum Regem ſuum affectus reſuſcitaretur, & aliunde plurium ad hanc coronam adſpirantium ambitionem refrænari vellent, juvenem hunc Principem ad regnum revocarunt, qui, quamvis necdum quintum ætatis ſuæ annum emenſus fuiſſet, tamen maximæ ſpei, & optimi Regis indicia præſeferebat. Cum vero imbecilli ætate præpeditus, ſolus tanto regno adminiſtrando impar eſſet, nec populum, a quo *Thuros. cap. 44. & 45. Bonfin. 3. Dec. 7. Dubrav. l. 28.*

Sæcul. XV. A.C.1444.

quo electus fuerat, matura satis prudentia regere posset, delectus est in Regni Gubernatorem Joannes Huniades, nominis sui fama longe celeberrimus. Ergo Hungari ad Fridericum Imperatorem Regis sui Patruelem, in cujus aula Ladislaus educabatur, præcipuos Regni Proceres ablegant, qui ab eo impetrarent, ut novus eorum Rex subditos præsentia sua honorare, ac cum illis in ipso Regno suo morari vellet. Verum Hungari hanc gratiam a Cæsare nec precibus, nec minis, imo nequidem armis, quæ Huniades contra ipsum eo ex capite movit, obtinere poterant; Friderico enim persuasum erat, Nepotis sui saluti nunquam satis consultum iri in gente, cujus indoles nimium inconstans & rara inter se animorum consensio esset.

§. CVI.

Poloni pro Regis electione congregati.

Michov l.4. n.58. Crom. l.22.

Poloni, cum falsis rumoribus seducti, Regem suum adhuc vivere, captumque in quadam urbe detineri crederent, in Thraciam, & Bulgariam Nuntios ablegarunt, qui de Regis sui fato certiora referrent. Attamen cum omnes exploratores tristem Ladislai obitum denuntiarent, Poloni Hungarorum exemplum secuti,

cuti, alium quoque Regni ſucceſſorem ſibi eligere meditantur, & primo Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, ut coronam acciperet, rogant, qui tamen collaudato eorum affectu reſpondit, Caſimiro Lithuaniæ Duci, defuncti Regis Fratri hujus dignitatis jura competere, nec ſine injuſtitiæ nota illum prætereundum; quam ob cauſſam Poloni ſua in eum vota contulerunt. Verum cum Caſimirus oblatum diadema nec recuſaret, nec protinus acceptaret, tum quod incerta adhuc fratris ſui mors eſſet, tum quod & Lithuani ægre eum a ſe avelli paterentur, aut denique, (quæ potiſſima erat ratio, quamque allegare non audebat) electionem longius protrahi cuperet, ut amplius deliberandi ſpatium lucraretur, Poloni moræ hujus pertæſi, anno proximo menſe Martio nondum evoluto Boleslaum Maſſoviæ Ducem Regem renunciarunt, ſeu verius, ſe eundem electuros declararunt, niſi Caſimirus ante Pentecoſten mutatæ voluntatis ſignum daret. Hæc Polonorum ſententia in publicis comitiis decreta non modice Caſimiri mentem turbavit, qui quidem datæ repulſæ pœnitentia ductus, nihilominus aliis rurſum tergiverſationibus negotium protelavit.

Sæcul. XV. A.C.1444.

Sæcul. XV. A.C. 1444.

§. CVII.

Æneæ Sylvii Legatio ad Eugenium.

Fridericus Imperator ex Conventu Norimbergenſi Æneam Sylvium, quem a ſecretis habuit, Romam decrevit, ut Eugenii Papæ mentem ad novum Concilium pro extirpando ſchiſmate celebrandum inclinaret. Sylvius quidem demandata ſibi provincia functus eſt: ſed Eugenius noluit petitioni acquieſcere, eo quod diceret, id non eſſe pacem Eccleſiæ procurare, ſed majorem diviſionem, ac ſeditionem concitare. Æneas Papæ gratiam eo certius aucupaturus, initio ſermonis de iis, quæ in favorem Baſileenſis Synodi adverſus Eugenium verbis, ſcripto, aut opere peccaſſet, ſubmiſſe veniam petiit, qua facile obtenta paulo poſt ab Eugenio itidem Secretarii munere auctus eſt, haud tamen propterea dimiſit Cæſaris ſervitium. Poſtmodum anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo ſub nomine Pii II. ad ſummi Pontificatus apicem evectus, palam recantavit omnia, quæcunque alibi iniquiore calamo adverſus Eugenium ſcripſiſſet, ac præterea a Papa ad Concilium appellandi licentiam lege ſancita coercuit, quo

Æn. Sylv. comm. lib. 1. & epiſt. 98.

quo facto retractationis suæ sinceritatem plurimum commendavit. Sæcul. XV. A.C. 1445.

§. CVIII.

Chaldæi & Maronitæ in obsequium Eugenii Papæ reversi.

Perseverabat adhuc Concilium Florentia Romam ab Eugenio translatum, in quo die septima mensis Augusti habita est Congregatio Generalis; advenerant quippe Chaldæorum atque Maronitarum Delegati, nimirum Timotheus Tharsensis Archiepiscopus, Metropolita Chaldæorum Cypri Nestorianus, & Elias Episcopus Maronitarum, Eugenio Papæ obedientiam professuri, seque Concilii judicio subjecturi. Condidit Papa decretum, in quo narrabat, quomodo post celebratam in œcumenico Concilio Florentino Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali unionem, ac Armenorum, & Jacobitarum reductionem, Andream Archiepiscopum Colossensem ad partes Orientis & Cypri Insulam destinasset, ut & Græcos ibidem degentes in susceptа fide confirmaret, & Hæreticos, quoscunque ibidem inveniret, ad veritatis semitam reduceret, præcipue vero Sectatores Nestorii, nec non Macarii, quorum prior purum hominem Christum asserebat, alter vero unicam in Filio Dei voluntatem profitebatur. Posthæc exposuit

An. 1445.

Collect. Conc. Labbe to. 13. p. 1225.

Sæcul. XV. A.C. 1445.

posuit Papa, quod idem Archiepiscopus tam strenue horum Hæreticorum conversioni insudaverit, ut Timotheum Archiepiscopum Tharsensem, & Eliam Episcopum Maronitarum cum universo eorum clero, & populo ad rectam fidem perduxisset, adeo, ut hi duo Præsules solemnem professionem emissuri Romam accesserint. Nihil ultra Eugenio deesse videbatur, quominus omnes Orientales ad sinum Ecclesiæ Romanæ redirent, quam ut ipsius decreta in ejusmodi partibus reciperentur. Ast in vanum tam pii Pontificis abiere conatus; hi enim sectarii ab eo tempore nec minori pertinacia errores suos tuebantur, nec Catholicam Religionem nunc minori odio quam antea prosequuntur.

Conc. Gener. ibid.

§. CIX.

Nicosiensis Archiepiscopus ab Eugenio nominatus, sed a Cypriis repudiatus.

Bos. Histor. Rhod. tom. 2. l. 6.

Dum interea Cyprii Hæretici in ipsorum Insula Pontifici obedientiam profitebantur, ejusdem Insulæ fideles Christiani Eugenio parere reluctantur, ac non modo Nicosiensis Archiepiscopatus possessionem Galesio, cui eum summus Pontifex contulerat, denegant, sed etiam Nuncium ea de re ad illos a Papa missum in

in carcerem conjiciunt, imo ad eam temeritatem prolabuntur, ut ipsum quoque Galesium Insula pellerent, qui Rhodum se conferre compulsus est, ubi tamen magnus Equitum Rhodiorum Magister a Pontifice monitus rem composuit, vel potius id præstitit Regis Cypri uxor, fœmina Græca, quæ Marito suo longe superiorem dominatum quasi & dictaturam in Insula exercebat; illa enim cum Rege egit, ut Galesium admitteret, & Pontificis Nuncium liberum dimitteret. (*) Sæcul. XV. A.C 1445.

§. CX.

(*) Continuator hanc concordiam opera conjugis Regis Cypri conciliatam fuisse scribit, cum tamen Spondanus in Contin. Baronii ad ann. 1444. n. 5. eidem huic fœminæ Archiepiscopi expulsionem attribuat, ex Bos. Historia Rhodiorum hæc referens: *Rex Insulæ Nuncium in carcerem conjecit, & Galesium Insula pepulit. Quod tamen non tam a Rege, qui pene nihil erat, quam ab ejus conjuge fœmina Græca, quæ regnum administrabat, & ritum Latinum ab Ecclesiis exterminaverat, proveniisse putamus. Ceterum Rhodiorum Magister egit cum Rege, ut Galesium admitteret, &c.*

Sæcul. XV. A. C. 1465.

§. CX.

Bononienſium turbæ, Annibal Bentivolius trucidatus.

Sub idem tempus Bononia inteſtinis motibus graviter agitata eſt; funeſtæ enim diſſenſiones ſuboriebantur inter potentiſſimas Bentivoliorum, & Cannetulorum familias, quibus Gislerii quoque ſe adjunxerant. Bentivolii, quamvis e Picinini tyrannide in libertatem ſeſe aſſeruiſſent, nec propterea tamen tranquilla magis fruebantur aura, civilibus diſſidiis undique vexati, ex quibus Annibalis Bentivolii crudeliſſima cædes nata eſt, adeo, ut nec affinitas, quam cum illis contraxerat, inimicorum ſuorum ferociam cohibere poſſet. Subjecerat is ſuæ poteſtati urbem Bononienſem, ſuorum fautorum auxilio ſuffultus, ac ejusdem imperium tenuit usque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum quintum, quo die vigeſima quarta Junii in Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ, cum quemdam parvulum e ſacro lavacro ſuſcepiſſet, interfectus eſt. Teterrimi hujus ſceleris Auctores erant Cannetuli, & Gislerii, qui ſub amicitiæ redintegrandæ obtentu Annibalem rogabant, ut pro Infante ex eorum familia recens nato ad ſacrum fontem Sponſor fieret.

S. Antonin. tit. 22. cap. 11

ret. Turpiſſimum hoc juxta ac atrociſſimum facinus eousque concitavit populum, ut in primo æſtu Joannem Baptiſtam Cannetulum in ſuo latibulo deprehenſum in fruſta concideret, alios ejusdem criminis conſortes captos brachiis, ac cruribus mutilaret, eorumque corpora in quatuor partes diſſecta patibulo affigeret. Annibali Patri ſucceſſit Joannes Bentivolius hujus nominis ſecundus ſub tutela cujusdam ſibi ſanguine junĉti educatus, qui tamen nonniſi cruentis conſiliis ſeſe in imperio firmaverat, cum plures ex Malveziorum familia trucidari, & Mareſcottos urbe expelli juberet, eoquod tam hos, quam illos ſecreto in ipſum conjuraſſe comperiſſet.

Sæcul. XV. A. C. 1445.

Æn. Sylv. Epiſt. 3. & cap. 53. de Europa.

§. CXI.

Antonii Corarii Cardinalis obitus.

Meliori fato ſublatus eſt hoc eodem anno Papiæ Antonius Corarius, Venetus, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis ſacri Collegii Decanus, & Papæ Gregorii XII. Nepos. Hic unus erat ex Fundatoribus Congregationis ſanĉti Georgii in Alga; Vir morum innocentia, Virginitatis laude, ac omnium ſuorum beneficiorum abdicatione longe celeberrimus. Ardebat ſumma in pauperes charitate, in quos tam liberaliter omnes ſuas opes erogavit, ut

Platin. in Eugen. IV.

Sæcul. XV. A. C. 1445.

ut vix sibi, quo tenuiter viveret, retineret. Gregorius Papa Patruus ejus illum ad Cardinalium Collegium adscivit, Anno supra millesimum quadringentesimo octavo, & primo in Franciam, demum in Germaniam Legatum decrevit. Dicitur scripsisse Historiam rerum sua ætate gestarum, quæ hactenus inedita exstat Venetiis in Bibliotheca Ecclesiæ S. Georgii Canonicorum Regularium, quorum institutum ipsemet hic Cardinalis unacum Eugenio IV. & Laurentio Justiniano olim professus est.

Ciacon. in Greg. XII. & Eug. IV.

§. CXII.

Joannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani obitus.

Naucler. gener. 39. p. 470.

Joannes Manuel Palæologus Imperator Constantinopolitanus eodem quoque anno die trigesima prima Octobris naturæ debitum solvit, spe frustratus unionis inter Græcos stabiliendæ, quam tamen tot laboribus impigre suscoptis promovere studuerat. Ita nempe, divina providentia ob fines suos altissimos humanæ cognitioni impervios permittit, ut non raro justissima, ac optima consilia optato destituantur successu. Reliquit imperium vere dilaceratum, quod partim formidanda Turcarum potentia, ac summa Græcorum imbecillitate, partim funestis

Sæcul. XV. A.C. 1445.

neſtis diſſenſionibus in Imperiali familia graſſantibus extreme erat deſolatum. Quippe quatuor Joannis Fratribus ſine prole decedentibus, ceteri duo natu majores Conſtantinus, & Demetrius inter ſe de imperio contendebant, Conſtantino illud jure primogenituræ ſibi vendicante, Demetrio autem natalium ſuorum prærogativam obtendente, eoquod ipſe Manuele Patre ſuo ad ſolium jamjam evecto genitus eſſet.

§. CXIII.

Amurates a Græcis circa Imperatoris electionem in conſilium vocatus.

Populus Conſtantino, utpote animi moderatione, ac ingenuitate Fratrem ſuum longe ſuperanti favebat; cum vero Demetrius non minorem pro ſe haberet factionem, Græci, quem eligerent, ab Amurate conſilium quærebant, perinde ac ſi ipſe jam tum Dominus & Imperii arbiter eſſet.

§. CXIV.

Conſtantinus Joannis Palæologi frater imperii Succeſſor.

Amurates delatam ſibi Conſtantinum, quem potiſſima urbis pars Imperatorem renuntiaverat, confirmandi auctoritatem

Sæcul. XV. A. C. 1445

tatem lubenti admodum animo acceptabat: hæc res, quo magis prosperum felicitatis futuræ eventum Turcis, eo magis funestum Græcis præsagire videbatur. Igitur Constantinus factus est Imperator magis, ut Imperium finiret, quam ut regeret; ferme enim nihil amplius restabat, quod administraret, præter urbem ipsam, cui vel soli defendendæ non supererant vires.

§. CXV.

Mors Panormitani Archiepiscopi.

Dupin. Biblioth. tom. 12. in 4to. pag. 98.

Eodem quoque anno celeberrimum Abbatem Panormitanum, cujus frequentem in Historiæ nostræ decursu mentionem fecimus, pestis violentia e viuis eripuit. Vir erat æuo suo in Decretorum scientia longe versatissimus, prout evidenti testimonio comprobant ejusdem lucubrationes, quas de Basileensi Synodo ad posteros transmisit. Ipsus quoque omnium in hac Synodo gestorum potissimam habuit partem, sed non modicam quoque animi sui inconstantiam prodidit, cum Eugenio Papæ modo faveret, modo rursus adversaretur. Scripsit commentarios in quinque libros Decretales, in epistolas Clementinas, & in earum glossas; item centum octodecim consilia, & septem quæstiones; necnon Thesaurum

rum Canonicum, ac denique tractatum pro Concilio Basileensi adversus Eugenium Papam, in quo historicam exhibet seriem omnium, quæ in hoc Concilio a tempore, quo Florentiam translatum est, usque ad Eugenii exauctorationem gesta fuere. Sæcul. XV. A. C. 1445.

§. CXVI.

Concilium Rothomagense.

Hoc anno die quinta decima Decembris Radulphus Rousselius Archiepiscopus Rothomagensis in Palatii Archiepiscopalis capella cum suis Suffraganeis Provinciale celebravit Concilium, in quo decreta quadraginta & unum de disciplina ecclesiastica, atque moribus condita fuere. Eorum præcipua libros artium magicarum, Blasphemias, juramenta, dæmonum invocationes, necnon debitas pro recipiendis sacris Ordinibus & prædicando Dei Verbo dispositiones concernunt. Agitur quoque in iis de obligatione semel in anno peccata sua proprio confitendi Sacerdoti, sacramque recipiendi Synaxin, prohibetur itidem, larvata, ut certis temporibus moris erat, facie Ecclesias intrare, aut quicquam pro administratione Sacramentorum pro benedictionibus, vel pro literis Ordinum recipere; Insuper præcipitur, ut Scho-

Conc. gener. Labb tom. 13. p. 1303. Bessin Conc. Norm. pag. 184 & seq.

Sæcul. XV. A.C. 1445.

læ Perſonis ſcientia, & morum integritate probatis committantur; beneficia idoneis, ac bene meritis conferantur; promovendi ad S. Ordines examinentur, atque ab eisdem titulus verus, vel patrimonii, vel beneficii requiratur, arcentur quoque turpes pactiones pro Miſſis celebrandis; omnes Clerici decentibus veſtibus, ac eorum ſtatui congruis incedere, & Archidiaconi ſuos Archidiaconatus perſonaliter viſitare jubentur. Proſcribitur præcipue in Clericis ebrietas, & publicarum tabernarum acceſſus, concubinatus, & cohabitatio cum mulieribus. Septimus articulus præcipue notatu dignus eſt, eoquod eorum condemnat ſuperſtitionem, qui *turpis quæſtûs gratia* imaginibus Beatiſſimæ Virginis ſpecialia indunt nomina v. g. *Beata Virgo de recuperata ſalute, Beata Virgo de miſericordia, de ſolatio, de Gratia &c. Nam talia*, inquit canon, *ſunt occaſio ſuperſtitionis in multis, quaſi ſit plus in una imagine, quam in alia.* Hæc eſt ſumma ſtatutorum in primis viginti duobus articulis comprehenſa.

In vigeſimo tertio injungitur ordinariis locorum, ut moneant ſuos officiarios, ne ceteros in pecuniarum exactione ultra condignum gravent, & in vigeſimo quarto, ne excommunicent aliquem, niſi in ſcriptis, aut niſi alias legitime conſtiterit,

terit, quod fuerit citatus. XXV. prohibetur ſubditis, ne cum excommunicatis participent in cibo, cohabitatione, aliisque commerciis. XXVI. interdicitur uſura, & Perſonis Eccleſiaſticis negotiatio. XXVII. inhibetur Clericis, ne ſuos contractus coram ſæculari judice firmari procurent. XXVIII. excommunicantur homicidia voluntaria perpetrantes, latrones, incendiarii, & viarum inſidiatores, qui, ſi absque pœnitentia deceſſerint, ſepultura Eccleſiaſtica privari jubentur. XXIX. prohibetur in Eccleſiis fabulari, aut cauſſas profanas tractare durante divino ſervitio. XXX. interdicitur in ſacratiſſima nocte Nativitatis Domini taxillorum luſus, ac cetera diverticula minus honeſta. XXXI. præcipitur Prædicatoribus ac Confeſſariis, ut exhortentur populum ad decimas ſolvendas. XXXII. agitur de ſpeciali Clericorum veſtitu. XXXIII. jubentur ſacræ reliquiæ expleto ſervitio divino in locis honeſtis reponi, Eccleſiæ claudi, & cæmeteria a terra profana diſtingui. XXXIV. agitur de reformatione Religioſorum, atque Monialium S. Benedicti, S. Auguſtini, & aliorum. XXXV. præcipitur, *ut in ſingulis tam virorum, quam mulierum conventibus in aliquo loco idoneo ſit tabula, in qua vulgariter, & ad longum annotetur regula, quæ profiteri conſuevit.* XXXVI.

Sæcul. XV. A. C. 1445.

Beſſin. Conc. Norm. pag. 187. & ſeq.

Sæcul. XV. A. C. 1445

jubentur Abbates, atque Priores, ut omnes suos subditos frequenter convocent, & absentes singulis diebus Mercurii quatuor temporum congregent, necnon eisdem regulam, quam profitentur, extensius dilucident. XXXVII. monentur etiam, ut subditos suos ad omnia in eorum regula contenta fideliter observanda persæpe exhortentur. XXXVIII. eis injungitur, ut sua capitula juxta eorum regulam celebrent. XXXIX. Visitatoribus, atque Provincialibus ea, quæ muneris sui sunt, præscribuntur. XL. agitur de supplenda Prælatorum negligentia. Tandem in quadragesimo primo statuto monentur fideles, ut pro pace & unione Christianorum Principum instanter Deum exorare velint.

§. CXVII.

Rex Franciæ Nancæo Catalaunum profectus.

Jo. Chart. Histor. Caroli VII.

Carolus VII. Galliarum Rex, Nancæo relicto Catalaunum contendit, ubi satis longam traxerat moram, diversas dijudicaturus causas. Convenerat ibi Regem Burgundiæ Duciffa, litem, quæ inter Maritum suum, & Siciliæ Regem exorta erat, motura. Hæc non solum quasdam urbes, quas Dux occupabat, sed etiam redemptionis pretium, quod Rena-

Renatus Andegavensis Duci persolvere pollicitus fuerat, repetiit. Rem composuit Carolus VII. Duciſſæ præcipiens, ut Renato Siciliæ Regi Novum-castrum, & Claromontium in Argonnia restitueret, eidemque lytrum remitteret, ea tamen lege, ut Renatus Valcaſſaliam in Flandria Burgundiæ Duci cederet. Habebatur quoque mentio Atrebatensis tractatus, cujus quosdam articulos utrinque violatos fuiſſe proponebatur. Deciſa etiam fuit cauſſa Armeniaci Comitis, qui in Insula Jordani captivus detinebatur; hujus enim Delegati Catalauni exiſtentes, cum Comiti non solum bonorum ſuorum proſcriptionem, ſed forte ipſius quoque capitis pœnam imminere intelligerent, implorata Regis clementia, Domino ſuo veniam dari enixe rogarunt. Rex eorum precibus expugnatus, adhibitis omnibus ſecuritatis neceſſariæ cautelis, eundem priſtinæ bonorum ſuorum poſſeſſioni reſtituit, ac in gratiam recepit. Sæcul. XV. A. C. 1445.

§. CXVIII.

Mors Margaritæ de Scotia Galliarum Delphinæ.

Cum Rex Catalauni ageret, Delphina Margarita de Scotia, Jacobi I. natu major filia, ingenti totius aulæ luctu vivis erepta eſt, ac perſolutis de more juſtis

Sæcul. XV. A. C. 1445

stis, Rex unacum Regina atque Delphino Catalauno digressi Senones petiere.

§. CXIX.

Valentinensis & Diensis Comitatus Delphinatui conjuncti.

Eodem anno Valentinensis & Diensis Comitatus Delphinatui conjuncti referuntur. Ludovicus enim Pictavienſis, cujus utraque erat ditio, ſuſcipiendæ prolis ſpe fruſtratus, anno milleſimo quadringenteſimo decimo nono Carolum tum regnantem, illo autem tempore Delphinum, condito teſtamento hæredem ſcripſit, ea tamen lege, ut numeratis quinquaginta aureorum millibus æs alienum, quo teſtator gravatus erat, ſolveret, illiusque legatis ſatisfaceret, qua conditione non expleta, ad Amadæum VIII. Sabaudiæ Ducem hæreditaria ſucceſſio transiret. Itaque Delphino legem exequi prætermittente, Amadæus utriusque Comitatus poſſeſſionem die vigeſima quarta Auguſti Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo adiit, Rectoremque præfecit. Aſt Galliarum Rex initis cum Anglorum Rege induciis, juris ſui proſequendi opportunitatem, atque vires adeptus, duos hos comitatus ſibi reſtitui, a Sabaudo poſtulavit. Res vtrinque ſerio agitabatur, & tan-

tandem Bajonnæ die tertia Aprilis pactionis capita erecta sunt, quæ aliquo post tempore Caini ab ipso Rege ratihabita fuere; Ludovicus Amadæi Filius prætensum jus suum Ludovico Delphino penitus cessit, qui vicissim Faciniacensis ditionis dominium directum ac plenam jurisdictionem in eundem transtulit. Huic tamen tractatui Delphinus non nisi post biennium Genevam profectus accessit. Sæcul. XV. A. C. 1445.

§. CXX.

Rex induciarum otio abusus, voluptatibus deditus.

Rex Franciæ ab itinere suscepto domum redux, cum induciarum securitatem in rem suam verteret, hortorum suorum amœnitate fruebatur, & voluptatibus, otio, variisque delectationibus liberalius indulgebat, adeo, ut quandoque necessariis rerum, regnique curis deesset. Ex adverso Rex Angliæ Princeps erat animo moderatus, cupiditates suas refrænandi studiosus, pius, Dei timore plenus, ac liberali indole præditus, licet hebetioris esset ingenii, nimiumque a Conjugis suæ arbitrio penderet. *Monstrelet. Vol. 3.*

Sæcul. XV.
A. C. 1445.

§. CXXI.

Gloceſtriæ Comes a Rege Angliæ necari juſſus.

Hæc fœmina Renati Andegavenſis Ducis ac Siciliæ Regis filia, audax erat, & ad quævis audenda ſexu ſuo majora proclivis, cumque ipſa ſola ſupremum in Regno ambiret imperium, ſiniſtram Regi opinionem de Humfredo ejus avunculo, Gloceſtriæ Comite ingeſſit, nigrisque coloribus ejus mores, regnique adminiſtrationem depinxit. Rex nimia credendi facilitate deceptus, primo Comitem ſuis dignitatibus, atque officiis exuit; cum vero ejus æmuli Reginæ gratiam aucupaturi, Humfredo plurima objeciſſent crimina, quæ tamen ille a ſe idonea defenſione depulit, demum etſi ejus innocentia omnibus comprobata eſſet, nihilominus noctu comprehenſus, clam laqueo ſuffocatus eſt; non enim illum palam ob metum populi, qui facile cædis hujus nuncio ad ſeditionem concitatus fuiſſet, necare auſi ſunt. Obierat ille magna cum integritate & laude, qua per viginti quinque annos Regnum adminiſtrabat. Nefando hoc facinore Regina tam funeſtam omnium Anglorum invidiam in ſe concitavit, ut illam e medio tollere decernerent, ne & ipſi de ſalute ſua periclitarentur.

§. CXXII.

Sæcul. XV.
A. C. 1446.

§. CXXII.

S. R. I. Electorum comitia Francofordiæ.

Cum Eugenius Theodoricum Colonienſem, & Jacobum Trevirenſem Archiepiſcopos, atque Electores, eo quod papalam Felici ac Baſileenſi Synodo faverent, dignitatibus ſuis exuiſſet, ideo S. R. I. Electores hujus exauctorationis cauſſam diſcuſſuri, apud Francofordiam convenere, atque in hanc ſententiam conſpirarunt, quod hi duo Archiepiſcopi Eugenii depoſitionem a Baſileenſibus attentatam omnino ratam haberent, niſi Papa judicium in hos Præſules a ſe latum irritum declararet, onera Nationi Germaniæ impoſita tolleret, necnon auctoritatem Conciliorum, prout Conſtantiæ deciſum fuerat, profiteretur; quocirca Legatos ſuos hac ſuper re ad Cæſarem decreverunt, qui hæc Electorum conſilia illi ſoli, & ſex ejusdem Conſiliariis exponerent, ſimulque rogarent, ut & ipſe concordi cum eis opera Legatos Romam mitteret.

Æn. Sylv. comm. l. 1. Antonin. tit. 22. c. 11. §. 17

§. CXXIII.

Æneas Sylvius ad Eugenium a Cæſare ablegatus.

Ad hæc Fridericus reſpondit, ſe in ean-

Secul. XV. A. C. 1446. eandem cum eis sententiam abire, moxque eo consilio missurum se Legatum ad Eugenium Papam, qui eundem oraret, ut eorum precibus & ipse morem gereret. Decrevit itaque Imperator Legatum, quem a secretis habebat, Æneam Sylvium, qui Eugenio suaderet, ne S. R. I. Electorum postulata negligeret, maxime vero, ut exauctoratis Archiepiscopis pristinam redderet dignitatatem; sic enim fore, ut Germani una omnes depositio neutrius partis studio ad ejus obsequium redirent: alioquin timendum, ne perpetuæ divisionis scandalum in Ecclesia oriretur, ex quo funesta oppido mala pullulare possent.

Æneas Sylvius demandata sibi provincia exacte defunctus erat, atque Eugenius facturum se omnia, quæ Imperator, atque Electores suasissent; fideque integra piis eorum consiliis pro pace Ecclesiæ adlaboraturum promisit. Quam ob rem Eugenius Thomam Bononiæ Episcopum ad Philippum Burgundiæ Ducem ablegavit, qui eundem induceret, ut ultro utriusque Archiepiscopi restitutioni consentiret. (*) Consulto Pontifex

(*) Observes velim, summum Pontificem in hoc solo articulo S. R. I. Principibus morem gessisse, non autem in iis, quæ Continuator §. priori

fex hunc Ducem præ cunctis interpellavit; ejus enim potissimum intererat hæc causa, eoquod Nepos ejus in Coloniensis, frater vero illius (licet spurius) in Trevirensis locum suffectus esset. Sæcul. XV. A. C. 1446.

§. CXXIV.

Alius conventus Francofordiæ habitus.

Cum Eugenius tam benevole Principum votis obsecundasset, non modice eorum gratiam sibi conciliabat; quapropter alium conventum ad initium Septembris ejusdem anni Francofordiæ celebrarunt; Intererant idem Thomas Bononiæ Episcopus, & Joannes Carvajalus, ambo Pontificis Legati. Miserunt quoque Basileenses Cardinalem Arelatensem, aliosque. In hisce comitiis post crebras vtrinque altercationes demum ad Æneæ Sylvii, aliorumque Friderici Legatorum preces, conscriptæ sunt quædam propositiones, quas si Eugenius ratas haberet, neutralitas in Germania tolleretur, solique Eugenio tanquam unico ac supremo Pontifici obedientia restitueretur. Capto hoc consilio Principes anno proximo ineunte ad Eugenium Papam Legatos decernebant. *Coch. hist. Hussit. l. 9. Platin in Eugen. IV.*

§. CXXV.

priori ab eis postulata fuisse narrat de auctoritate Conciliorum. Vide §. sequentem CXLIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1446.

§. CXXV.

Duo Cardinales ab Eugenio creati.

Æn. Sylv. comm. l. 1. Antonin. tit. 22. c. 11. §. 17

Sanctus Antoninus & Æneas Sylvius, qui hanc Francofordienſis conventus ſententiam nobis ſcriptam reliquerunt, narrant, Eugenium prædictos ſuos Legatos, eoquod rem bene feliciterque egiſſent, ad Cardinalatus purpuram promoviſſe, illisque Francofordia Romam redeuntibus, cum jamjam vrbem ingrederentur, rubros galeros obviam miſiſſe, ut ea dignitatis prærogativa aucti, in urbis ingreſſu auguſtiores apparerent. Equidem Thomas paulo poſt Eugenio in Pontificatu ſucceſſit, Carvajalus autem inſignibus legationibus proſpero ſemper ſucceſſu functus reperitur.

§. CXXVI.

Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus renuntiatus.

Eodem ferme tempore Eugenius ſanctum Antoninum nominavit Archiepiſcopum Florentinum, eumque ſuffecit in locum Bartholomæi de Zabarellis: Hic erat Nepos alterius ejusdem nominis Cardinalis, quem Cardinalem Florentinum vulgo appellare conſueverant; eoquod & ipſe urbis illius Archiepiſcopus

pus esset. Primam lucem aspexit S. Antoninus anno salutis supra millesimum trecentesimo octogesimo nono, & decimo sexto ætatis suæ anno Ordinem S. Dominici ingressus, postmodum pluries Prioris officio functus est in conventibus Romano, Neapolitano, Cajetensi, Cortonensi, Senensi, Florentino, Pistoriensi, Fesulano, aliisque Italiæ civitatibus. Adeo celebris est hujus Viri ad Sedem Florentinam electio, ut merito sibi in Historia nostra locum vendicet. Sæcul. XV. A. C. 1446.

§. CXXVII.

Qua ratione S. Antoninus ad Florentinum Pontificatum assumptus.

Cum Eugenius vacanti Florentinæ Ecclesiæ Virum undequaque dignum sufficere meditaretur, diu hæsitantem, seu potius inquietum reddebant artes, precesque importunæ eorum, qui ad eam dignitatem consequendam maxima ambitione ferebantur. Hi equidem omnes tam auctoritate, quam favoribus non modo in Curia Romana, sed & in urbe eminebant. Postulabant Florentini Virum gravem scientia, ac virtutibus ornatum, & imprimis urbis suæ Civem, a quo majores sibi spondebant fructus, cum talis subditi sibi gregis mores ac indolem magis compertam haberet. Justa & æqua *Baillet. Vit. Sanct. tom. 2. 10. Maji p. 183.*

Sæcul. XV A. C. 1446.

æqua hæc Florentinorum petitio Eugenio visa est, eorumque votis annuere decreverat. Jam novem vero menses anceps, suspensusque animo hærebat Pontifex, nec Virum muneri huic idoneum (ut optasset) reperire poterat. Tandem cum cuidam Dominicano in arte pingendi percelebri, quem ad elaborandum, nescio quid ad se vocaverat, Fesulis colloqueretur, pluribus conquestus eidem dixit: Cuncta totius Ecclesiæ negotia nos non tam vehementer urgent, ac Florentinis Archiepiscopum subrogandi sollicitudo, hac cura fatigati jam novem menses ferme insomnes manssimus; Florentini enim Virum doctum, sanctum, expertum, urbisque suæ civem postulant, omnes autem hasce præclaras dotes in uno solo congregatas reperire, quo magis est difficile, eo vehementiori sollicitudine cruciamur. Ad hæc Dominicanus Eugenio reposuit: Beatissime Pater omnium harum virtutum summam in solo Patre Antonino Provinciæ Neapolitanæ Vicario Generali reperies.

Eugenius, his auditis, veluti nebula ab oculis suis detersa, quem quæsierat, invenit, haud modica admiratione, ac stupore defixus, quod ipsus necdum oculos suos conjecisset in hunc Virum, cujus meritorum excellentia sibimetipsi antea pluribus argumentis perspecta erat, ipsus-

ipſusque vehementer mirabatur, quod ante omnes, quam primum Florentino populo Paſtorem ſufficere cogitaſſet, tanti meriti Vir ſibi in mentem non veniſſet. Ergo nil ultra hæſitans, Antoninum Archiepiſcopum Florentinum pronuntiat, quem Cives ingenti jubilo ac honore receperunt, atque Eugenium, quod adeo dignum ipſis Præſulem præfeciſſet, ſumma animi gratitudine deprædicarunt. Erat tum forte Antoninus ex cœnobii cujusdam viſitatione redux, cum ad eum hæc eſſet fama perlata. Ipſe vero quantocius firmum hanc dignitatem recuſandi propoſitum concepit, nec ultra Neapolim, cum ibi ſe occultum deliteſcere haud poſſe crederet, redire cogitavit, ſed a recto tramite deflectere cœpit, & nemini manifeſtato animi ſui conſilio ad mare Thuſcum iter direxit, in Sardiniam Inſulam properaturus, ut ibi, ſicut poſtea ex Nepote ejus intelligebatur, reliquo vitæ ſuæ tempore incognitus lateret. Nihil non egerat, ut Nepotem ſuum tunc itineris comitem a ſe dimitteret, hic vero nusquam ab eo ſe diſceſſurum, nec, ut in Sardiniam trajiceret, paſſurum aſſeruit, cauſſatus, ipſum Pontificis voluntati cedere obſtrictum eſſe; itaque Antoninus a Nepote, ſuoque comite quodam Fratre Converſo, quem ille ad ſuas traxit par-

Sæcul. XV. A. C. 1446.

Sæcul. XV. A. C. 1446

tes, Senas deductus est, Archiepiscopatus dignitatem magis fugere anhellans, quam ceteri, qui ad illam aspirabant, consequi laborarent. Papa nec se Antonini rationibus vinci, nec precibus flecti patiebatur, sed ad eum literas Apostolicas de capessendo Pastoris munere transmisit, quicquid vero pro illis pendi solebat, libere condonavit, præcepitque, ut Jesu Christo, ejusque Vicario obediret, nec diutius Florentinam Ecclesiam Pastore orbatam relinqueret. Tum demum Antoninus, postquam longo tempore obluctatus esset, crebrisque lacrimis atque gemitibus frustra hanc dignitatem declinasset, hoc anno ad finem vergente impositum a Sede Apostolica onus suscepit.

§. CXXVIII.

Basileensium consensus de celebratione alterius Concilii.

Cochl. Hist. Hussit. l. 9.

Basileenses ut non modo paci Ecclesiæ minime adversari, sed etiam omni, quo possent, studio eandem procurare viderentur, decretum ediderunt, quo profitebantur, nullam aptiorem, totique populo Christiano magis gratam inveniri posse viam, quam ut aliud Concilium plene liberum celebraretur, in quo de efficacibus omnes gentes sub uno eodemque Pastore rursum uniendi mediis ageretur, polliciti, se

nunc

nunc quoque, prout jam antea promisis- sæcul. XV.
sent, ejusmodi Concilii celebrationi lu- A. C. 1446.
benti, lætoque animo assensuros, simul-
que ac illius notitiam acceperint, acces-
suros locum, quem Fridericus & Princi-
pes Electores, aut ipsorum Oratores du-
xissent eligendum. Porro Principes in
Conventu Francofordiensi decreverunt,
si foret Concilium celebrandum, id con-
vocatum iri mense Majo anni proximi in
ea civitate, quam Eugenius ex sex per
eos propositis eligere vellet, dummodo
intra Germaniæ fines dicta civitas esset:
Verum ne novo ejusmodi Synodi con-
gregandæ labore fatigarentur, divina Pro-
videntia omnibus prospexit, morte Eu-
genii Pontificis paulo post eveniente.

§. CXXIX.

S. Nicolai Tolentini Canonizatio.

Interea Eugenius S. Nicolaum Tolenti- *Bullar. tom.*
num Ordinis Eremitarum Sancti Au- *1. Eugen. IV*
gustini longe ante defunctum, ob innu- *Constit. 27.*
mera ferme miracula, quæ in vita &
post obitum luculentis testimoniis com-
probata indies patravit, in numerum
Sanctorum retulit Calendis Februarii
præsentis anni. Idemque Pontifex re-
formationem, quam in Sicilia Monachi
Græci Ordinis S. Basilii in Capitulo Ro- *Ibid. Const.*
mæ Eugenii jussu congregato decreve- *26. & 28.*

Sæcul. XV. A.C. 1446.

rant, sua Constitutione ratam habuit. Jam antea Congregationem Fratrum S. Hieronymi de Fesulis confirmaverat, & Ilicetanam privilegiis ornaverat: Necnon Fratres S. Ambrosii in unam Congregationem, cujus caput esset monasterium S. Ambrosii ad nemus civitatis Mediolanensis, redegerat. Sub idem tempus Regulam quoque monialium S. Claræ declaravit, mitigavitque. Aliæ quoque extant hujus Papæ Constitutiones, quas circa varios Religiosorum Ordines edidit, atque omnes in Bullario relatas reperire est.

§. CXXX.

Rosa aurea ab Eugenio Regi Angliæ missa.

Conc. gener. Labb. to. 13. pag. 1309. Harpsf sæcl. 15. c. 14.

Hoc item anno Eugenius Henrico VI. Angliæ Regi auream, ut appellant Rosam transmisit, quam ejusdem Cubicularius Ludovicus Cardonius unacum literis Apostolicis die vigesima quarta Junii Romæ datis detulit. Equidem hujus epistolæ inscriptio præsefert, quod in ea de verni Jejunii observantia agatur, nihilominus Papa de hoc argumento satis parcum ad Regem sermonem feciſſe videtur, fusiori calamo magis arcana hujus aureæ rosæ mysteria prosecutus. Enarrat solemnem illius Benedictionem Romæ quarta Dominica quadragesimæ fieri solitam

litam; necnon antiquum Principibus Sedi Apoſtolicæ devotis hanc Roſam mittendi morem. Præterea his ſubjungit, quod tempore Pontificatus ſui duos Romanorum Imperatores, & Caſtellæ, atque Arragonum Reges, quos contra infideles Chriſti hoſtes hortari atque impellere cupiebat, eo roſæ munere donaverit. Poſtea ad Regem ſermonem dirigens, inquit: *Conſiderantes maximam tuam erga nos, & Romanam Eccleſiam fidem, atque devotionem, debitum exiſtimavimus, te eodem munere decorari: quandoquidem conferre adverſus Turcas Chriſti hoſtes pecuniarum ex decimis tui regni præſidia non ſolum promittere facilis fuiſti, ſed armatorum inſuper præſidia es pollicitus;* Tandem vero Pontifex a Rege nova poſtulat ſubſidia. Sæcul. XV. A. C. 1446.

§. CXXXI.

Statuta pro reformanda Eccleſia Leodienſi.

Cum in Eccleſia Leodienſi diſciplinæ rigor remittere videretur, Joannes hujus Sedis Epiſcopus collaborante capitulo ſuo quædam condidit decreta, poſtmodum a Nicolao V. Eugenii ſucceſſore confirmata. Refert præprimis Præſul, quod alia quædam ſtatuta ab Adulpho Prædeceſſore ſuo jam Anno ſupra milleſimum *Conc. gener. Labb. to. 13. p. 1310.*

Secul. XV. A.C. 1446.

simum quadringentesimo trigesimo septimo, item alia Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio utiliter quidem condita, sed usque adeo non observata fuerint, ut inde plurimi pie affecti in graves erumperent querelas. Quam ob rem statuit, ut si Parochum decedere contingat, *de illius bonis statim conficiatur inventarium, & quod exequiis & debitis solutis supercreverit, cedat dispositioni Episcopi.* Præscribit Procuratoribus fisci, Notariis, aliisque competentem laboris æstimationem, & stipendium; mulctasque pecuniarias pro certis criminibus, Officialium numerum, ac dotes eis necessarias. Agit de literis, ut vocant, monitoriis & de modo, quo illi, qui in absentia titularium beneficiis deserviunt, se gerere debeant. Prohibet, ne *uni Presbytero committatur deservitura duarum Ecclesiarum Parochialium non condependentium absque evidenti necessitate.* Cetera omnia statuta ad tollendos abusus, qui hujus Diœcesis disciplinam infecerant, ordinantur. Acta hujus Synodi subscripta leguntur Anno Domini supra millesimum quadringentesimo quadragesimo sexto Mensis Junii die quarto.

§. CXXXII.

Secul. XV.
A.C.1446.

§. CXXXII.

Britanniæ Dux ob ſuum Ducatum Regi Galliæ clientelam profeſſus.

Prorogatis Galliam inter & Angliam induciis, Rex Carolus VII. hujus otii opportunitate uſurus, Cainonem petiit, ubi Franciſcum I, qui recens Patri ſuo Joanni VII. in Britannia Dux ſucceſſerat, excepit, ut fidem ac clientis obſequium pro Britanniæ Ducatu, & Montfordiæ Comitatu profiteretur, iisdem tamen omnino ſervatis conditionibus, quibus antehac ejus Prædeceſſores Britanniæ Duces Regibus Franciæ ejusmodi ſubjectionis profeſſionem edere conſueverant. Abſolutis hiſce ſolemnibus Rex condonati criminis tabulas confici juſſit, quibus Britonum Optimates a quacunque conjuratione cum Anglis durante bello ſancita abſolvit. Ducem vero multis amicitiæ ſignis, atque obſequiis cumulavit, quibus devictus, lætoque animo in Britanniam rediit, & haud minoris erga Gallos affectus plurima dedit ſpecimina. Cum vero Petrus, & Ægydius ejusdem Ducis Fratres ex Paterna hæreditate nonniſi parem cum Fratribus natu minoribus portionem accepiſſent, rem ægerrime ferebant, & Ægidius non ſalutato

Sæcul. XV. A. C. 1446.

Duce ad suas ditiones se recepit, quem nil mali suspicantem Dux sinistris aliorum accusationibus, sive demum veris, sive confictis pulsatus, in suo Guildonensi castro comprehendi, & primum Dinantium, inde ad Rhedones, demum ad Castrum Brientii, aliasque urbes abduci jussit. Tandem vero Ægidius solido triennio diversorum carcerum squalore, ac gravissimis ærumnis confectus, in lecto suo mortuus repertus est. Quamvis quidam naturali eum morte extinctum studiose in vulgus spargeretur, non deerant tamen, qui illum a suorum Satellitum nonnullis clam dato mandato strangulatum crederent.

§. CXXXIII.

Turbæ ac civilia Genuensium bella.

Monstrelet. Vol 3. c 3.

Genuenses per plures jamjam annos continuo seditionibus civilibus agitabantur, dissidiis inter se exortis, cum nunc regnaret Theodorus Montis Ferrati Marchio, nunc Philippus Galeatius Mediolanensium Dux imperium teneret, jam vero summam Reipublicæ administrarent Fregosii, Adornii, aliique Viri ex nobilissimis Genuensium Familiis descendentes. Horum bellorum flammas tandem extincturi, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto Carolo

rolo VII. significant, se Regi Dominium totius status Genuensis cessuros: ast surdas pulsarunt aures, eoquod inter duas factiones, quæ urbem scindebant, altera esset Gallorum imperio longe infensissima. Erat Benedictus ab Auria Gallicæ nationis studiosissimus, huic quoque Fregosii accedebant, & in Adornum Reipublicæ Ducem, qui omnes Regis Galliæ fautores velut rebelles habebat, conjurabant, moxque hunc in finem quosdam ex utraque Aurienſium, & Fregosiorum familia cum quinque bellicis navibus Massiliam decreverunt, inde Regi Carolo per nuncios indicantes, se illi totius Genuensis Reipublicæ dominium, si accipere illud vellet, ultro delaturos. Sæcul. XV. A.C 1446.

§. CXXXIV.

Status Genuensis Regi Galliæ oblatus.

Rex potentiores sibi favere videns, copias suas ad Alpes promovebat, atque ad Genuenses Archiepiscopum Rhemensem, San-Vallierum, Taneguinum a Castro, & Jacobum a Corde ærarii Regii Præfectum Legatos decernebat, data plena potestate, ut cum eis pacta inire possent.

Sæcul. XV. A.C 1446.

§. CXXXV.

Genua a Joanne Fregoſio Regio nomine occupata.

Belleſ. l. 5. cap. 106.

Hi cum Nicæam usque perveniſſent, Janus Fregoſius, ex primoribus factionis unus cum ſuis copiis, quas Genuam inter & Piſas tenuerat, quædam circumvicina loca nomine Regio occupavit, & paulo poſt ſuperato Genuenſium portu trecentis militibus ſtipatus, erecto Galliarum Regis Vexillo Genuam intravit, ubi confeſtim a factionis ſuæ complicibus cum gaudio exceptus eſt, cunctis ubique feſtive conclamantibus: *Vivat Francia.* Ille vero recta ad Adornii Ducis, qui primo armorum ſtrepitu percepto fuga ſibi conſulerat, palatium contendit.

§. CXXXVI.

Fregoſius illuſis Gallis urbem ſibimetipſi vendicat.

Fregoſius urbe armis ſuis plene ſubacta, haud amplius alieno Regis nomine, ſed propria auctoritate velut ſupremus Reipublicæ Dominus rem gerere cæpit, Gallisque, quorum armis, atque nummis urbem occupavit, nequiter illudens dicebat: armis hanc urbem occupavi, armisque illam contra omnes tuebor. His auditis

auditis Regis Legati Maſſiliam redire compulſi ſunt, Rege Galliæ ex tota hac expeditione bellica haud aliud commodum referente, quam quod Finarium, quam urbem, Fregoſius eidem ad copias, ſi opus fuiſſet, in terram exponendas antea tradiderat, ſuæ ditioni ceſſerit. Rex præſenti rerum ſuarum ſtatu aliunde ſatis ambiguo præpeditus, injuriam ſibi illatam ulciſci auſus non eſt. Sæcul. XV. A.C. 1446.

§. CXXXVII.

Guilielmi de Linwod & Bartholomæi Carthuſiani obitus.

Hoc anno Reipublicæ literariæ erepti ſunt duo magni nominis Viri, quorum primus erat Guilielmus Linwodus Anglus in univerſitate Oxonienſi Cæſaræi, & Pontificii juris conſultiſſimus. Hunc Henricus V. Angliæ Rex ad Hiſpanum atque Luſitanum Reges, Legatum miſit. Cum autem Henricus naturæ debitum ſolviſſet, Guilielmus relicto aulæ tumultu, in Angliam ſe recepit, ubi in urbe S. Davidis (*) Epiſcopalem ſedem obti- *Dupin. Bibl. ſcript. to. 12. p. 91. & 118.*

(*) *Harpsfeldius in ſua Hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ ſæculo XV. cap. 30. Linwodum inter Cambriæ ſeu Walliæ Epiſcopos numerat, & Menevenſem Sedem adminiſtraſſe refert.*

Num-

Sæcul. XV. A.C. 1447.

obtinuit. Collegit Cantuarienſium Archiepiſcoporum ſanctiones, quas a Stephani Langtonii ætate usque ad Henricum Chichelejum diſperſas in aptum ordinem digeſſit, ac in quinque libros diviſit. Alter erat Bartholomæus cœnobii Ruremundani Carthuſianus, qui plures tractatus morales conſcripſit, quorum nonnulli adhuc manuſcripti in Colonienſi Carthuſianorum monaſterio, ubi menſe Julio hujus anni fatis functus erat, aſſervantur. Elucubravit ſingulariter tractatum de Paſſionibus, virtutibus, oratione, humilitate, correctione fraterna, de laudibus Religioſorum, de abſtinentia a carnibus in Carthuſianorum Ordine præcepta, denique tractatum dogmaticum de auctoritate Papæ ſupra Concilium edidit.

§. CXXXVIII.

Principum Germaniæ Legatio ad Eugenium Papam.

Ann. 1447.

Eugenius Papa Legatos ex Francofordienſi Conventu Romam ad ſe decretos ſummo honore excepit, & tertio poſt adven-

Num Menevenſis Epiſcopatus cum illa S. Davidis ſede, quam nonniſi ignobilem & vix non deſertam Walliæ urbem eſſe Hübnerus in ſuo Lexico teſtatur, coincidat, decidere haud poſſumus.

adventum die in secreto Patrum Senatu illos ad alloquium admisit. Inter hos a Cæsare, missus fuit Æneas Sylvius, qui ceterorum nomine verba fecit, atque exposita Legationis suæ caussa asseruit: nil præter pacem a Germaniæ Principibus ardentius exoptari, eo unice illorum vota, curasque dirigi, nec mala fore unquam aufferenda, nec nationi Germanicæ de perfecta tranquillitate providendum, nisi summus Pontifex concordiæ pactis mox sibi proponendis acquiescat. Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CXXXIX.

Legatorum postulata ad Papam.

Sylvius hasce pacis restaurandæ vias ad quatuor revocavit capita. I. Concilium Generale in tempore, locoque designando convocetur. II. Potestatis, auctoritatis, & Conciliorum Generalium præeminentiæ professio, quam Eugenii Oratores fecerant, ipsis literis Apostolicis approbetur. III. Nationi Germanicæ de tollendis oneribus opportune provideatur. IV. Ea, quæ in præjudicium Colonienſis, & Trevirenſis Archiepiscoporum, atque Electorum acta essent, ex ipsius Eugenii clementia revocentur, ipsique in pristinum statum restituantur. His subjunxit Legatus, in prima Principum petitione communem utilitatem versari, in secunda *Comm. Pii II. lib.* 1. *Cochl. hist. Hussit. lib.* 9.

Sæcul. XV. A.C. 1447.

cunda Pontificis humilitatem novo ſpecimine probandam expectari, tertiam vero ab ejus æquitate, quartam denique ab illius benignitate ac clementia dependere ajebat. Hæc Æneæ oratio tum a Papa, tum a Cardinalibus ſummopere commendata eſt.

§. CXL.

Alia pacis via a Galliarum Rege propoſita.

Rex Franciæ, cum novi Concilii Generalis convocationem haud levibus incommodis obnoxiam præſentiret, diverſam a Germaniæ Principibus ſententiam fovebat. Quamvis enim Baſileenſis Synodus Generale Concilium in loco, quem Imperator, & Electores nominandum duxerint, celebrari conſenſiſſet, & quæſtio de auctoritate Conciliorum ſupra Papam in Concilio Conſtantienſi (*) deciſa fuiſſet, nihilominus hæc eadem definitio in perpetuam diſcordiarum ſcaturiginem degenerabat. Huic acceſſit, quod Baſileenſium cœtus fere penitus evanuerit,

(*) Hanc quæſtionem legitime fuiſſe deciſam minime conſtat, hancque in rem conſuli poterunt annotationes, quæ in fine tomi XXV, necnon in duobus ſequentibus paſſim occurrunt.

rit, Præsulum potissimis partim inde di- Sæcul. XV.
gressis, partim ibidem vita functis. A C.1447.
Quapropter Rex ex consilio Senatus sui aliam reddendæ concordiæ viam proposuit tribus capitibus comprehensam. I. Omnia gesta & acta, omnesque censuræ & sententiæ ab utraque parte ultro citroque promulgatæ habeantur tanquam infectæ, ac nunquam publicatæ. II. Eugenius eodem modo, quo ante inchoatum Concilium Basileense, pro unico ac vero summo Pontifice colatur. III. Amadæus Sabaudus Pontificatum abdicet, quo dimisso tamen supremum, quem in Ecclesia concedere fas esset, dignitatis locum obtineat, illique, qui ejusmodi factioni in Basileensi Concilio adhæsissent, si huic concordiæ accedant, dignitates, atque honores suos aut conservent, aut recipiant.

Nil propius videbatur, quam ut Amadæus Papatum dimitteret; suæ enim obedientiæ addictos nonnisi Sabaudos, atque Helvetios numerabat. Præterea in Pontificatu suo exurgebant graviores curæ, ac erant illæ, quas declinare studuerat, ob quas tamen, cum Princeps aliunde probus esset, tranquillioris vitæ gratia ditionum suarum imperium abdicabat, suoque Filio Ducatum cedebat. Eugenius quoque hac via plene votorum suorum metam affecutus videbatur,

cum

Sæcul. XV. A.C. 1447.

cum ab universali Ecclesia tanquam solus, atque legitimus Pastor agnosceretur, tertio denique pacis hujus articulo Basileensibus quoque prospectum erat, quibus diuturnior mora in civitate Basileensi grave fastidium generabat.

§. CXLI.

Eugenii Papæ infirmitas.

Antonin. tit. 22. c. 11. §. 17

Rex itaque Aquensi Archiepiscopo ad Eugenium, & Basileenses ablegato, eosdem consilii sui certiores fecit. Verum vix Romæ urbis limina salutaverat Præsul, cum triste nuntium de morte Eugenii Papæ ad aures ejus allabitur. Jamjam lecto decumbebat adversa valetudine pressus, dum Imperatoris ac Germaniæ Principum Legatos exceperat, & quamvis Cardinalibus suis negotium perficiendi curam reliquisset, cuncta tamen Legatorum postulata ipsus rata habuit, literasque Apostolicas hac super re confici decrevit.

§. CXLII.

Bulla Eugenii pro Germanis.

Bullar. to. 1. Eugen. IV. Const. 29.

Igitur Legatis Pontificis cubile ingressis, juratáque ei obedientia Æneas Sylvius Bullam jussu Papæ conceptam, quæ Eugenii postrema erat, eisdem consignabat. In ea

ea die septimo Februarii data Papa Germanorum Nationi concessit, approbavitque plures articulos circa beneficia, Diœcesium jurisdictionem, subditos, atque Episcoporum Vasallos, annatas, & *communia servitia*. Insuper omnia contra auctoritatem Sedis Apostolicæ durante schismate attentata nulla & irrita declaravit; *Omnesque, qui Congregationi Basileensi sub nomine generalis Concilii post dissolutionem prædictæ Synodi adhæserunt, & qui jam ad obedientiam Papæ reversi sunt, vel redierint, absolvit*, ac pristinis suis officiis, beneficiis, atque dignitatibus restituit. *Omnia & singula de Venerabilium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu.* Sæcul. XV. A.C. 1447.

§. CXLIII.

Romanorum applausus ob restitutam Ecclesiæ pacem.

Absoluto Legatorum colloquio rursus in publico Patrum Senatu, in quo absente Papa Cardinales præsidebant, Cæsaris, aliorumque Principum mandata fuere promulgata, necnon in gratiarum actionem supplicatio decreta. Inde festivis ignibus reluxit civitas, ærisque campani sonitus ubique audiebatur. Cardinales, ceterique Prælati instructo supplicationis ordine a D. Marci usque ad

Sæcul. XV. A.C.1447. Basilicam S. Joannis in Laterano processerunt, & S. Sylvestri Papæ mitram, quam paulo ante Avenione Romam delatam, Eugenius ex Vaticano ad Palatium Lateranense transferri jusserat, ac præterea S. Joannis Baptistæ caput, præcipuasque Sanctorum reliquias in Ecclesiis asservatas detulerunt. Postea solemne Sacrum celebratum est, atque de Eugenii Papæ, & Friderici Imperatoris laudibus sermo habebatur. Sanctus Antoninus, eo tempore Florentinorum Archiepiscopus, qui totam hujus rei seriem nobis scriptam reliquit, se ipsum cunctis interfuisse testatur.

Antonin. tit. 22. §. 17.

§. CXLIV.

Eugenius primo extremam unctionem sibi a S. Antonino conferendam recipere cunctatus.

Cum Eugenii morbus indies magis magisque ingravesceret, S. Antoninus eundem accessit accepto sacro oleo, ipsi extremæ unctionis Sacramentum administraturus. Cui intranti Eugenius erecto animo ac voce adhuc firma, *quid est*, inquit, *adhuc sum fortis, cum aderit hora, admonitum te faciam: siste modo.* Pugnabat vicinam adversus mortem intrepidus Pater, hacque animi fortitudine corporis sui debilitatem, ac mortis proximæ

Platin. & Ciacon. de vit. Pontif. in Eug. IV.

ximæ anguſtias velare conabatur. Verum ſtatuta obitus hora appropinquante, irrita erat cum morte pugna; cum igitur modicum vitæ ſpacium ſibi ſupereſſe cognoſceret, omnes, quotquot Romæ agebant, Cardinales ad ſuum cubile accerſiri juſſit, quos impavido, ac forti animo hunc in modum allocutus eſt. Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CXLV.

Morituri Eugenii verba ad Cardinales.

Meum tempus, meusque dies eſt, Venerabiles amatique fratres, moriendum eſt mihi; nec naturæ legibus queror, diu vixi, & honoratus; utinam officio meo ſatisfeciſſem, ſed voluntatem magis quam opera reſpicit Deus. Mihi Pontificatus, etſi ſperanti, non tamen ambienti obvenit, multa acciderunt adverſa, dum Sedi præfuimus Apoſtolicæ; non tamen idcirco minus acceptos Nos Deo credimus, quia quos diligit, Deus corrigit atque caſtigat, nec male eſſet acturus, ſi cum hominibus renuit, qui cum fortunæ varietate luctantur, ſed eſſe arcanas cauſſas ad quas nulla mortalium curioſitas poteſt pervenire . . . Ceterum quia jam horæ noſtræ ſubripiuntur, modicumque vobiſcum ero; quia vocor ad Judicem, Regem, & Patrem, teſtari prius volumus, teſtamentumque Domini noſtri JEſu Chriſti vobis relinquere, Platin. in vita Eug. IV. Æn. Sylv. Europ. c. 58.

Sæcul. XV. A C. 1447.

quere, qui transiturus ex mundo ad Patrem, pacem meam, dixit, relinquo vobis. Ego vos omnes præter unum Cardinales creavi, & illum unum quasi Filium tractavi, amavique: omnes mei estis fratres, obsecro dilectissimi, servate vinculum pacis, diligite invicem, non sint inter vos schismata, adimplete legem Christi, & alter alterius onera portate. Mox vacatura est Apostolica Sedes, scitis, quem Virum cupiat hoc solium: eligite Successorem, qui me doctrina, & moribus superet: nulla vos affectio seducat, non privatæ rei, sed publicæ consulite. Ceterum si me audieritis, mediocrem Virum unanimiter, quam præstantissimum discorditer eligetis, ubi pax, ibi & Spiritus Dei est... Verum ne me mortuo, de funere disputetis; quod in ceremoniis Pontificum scriptum est, id solum facite, nemo amplius agat, nec funus adornet meum, absint pompæ & inanis gloria sepulturæ: apud Eugenium III, cujus nomen gero, humili loco sepeliri libet.

§. CXLVI.

Eugenius Papa extrema Unctione recepta, mortuus.

Antonin. tit. 22. cap. 12.

Hæc verba graviter adeo enunciabat Sanctissimus Pater, ut Cardinales a lacrimis sibi temperare haud possent, & aliquamdiu silentio suspensi, tandem Pontificem rogarent, ut Cardinalem Capuanum

num (*) ab exilio, quo eum mulctaverat, revocare vellet; aſt illis reſpondit iisdem Chriſti Domini verbis ad filios Zebedæi: *Neſcitis, quid petatis.* His dictis ad ſe vocari juſſit Archiepiſcopum Florentinum, qui ſibi extremæ unctionis Sacramentum adminiſtraret, quo vix recepto viribus ſe deſtitui advertens, oculos clauſit, quos ultra non aperuit, vitæ ſuæ curriculum emenſus die vigeſima tertia Februarii Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Corpus ejus ſine mora aromatibus conditum in Eccleſia Sancti Petri expoſitum eſt, populo ad oſculandos ejus pedes certatim confluente, demum prope Eugenii III. monumentum, ut deſideraverat, collocatum, poſtea vero ad monaſterium S. Salvatoris in Lauro Congregationis Canonicorum Regularium, in qua olim ſe Deo devoverat, translatum eſt. Vixit annos ſexaginta quatuor, & Sedem Romanorum tenuit annis ſexdecim, demptis duntaxat octo diebus.

Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CXLVII.

(*) *Is erat Proſper Columna, de quo Eugenius ad Cardinales illum ab exilio revocari poſtulantes dixit:* Neſcitis, quod vobis deſiderium ejus, & illi exilium magis conveniat.

Sæcul. XV.
A.C. 1447.

§. CXLVII.

Eugenii Papæ dotes.

Si quæ vitia a nonnullis in Eugenio carpuntur, ex adverso clarissimis longe virtutibus insignis celebratur. Ecquidem Pontificatum gessit assiduis turbis agitatum, jam prospera jam adversa fortuna pressus, ingenti tamen gloria omnia, quæ movit, bella feliciter extinxit, nec dissidiis inter Principes Christianos regiminis sui tempore exortis sese implicuit, Græcos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reduxit, Armenos, & Jacobitas ad orthodoxam fidem revocavit, Principes demum Christianos ad suscipiendas plures sacras militias excitavit. Porro quamvis eminenti scientiæ fama clarus non esset, nihilominus tamen quædam opuscula adversus Hussitas elucubravit. Viros literatos impense coluit, plures dotavit Ecclesias, & oppido liberalis erat erga pauperes. Spoliatus Marca Anconitana, brevi tempore eandem recuperavit. Depositus in Concilio Basileensi, invicta constantia auctoritatem suam ab indigna subjectione illæsam conservavit, quin imo eos, qui in sui exauctorationem conspiraverant, purpura exuit. Ambitionis tamen labe immunem fuisse, asserere vix audemus, eoquod unice auctoritatis suæ vindi-

vindicandæ gratia diuturnum in Ecclesia schisma fovere non dubitaverit (*). Præterea magnam sibi invidiam paraverat ex eo, quod Nepotem suum non modo

Sæcul. XV. A. C. 1447.

(*) Prudentis, æqui bonique amantis Lectoris judicio decidendum relinquimus, an Eugenius, num vero ambitiosi Basileenses hujus schismatis auctores, fautoresque extiterint. Ergone Rex aliquis, ubi ejus Senatus regiam auctoritatem ad mimicam figuram, potestate ac imperio in suos destitutam redigere, ac propterea in Regno suo dissidia suscitare molitur, nisi usurpatæ eorum violentiæ cedat, schisma in Regno aluisse dicetur? Ignavus, & dignitatis suæ proditor fuisset Eugenius, si Monarchicum Ecclesiæ regimen deprimi concessisset, quod tamen ipse Carolus VII. Galliarum Rex in oratione, quæ extat in MS. Bibl. Vat. sign. n. 4177. p. 12. necnon Fridericus Imperator cum omnibus Germaniæ Principibus, atque Hispaniæ, Castellæ, Poloniæ &c. Regibus tunc aperte professi sunt, & etiamnum profitentur. Imo Platina Scriptor aliunde summis Pontificibus adulari nescius Eugenio vitio tulit, *quod Concilio Basileensi, unde infinita mala orta sunt, auctoritatem dederit, approbatis eorum per literas Apostolicas decretis; verum,* prosequitur Platina, *postea ad seipsum rediens, omnia prudenter, ac constantissime egit.*

Secul. XV. A.C. 1447.

do ad Cardinalatus dignitatem evexerit, sed etiam honoribus, & dignitatibus cumulaverit, atque in eum regiminis sollicitudinem liberalius transtulerit. (*) Hic enim coacervandis opibus unice intentus, suisque voluptatibus indulgens, adeo dure habuit Romanos, ut hi perversos illius mores ultra ferendo impares, atque injuria, qua eos affecerat, vehementer concitati, arma in Papam converterint, qui ægre admodum Monachi vestes indutus, trajecta Tyberi vitæ suæ fuga consuluit.

Plures alii Scriptores hunc Pontificem præclaris laudibus celebrant: hunc in finem consuli potest elogium, quo eum Raynaldus extollit. Alii econtra forte nimio erga Basileensem Synodum affectu præventi illum dente Theonino arrodere haud dubitarunt. Ast illius virtutes & vitia æqua lance ponderare solius est supremi illius

Auct. vitæ Eug apud Raynald. hoc ann. n. 13.

(*) De hoc qualicunque erga Nepotem suum affectu altum silentium apud Æneam Sylvium, ceterosque quamvis alias Pontificibus infensos Scriptores. Vitæ ejus Auctor anonymus hæc habet: *Eugenius Nepotes suos in Pontificio Palatio aluit, nullo ab aliis Pontificiæ Familiæ Equitibus discrimine.* Quæ vero Platina refert, in Nepotis culpam, non in cæcum Eugenii erga Nepotes affectum refundit.

lius Judicis, qui ſcrutatur corda, & renes hominum; Hic haud raro in actionibus noſtris bonitatem, aut pravitatem longe majorem, quam humani oculi imbecillitas aſſequi valet, deprehendit. Nobis ſufficiat, quod Evangelii lumine illuſtrati videre poſſimus, quæ vituperare, quæve in illo laudare debeamus, illa averſantes, hæc æmulantes. Sæcul. XV. A.C.1447.

§. CXLVIII.

Epiſtola Regis Arragoniæ ad Collegium Cardinalium.

Alphonſus Rex comperta Eugenii morte, mox ad Sacrum Collegium ſuos decrevit legatos, qui dolorem ſuum conteſtarentur, ſimulque illos adhortarentur, ut Virum doctrina, ac probitate inſignem, Eccleſiæ Succeſſorem ſubrogare ſolliciti eſſent, quibus etiam fidem ſuam obſtrinxit, ſe non modo ab omni violentia ipſis quocunque modo inferenda omnino alienum, ſed etiam paratiſſimum eſſe, futuræ electionis libertatem, quamprimum requiſitus eſſet, armis etiam tueri. Reſponderunt Cardinales, ſe piæ Regis voluntati plurimum eſſe obſtrictos, nec ſe ullo pacto dubitare. quin promiſſorum amplitudinem (ſi occaſio tulerit) operis conſtantia æquatura eſſet.

Sæcul. XV. A.C. 1447.

§. CXLIX.

Cardinalis Capuanus Romam reversus.

Demortui Papæ exequiis per novem dies de more actis, Cardinales, quorum octodecim Romæ morabantur, pomeridianis horis ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam conveniebant, de futura electione deliberaturi. Intererat quoque Cardinalis Columna, quem totus populus, & potissima Cleri pars reducem festivis exclamationibus excipiebat, atque ad summi Pontificatus honores, ceu Virum doctrinæ laude, ac vitæ exemplo clarissimum, assumi peroptabat. Attamen horum vota a sacri Collegii consiliis longe diversa erant.

§. CL.

Orationes Funebres in laudem Eugenii Papæ.

Eugenii laudes duplici oratione funebri celebrabantur. Primam dixerat Malatesta Auditor Rotæ, qui præsentem Romanæ Curiæ statum vivis admodum coloribus depinxit. Alteram Cardinalis Bononiensis habuit, in qua de modo ad electionem procedendi differebat, atque inter cetera exclamabat: procul sint odia, exulent favores: tanta demum verborum vi, tanta-

tantaque dicendi gratia utebatur, ut ejus auditores hunc Virum ſummo Pontificatu dignum haberi, haud vano præſagio ſibi alter alteri inſinuaſſe audirentur. Cardinales, juſtis de more Eugenio perſolutis, in ſacrario monaſterii apud S. Mariam ſuper Minervam conclave habere decreverunt, obluctantibus nequicquam Canonicis Baſilicæ S. Petri, qui electionem in Palatio Vaticano conſueto ſummorum Pontificum domicilio pleniori libertate perfici poſſe contendebant. Tandem vero tres Cardinales ex S. Collegio præcipui communi ceterorum aſſenſu omnes conclavis aditus cuſtodibus munierunt, & quatuor portarum claves Ravennatenſis, Aquilejenſis, & Sermonetani Archiepiſcoporum, necnon Anconitani Epiſcopi fidei comiſerunt, qui omnes in Capitolio, cujus præſidio equitum Rhodiorum Legatus præerat, habitabant. Procuratori Generali Carmelitarum Excalceatorum (*) demandata eſt Capitolii cuſtodia, portam tamen caſtelli S. Angeli muro obſtructam fuiſſe non legimus. Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CLI.

(*) Haud dubie legendum eſt *Calceatorum*, cum S. Thereſia Carmelitarum Diſcalceatorum Parens primum anno 1515. lucem aſpexerit, reformationem Virorum anno 1568. incœperit, ac demum anno 1582. fatis functa ſit.

Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CLI.

Barones Romani conclave ingredi prohibiti.

Plures Romani Barones Conclave ingredi, ac electioni interesse desiderabant, sed Cardinales ibidem congregati eos arcebant, veriti, ne auctoritate prævalentes juxta arbitrium suum Papæ electionem moderarentur, aut forte electioni factæ obsistentes, novum schisma conflarent. Hæc repulsa præ reliquis vehementius afflixit Joannem Baptistam Savelli, magnæ auctoritatis, ac rari meriti Virum, qui pluribus contendebat, conclave ingrediendi prærogativam jus esse familiæ suæ annexum. Ast eo Cardinalium voluntati cedere coacto, plura alia privilegia longævo usu Nobilitati concessa eodem tempore abrogata fuere, cum populo Romano plus justo onerosa accidirent.

§. CLII.

Cardinales ingressi Conclave, Papam electuri.

Post hæc Cardinales matutino tempore die tertia Martii in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam conveniebant, ac solito juramento a Conclavis Officialibus præstito decantabant Hymnum, *Ve-*

ni

ni Creator &c. Instruebatur etiam per clausstri ambitum solemnis supplicatio, qua finita Cardinales ad assignata sibi recesserunt cubicula, quorum quædam sericis aulæis violacei, alia viridis coloris ornata erant. Solus Bononiensis Cardinalis cameram suam albi coloris tapete prætexi voluit. Postera die sacro de Spiritu Sancto solemniter decantato, ad suffragiorum scrutationem processerunt, ubi tamen illa die electio finem sortita non est, cum eligendus duodecim suffragia solus ferre debuisset nonnisi octodecim numeratis Cardinalibus. Sæcul. XV. A. C. 1447.

Primis duntaxat quinque diebus Cardinalibus cibos, quoscunque voluerant, comedendi copia dabatur, proximo vero triduo nonnisi unicum, quod lubebat, relinquebatur ferculum, elapsis autem hisce diebus solum certa panis, vinique portio, donec sequeretur electio, subministrata fuerat: Nec alio famulitio præter eorum Capellanos, ac cruciferos uti licebat. Designabantur etiam duo duntaxat sacrorum rituum Magistri; his tamen electo novo Pontifice cubiculorum, quæ Cardinales tempore Conclavis incolebant, suppellex, atque utensilia relinquebantur.

Cardinalibus Conclave vix ingressis, popularis rumor per urbis compita spargeba-

Sæcul. XV. A. C. 1447.

gebatur, Prosperum Columnam futurum esse Papam; sed antiquum Romanorum fert proverbium: Qui Conclave ingreditur ut Papa, semper regreditur ut Cardinalis. Eandem sortem expertus est Prosper, nequicquam sibi suffragante amicorum favore, quos inter Aquilejensem, & Vicecancellarium Cardinales, necnon & Fratrum Minorum Generalem numerabat; Altera die suffragiorum collectione facta, Cardinalem Columnam decem, Cardinalem Firmanum octo tulisse compertum est. Cum autem nullus requisita adhuc haberet suffragia, reliquum diei inutiles tenuerunt consultationes. Tertia demum die suffragantium animi tam diversis scindebantur studiis, ut extra gremium aliqui, nimirum Beneventanus, & Florentinus Archiepiscopi, necnon Nicolaus de Casa eligendi proponerentur; Nihilominus Cardinalis Columna denuo decem, & Cardinalis Bononiensis tria obtinuit suffragia: Firmanus Cardinalis Columnam paucis gradibus a Pontificio apice distare intelligens perorare cœpit, dixitque: „Quid frustra va„nis jurgiis tempus teritis? tanto tem„pore Conclave protrahere, res est peri„culis plena. Urbs Romana jam scissa „est in duas factiones; Rex Arragoniæ „potenti classe mare occupatum tenet, „Amadæus Sabaudus nostris consiliis adver-

Platin in vit. Nicolai V.

Sigon. de Episcop. Bonon. l. 4.

„adversatur, & Comitem Franciscum „Sfortiam nobis inimicum esse nostis. „Ergone inter tanta pericula otiosos esse „expedit? Quare non abrupta omni mo„ra Ecclesiæ Christi de Capite visibili „prospicimus? Ecce Angelus Domini no„bis ostendit Prosperum Columnam Car„dinalem, cujus merita nobis omnibus „perspecta sunt, num eo meliorem crea„bimus Pontificem? jam ipse decem tu„lit suffragia, duobus duntaxat Papatu „inferior est, unus ergo inter nos exur„gat, & eidem suum cedat Votum, & „brevi ad ejus exemplum alius acce„det." (*)

Sæcul. XV. A. C. 1447.

Quamvis Cardinalis iste multo fervore peroraſſet, nullus tamen propterea statio-

(*) Continuator hanc Joannis Morinensis adhortationem suis potius, quam Æneæ Sylvii verbis recitasse videtur; Ille enim in Commentario de rebus Basileæ gestis sic habet: *Quid cum periculo tempus terimus? damnosa est nimis mora nostra, adversarium habemus Amadæum, qui non dormit, & hoc tempus vacationis sibi aptissimum arbitratur. Regem Arragonum cum exercitu vicinum habemus, nec quid moliatur, scimus. Populus in armis est, tota civitas trepidat, agite, finem rei imponamus. Prosperum, ut videtis, major pars vocat, quin acceditis, atque hunc Pontificem accipite, & quemnam potestis habere meliorem?*

Sæcul. XV. A. C. 1447

ſtatione ſua egreſſus eſt, ſed omnes perſtiterunt immoti. Cardinalis autem Bononienſis malis ex hac mora forſitan in Eccleſia exorituris obviare intentus, ſuffragium ſuum jamjam Cardinali Columnæ dare parabat, niſi eum Cardinalis Tridentinus opportune cohibuiſſet, inſinuans (*), „tanti momenti negotia ex „repentino animi impetu haud eſſe de„cernenda, nec unquam tarde nimis facta „cenſeri debere, dummodo ſemel bene fi„ant, matura deliberatione rem eſſe pon„derandam; non enim agi de præficien„do cujusdam urbis Prætore, ſed de eli„gendo

(*) Æneas Sylvius hæc habet: *Mane Bononienſis tantisper! nihil eſt in rebus humanis majus electione Papæ: Feſtinatio cæca eſt, & inimica conſilii, ponderate quid agatis, nolite præcipitanter agere . . . eligamus Papam ſuo more, fiat ſuo tempore unum ſcrutinium. Quid eſt, nunquid diem craſtinum non poſſumus expectare? Tunc Ludovicus Aquilejenſis: quid tu differs in Papatu tantum, quin potius dicis, quem velis Papam? At ille, dicam, inquit, hunc ego Bononienſem velim, & pacem ſub eo ſperarem, qui doctiſſimus eſt, bonorum, ſanctorumque morum.* Quæ autem Continuator hic loci affert, quonam ex auctore vel auctographo deſumpſerit, invenire non potuimus, certe nec Sigonius, nec Platina, quos adducit, ullam eorum mentionem fecerunt.

„gendo universi Orbis Domino, cui com- Sæcul. XV.
„peteret ligandi, & solvendi potestas, A. C. 1447.
„portasque cœlorum claudendi, ac ape-
„riendi auctoritas, uno verbo, creandum
„esse Christi Domini Vicarium in terris.“
Hujus sermonem excepit Aquilejensis Cardinalis hunc in modum respondens: „Quæcunque egisti, quæcunque demum „dixisti, unice eo collimant, ut Columnam a Pontificio solio excluderes, & „Papam juxta arbitrium tuum nanciscaris.“ Postea Cardinalis Bononiensis ad Aquilejensem conversus inquit: „Cui„nam ergo suffragium tuum conferre „prætendis?“ respondit Aquilejensis, „nemini me devovi, quemcunque nomi„naverint ceteri, ratum, gratumque ha„bebo.“ Prosper Columna Morinensem quoque Cardinalem sibi suffragantem habuit, proin solus undecim tulit suffragia. Tandem Cardinalis S. Sixti Cardinalem Bononiensem allocutus, „Thoma, in„quit, ego te creabo Pontificem, quia „hodierna die Sancti Thomæ profestum „concurrit.“ Nempe sexta Martii die vigilia Sancti Thomæ Aquinatis agebatur.

§. CLIII.
Cardinalis Bononiensis in Papam electus.

Eodem tempore ceteri omnes Cardinales unanimi consensu in Bononien-

Sæcul. XV. A. C. 1447.

sem conspirarunt; Ille autem omni ope, & opera Pontificatum a se amoliri conabatur, asserens, se hac dignitate prorsus indignum esse, tandem vero Sacri Collegii precibus expugnatus, victas dare manus compellebatur. Vir iste, nomine Thomas de Sarzana in quodam oppido haud procul a Lunensi civitate, ad quam ipsus Episcopalem Sedem transtulerat, prima incunabula sortitus est. Patrem habuit Bartholomæum nomine, ac professione Medicum, consanguineos vero tenui genere natos. Ejusdem tamen pietatis juxta ac doctrinæ fama Eugenius Papa permotus, Cardinalis tit. S. Susannæ dignitatem ei contulit, ut operam, in tollenda Germanorum Neutralitate egregie navatam remuneraretur. Nicolai V. nomen suscepit ob memoriam Nicolai Albergati Cardinalis tit. S. Crucis, cui antea a Servitiis fuerat, atque ab eo summi Pontificatus vaticinium acceperat. Mox confecta illius electione, Cardinalis Columna Diaconorum primus de more fenestram Conclavis reseravit, et Cruce foras delata factam electionem confluenti populo proclamavit; Cum autem ob nimiam fenestræ altitudinem Neo-electi Pontificis nomen haud percipi potuisset, plures eundem Cardinalem, quem ad fenestram stare conspexerant, ad Pontificatus apicem evectum fuisse

Antonin. tit. 22. c. 12.
Æn. Sylv. comment. l. 1. Europ. c. 58.

fuisse divulgarunt: unde ad auditum rumorem tota Ursinorum familia haud parum turbata, suas domos munire compulsa est. Ex adverso Romani, utpote Papam urbis suæ concivem electum fuisse arbitrati, festivis ignibus, tripudiis, atque conviviis lætitiam suam contestabantur. Sæcul. XV. A. C. 1447.

Iidem, sedato tumultu, Cardinalis Columnæ palatium spoliabant; verum detecto errore ad Cardinalis Bononiensis domum accurrerunt, eandem quoque expilaturi, sine magno tamen ejus damno, utpote cui curta admodum suppellex erat. Arragonum Rex, qui Cardinalem Columnam in D. Petri Cathedram collocari desideraverat, comperta Nicolai V. electione rem sibi minus probari ostendit; (*) Nihilominus Neo-electus Papa ingenti pompa ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ supra Minervam delatus est, nequicquam renitentibus diversis hominum studiis. Igitur omnes Cardinales summum Pontificem in summi Altaris gradu collocatum

(*) S. Antoninus l. 22. c. 11. §. 18. hæc habet: *Visitatus (Pontifex) a Principibus per Oratores congratulantibus de ejus exaltatione in Sede Apostolica, ac venerantibus ut unicum & legitimum, & indubitatum Apostolicum Vicarium Christi & Petri Successorem, & primo a Rege Arragonum ut magis vicino.*

Sæcul. XV. A. C. 1447.

tum solita religione coluerunt; Ipse vero paulo post equo albo vectus, Procobio Senatore Romano stratoris munia obeunte, ad Basilicam S. Petri accessit, & conscensis Ecclesiæ gradibus populo solemnem benedictionem impertiit.

§. CLIV.

Nicolaus V. ut Pontifex ab universa Germania agnitus.

Cochl. l. 9. in fin.

Nonnisi quatuordecim dies Sedes vacabat. Porro absoluta Nicolai V. electione Fridericus Imperator apud Asciburgum, oppidum Diœcesis Moguntinæ ad diem vigesimam Julii tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium Principum conuentum indixit, in quo obedientia non solum Eugenio Papæ defuncto olim præstita, sed illa etiam confirmabatur, quam Nicolao V. Neo-electo Pontifici Oratores a Francofordiensi conventu Romam missi, ibidemque continuo persistentes deferebant; simulque fuit penitus abrogata Neutralitas, atque omnis cum Felice, ac Basileensibus consuetudo: Eaque de re edictum Cæsar promulgavit feria secunda die vigesimo primo Mensis Augusti, quo præcepit, ut Nicolaus pro solo, vero atque legitimo Papa, Vicario Christi, & Successore S. Petri ab omnibus agnosceretur, ejusque

que mandatis ab omnibus obtemperare-tur, aliaque cuncta vel nomine Felicis, vel a Basileensi Concilio imposterum publicanda rejicerentur. Vnde factum, ut brevi Basileensis factionis auctoritas penitus evanesceret, tantoque terrore ejusdem fautores percellerentur, ut ipse Felix de abdicatione sui Papatus serio cogitare cœperit, in id tantummodo intentus, ut saltem honesto, suæque Personæ haud indecenti modo dignitatem exuere sibi liceret, qui aliunde partim nativo pacis studio, partim Galliarum Regis, qui eum assiduis hortationibus ad unionem Ecclesiæ reddendam sollicitabat, precibus expugnatus, ad cedendum paratum sese exhibebat. Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CLV.

Nicolaus a Rege Galliæ Pontifex proclamatus.

Enimvero Francorum Rex ob Eugenii mortem a ceptis consiliis nec latum unquem recedebat, & vix comperta Nicolai V. inauguratione, ut summum animi sui gaudium ob ejusmodi electionem coram universo orbe significaret, confestim solemni Legatione Pontifici obedientiam deferre decernebat. Forsitan, inquit Mezerayus, inde ortum duxit celebris illa consuetudo, qua Reges ad singulos *Mezer. epit. Hist. Gall. Carl. VII. an.* 1446.

Sæcul. XV. A. C. 1447.

summos Pontifices ingenti pompa, ac maximis impensis solemnes illas Legationes decernunt, obsequii sui fidem professuri. Cum vero Ludovicus Sabaudiæ Dux per suos Legatos Carolum Regem rogasset, ut Synodum convocaret, priusquam Nicolaum pro vero Pontifice agnosceret, Rex, donec Sabaudi postulatis respondisset, suos ad Papam Legatos decernere aliquamdiu distulit. Sabaudus interea, ut eo certius postulata consequeretur, ipsus Regem Bituricis adiit, ubi plurima utrinque colloquia hac de re habita fuere. Cum autem ambo pari studio unionem exoptarent, nullo negotio in omnia restituendæ pacis media conspirarunt. Igitur Sabaudiæ Dux omnem se navaturum operam spopondit, ut Amadæum Patrem suum ad Papatus abdicationem induceret, Carolus VII. quoque hanc cessionem pro viribus suis urgere pollicitus est, ante omnia tamen Nicolaum verum, ac unicum Papam colere decrevit, eidemque ad literas, quas vix peracta sui electione Regi miserat, responsum dedit.

§. CLVI.

Epistola Pontificis ad Regem Franciæ.

Data erat hæc Neo-electi Pontificis epistola ad Carolum die vigesima prima

prima Martii. In ea Regem de electione sua certiorem factum hortatur, *ut solemnes in Regno suo supplicationes fieri juberet, simulque precibus omnium fidelium Altissimo supplicaretur, ut ipsi gratia sua assistat, & dirigat actus ejus, ut possit condigne regere Ecclesiam, & ea agere, quæ spectant ad salutem fidelium, extirpationem hæresis, pacem populi Christiani, & infidelium oppressionem.* Pollicetur ex parte sua, *reducere Cameram Apostolicam ad antiquos, & laudabiles mores, ac omnia agere, quæ spectant ad honorem, & statum Regis, & Regni, & complacentiam votorum suorum.* Sæcul. XV. A. C. 1447. *Conc. gener. Labbei tom. 13. p. 1321.*

§. CLVII.

Alia ejusdem Pontificis epistola ad omnes Fideles adversus Amadæum.

Idem quoque Papa in forma cujusdam Bullæ aliam dedit epistolam ad omnes Christi Fideles, quæ tamen nonnisi duodecima Decembris scripta legitur. In ea Amadæum appellitat *fautorem & iniquitatis alumnum*, dicitque, *ne ejusdem fautorum atque sequacium invalescente malitia furor hujus tempestatis invalescat, & ad similia animos aliorum inducat, præsertim in Regno Franciæ, cui vicina Sabaudia est & proxima, auctoritate Apostolica Amadæo Ducatum Sabaudiæ omnemque hujus notorii schismatici, hæretici, excommunicati, & ama-* *Ibid. p. 1322.*

Sæcul. XV. A. C. 1447. *anathematizati terram confiscamus, atque confiscata Carolo Galliarum Regi vel ejusdem Delphino primogenito Filio donamus.* Postea cunctos adhortatur fideles, *ut cum Rege aut Delphino contra Amadæum & sequaces procedant, utque universi eo libentius, & animosius ad id currant, omnibus, qui in propriis personis, propriisque expensis processerint, plenam suorum peccatorum veniam indulget.* Nihilominus hæc Bulla Amadæo nec profuit, nec obfuit; Rex enim mediis nonnihil mitioribus, minusque violentis utendum ratus, Anno sequenti hanc in rem Lugdunensem coegit conventum.

§. CLVIII.

Pontificis sollicitudo Alphonsum & Mediolanensem Ducem cum Florentinis conciliandi.

Quo tempore Eugenius fatis cesserat, Alphonsus Arragoniæ & Siciliæ Rex Tibur, propinqua Romæ civitate, morabatur, anceps animi, retrone cederet, an Florentinos bello persequeretur, quemadmodum antea cum eodem Pontifice defuncto, & Duce Mediolanensi conventum fuerat. Ast Nicolaus quietis amans, pacem bello longe præferendam ratus, Cardinalem tit. S. Praxedis Ferrariam misit, ut illius consilio,

silio, atque auctoritate Alphonsi, Ducis Mediolanensis, Venetorum, Florentinorumque Legati, qui Ferrariæ hærebant, ad mutuæ pacis studia impellerentur. Hi postquam de jure suo utrinque diu multumque contendissent, tandem certas pacis conditiones proponere decernebant, forte Mediolanensium Duci haud adeo gratas, sed tamen ob infelicem statum, in quem Venetorum armis redactus erat, minime aspernandas. Cum vero Tabellarius ea de re literas Duci afferret, ipsum repentino morbo oppressum reperit: unde Veneti concordiam respuere cœperunt. Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CLIX.

Philippi Ducis Mediolanensis Obitus.

Præfati Ducis nomen erat Philippus Maria Visconti, seu Vicecomes, postremus eorum, qui supremum Mediolani imperium ex hac Domo gerebant, postquam Vicecomitum familia plusquam centum, & septuaginta annos præfuisset. Mortuus est die tertia decima Augusti annos natus quinquaginta septem, cujus obitum referens S. Antoninus non adeo honorificam de eo mentionem fecit, haud dubie in eum commotus ex odio illius erga Florentinos, necnon ex turbis, quas in Italia continuo accenderat. *Eo* *Antonin. tit. 22. c. 11. §. 17*

Sæcul. XV. A. C. 1447.

tempore, inquit S. Antoninus, *diem clausit extremum ſerpens ille antiquus, non dierum, ſed aſtutiarum*, ex ventris profluvio, *& ſicut in vita ſua nec Deum timens, nec homines verens fuit, ita & in morte ſine Sacramentis decedens, quinimo cum & Medicus ejus hortaretur eum ad confeſſionem, illi mandari fecit, ut amplius non viſitaret eum.*

Æn. Sylv. de Europ. cap. 40.

Æneas Sylvius Virum depingit: *deformi facie ac terribili, inſtabilibus ac prægrandibus oculis, ingenio peracri, & callido, in audiendo primum difficilem, aſt ubi in colloquium veniſſet, mitem ac placidum, in parcendo facilem, in largiendo profuſum, cultus corporis, omnisque lenocinii negligentem, venandi cupidum, equorum ſtudioſum: ceterum quietis impatientem, in pace bellum, & in bello pacem quærentem, egregium diſſimulandi artificem, in milites quam in cives indulgentiorem; delatoribus credulum, in ſuſpiciones adeo pronum, ut ſæpe fidiſſimos a ſe amicos leviſſimis de cauſſis alienaret: ſermonem de morte audiiſſe invitum, & ad tonitrua ac fulmina mire pavidum. Ei, cum vita deceſſiſſet, nec funus tanto Principe dignum ductum eſſe, nec ſepulchri decus additum.*

§. CLX.

De Mediolanenſi Ducatu contendentes.

Philippo e vivis erepto complures quidem ad Mediolanenſem Principatum aſpi-

aſpirabant, ſed præ reliquis eminebant quatuor, qui omnes jus minime ambiguum ſibi ſuffragari arbitrabantur. Horum primus erat Fridericus Imperator, qui devolutum ad ſe Ducatum aſſerebat, cum Philippus ſine legitima prole vita functus eſſet; Blanca enim ejus Filia, quam Franciſcus Sfortia uxorem habebat, ex illegitimis natalibus ortum duxit. Alter erat Alphonſus Arragonum Rex, qui ſe teſtamento Philippi hæredem inſtitutum eſſe contendebat. Tertius, Carolus Dux Aurelianenſis cognationis jure Principatum petebat, utpote natus ex Valentina Philippi Sorore, & Joannis Galeatii primi Ducis Mediolanenſis Filia; jusque ſuum firmabat, eoquod ipſi Philippus Urbem Aſtenſem tradidiſſet, quæ olim Matri ſuæ cum toto Aſtenſi Comitatu in dotem promiſſa fuerat. Quartus denique erat Franciſcus Sfortia, qui ſuccedendi jus ſibi arrogabat, eoquod defuncti gener, atque ab eodem in Filium adoptatus fuiſſet, cui etiam Philippus dotis nomine olim Cremonam aſſignaſſet. Mediolanenſes econtra recuperandæ libertatis, qua tot abhinc annis exciderant, oppido avidi, ſtatum civitatis reformabant, novamque Reipublicæ formam inſtituentes, Magiſtratus populares eligebant, id ipſum quoque reliquæ civitates Philippi domi-

Sæcul. XV. A. C. 1447.

nio

Sæcul. XV. A. C. 1447.

nio olim subjectæ aggrediebantur, earum tamen nulla consilium exequi poterat; partim enim a Venetis, partim a Sfortia, aliisque Principibus omnes istæ urbes occupatæ fuerunt.

§. CLXI.

Alphonsus juri suo in Mediolanensem Ducatum cedens.

Æn. Sylv. Europ. c. 49 Antonin. tit. 22. c. 12. Platin. in Nicol. V. Marian. lib. 22. cap. 5. Surita t. 16.

Alphonsus insigni prorsus, ac plane insolita moderatione usus, ne totius Italiæ imperium affectare videretur, aut adversus se Galliam, Germaniam, Pontifices, omnesque Italiæ Principes concitaret, a jure suo prosequendo destitit; ad hoc eo vel maxime motus, quod novum interea bellum in Florentinos moviisset specietenus quidem, ut omnibus suis ditionibus pacem procuraret, Ducatumque Mediolanensem tueretur, re tamen ipsa ut Hetruriam (prout Florentini suspicabantur) occuparet, illud vero haud ei pro voto successisset. Scribit Paulus Jovius, Philippum ante obitum suum diu agitasse animo, an Alphonsum Regem Sfortiæ genero suo præferret, ut hujus ope Venetæ gentis ambitionem frangere posset; tandem vero devictum amore erga Filiam suam Blancam, quæ jamjam in spem imperii Filium genuerat, Franciscum Sfortiam adoptasse, quamvis Medio-

Mediolanenſes id ægerrime ferrent, eo- Sæcul. XV.
quod totam brevi regionem ſuam Hiſpa- A. C. 1447.
norum colonis repleri pertimeſcerent. Ita quidem Jovius factum enarrat: vero tamen ſimilius eſt, quod nullus a Philippo hæres conſtitutus fuerit, proin validius præ reliquis jus in totam hæreditatem Duci Aurelianenſi Valentina ejus Mater tribuere videbatur; Philippum enim hanc conditionem addidiſſe referunt Auctores, ut ſi absque liberis decederet, ipſius Valentinæ Filii, legitimique ſucceſſores toto Principatu potirentur. Ceterum hæc controverſia fati arbitrio dirempta eſt, & Principatus, poſtquam Mediolanenſes per plures annos a diverſis, quæ imperium affectabant, factionibus acriter divexati fuerant, demum Franciſci Sfortiæ Ducis dominio ceſſit: hinc uberrima novorum, graviſſimorumque motuum ſeges excrevit.

§. CLXII.

Caſimirus acceptato Poloniæ Regno coronatus.

Caſimirus poſt longas admodum pro- *Michov. l. 4. cap. 65.*
craſtinationes, tandem Poloniæ coronam ſibi dudum oblatam acceptabat, qúa & die vigeſima ſexta Junii Cracoviæ redimitus eſt. Altera poſt inaugurationem die, quæ ad recipiendum de more

Sæcul. XV. A. C. 1447.

more a subditis fidei Sacramentum præstituta erat, exorta est gravis controversia inter Episcopos, & Masoviorum Duces de loci prærogativa, quis eorum in publico consessu præcederet, dextrumque latus teneret, quo factum, ut eo die re omnino infecta recederent, negotiumque protraherent, donec tandem composita lite Duces Episcopis locum cedere consensissent. Postea placuit omnibus, ut Nicolao Papæ obedientia præstaretur; unde ad eum Legati fuere decreti, qui delato obsequio insuper quædam postulata Pontifici exponerent, quorum aliqua admisit Nicolaus, alia respuit. Petebant inter alia, ut pro sumptibus belli in Tartaros decem Florenorum millia a Clero exigendi facultatem Papa concederet, quod & impetrarunt. Cum autem præterea decimam decimæ partem postularent, necnon jus conferendi Beneficia, quæ in tota Polonia vacatura essent unacum pensione, sive denario S. Petri, in utroque petito repulsam passi sunt, id tantum eis concessum, ut nonaginta duntaxat beneficia, quæ alias de jure ad Papam pertinerent, quamprimum in Gnesnensi Provincia vacarent, conferre possent. His ita compositis, necdum tamen universitas Cracoviensis sua Nicolao Papæ obsequia detulit,

tulit, sed usque ad abdicationem Felicis in fide Basileensium perstitit. Sæcul. XV. A. C. 1447.

§. CLXIII.

Laurentius Valla damnatus ut hæreticus.

Eodem anno Laurentius Valla Patricius Romanus, & Ecclesiæ ad S. Joannem in Laterano Canonicus Neapoli ab Inquisitoribus pro Hæretico damnatus est. Factum hoc Poggius prolixius enarrat, observans, Laurentium nonnisi beneficio Alphonsi Regis, quem latinas literas docuit, pœnam ignis evasisse, nec tamen Regem auctoritate sua impetrare potuisse, quo minus virgis privatim & manibus post tergum ligatis per claustra monasterii Prædicatorum cæderetur. Idem Auctor Laurentium errasse innuit in Mysteriis fidei de Trinitate, libero arbitrio, & Virginitate Sanctimonialium, necnon ad tantam prolapsum fuisse temeritatem, ut magna illa Ecclesiæ luminaria, Augustinum & Hieronymum, Boetium, aliosque damnare non dubitaret. Quia vero Poggius cum præfato Canonico ob latini sermonis elegantiam acres fovebat simultates, ipsius testimonii fides merito suspecta esse videtur, præcipue cum alius modernus Scriptor totam hujus facti narrationem mere confictam esse

Sæcul. XV. A.C. 1447.

esse contendat, ac vel ideo velut fabulam exsufflandam censeat, eoquod Laurentius Valla Romam redux, constituta pensione annua Magistri publice docentis munere functus esset, quod certe Roma non tulisset, si tanta labe notatus, Neapoli hæreseos damnatus fuisset.

Dupin. Bibliot. Script tom. 12. in 4 pag. 94.

§. CLXIV.

Angliæ Rex Cenomanum, Maduanam &c. Gallis reddere compulsus.

Joan. Chartier. Histor. Carol. VII.

Carolus Francorum Rex, cum Anglorum vires, auctoritatemque haud multum in Galliis sibi timendam esse, probe cognosceret, minori etiam religione eorum amicitiam tueri curabat; cujus rei experimentum dedit, dum Angliæ Regem, quocunque demum etiam belli redintegrandi periculo, ad liberandam promissi fidem compellere statuit. Equidem Henricus VI. dum Margaritam Renati Andegavensis Siciliæ Regis Filiam uxorem duxerat, Carolo Andegavensi Cenomanensi Comiti Cenomanum reddere pollicitus est, nihilominus non solum vario sub obtentu urbem restituere cunctabatur, sed etiam eandem præsidiariis copiis, quæ ad duo millia ascendebant, munierat; quocirca Rex Carolus urbis obsidionem Comiti Dunensi commisit, ipse vero Lavardini ad Agrum Vin-

Vindocinenſem caſtra poſuit, ut obſidentes protegere poſſet. Jamque obſidionis violentia incolas in extremum diſcrimen adduxerat, nec iis de urbis deditione cum Gallis aliter transigere licebat, quam ut non modo Cenomanum, ſed inſuper Maduanam urbem, & arcem cum aliis quibusdam locis Victoribus reſtituerent. Hiſce pactis utrinque adimpletis, inducias reſumebant. Sæcul. XV. A. C 1448.

§. CLXV. An. 1448.

Concordata Nicolai Papæ cum Germanis.

Cum Germani neutri Papæ adhærendi propoſitum omnino ejurarent, ſeque Nicolai V. tanquam unici, atque legitimi Pontificis obſequio devoverent, idem Papa Joannem de Carvajalis Natione Hiſpanum in Germaniam Legatum decrevit, qui hancce Provinciam longa Neutralitate, ut vocant, diſſipatam componeret, & Nationis germanicæ onera audiret. Re ab hoc Cardinale cum Friderico Imperatore ac Principibus, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus mature tractata, conventum demum eſt in quædam capita, quæ concordata dicuntur, & Nicolai diplomate Calendis Aprilis dato rati habita fuere; His imprimis ſummus Pontifex Eccleſias quascunque majores, *Bullar. tom. 3. Nicol. V. Conſtit. 1.*

Sæcul. XV. A. C. 1448.

& dignitates, ac beneficia omnia, & qualiacunque, sæcularia & regularia, electiva & collativa, vacantia in Curia Romana, necnon Cardinalium, omniumque Romanæ Ecclesiæ Officialium, vbicunque eos decedere contigerit, dispositioni suæ reservabat, in Metropolitanis tamen, & Cathedralibus Ecclesiis, ac monasteriis electiones Canonicas fieri concessit, quæ tamen postea ad Sedem Apostolicam intra tempus a Nicolao III. in Constitutione, quæ incipit *Cupientes*, constitutum deferendæ essent, ut ab ea confirmarentur: de ceteris vero dignitatibus, & beneficiis quibuscunque (majores duntaxat dignitates Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum excipiebantur) jure ordinario provideri permisit, ita ut sex mensibus videlicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, atque Decembri libera omnino Ordinariis esset eorum collatio: in sex vero reliquis mensibus ejusmodi vacantia beneficia &c. ita ad Sedem Apostolicam pertinerent, ut tamen, nisi infra tres menses a die, quo beneficium vacare cœpit, innotescat ejusdem sacræ Sedis provisio, hæc ad ipsos Ordinarios devolveretur: Annatarum autem solutio de Cathedralibus & Abbatiis Virorum fieret secundum receptam Cameræ Apostolicæ taxationem: de ceteris vero beneficiis, quorum proventus valorem viginti

Cap. 16. Cupientes de elect. in 6.

viginti quatuor florenorum aureorum non excederent, nihil solveretur, & a sacra Sede gratis omnino conferrentur. Sæcul. XV A. C. 1448.

§. CLXVI.

Bulla Nicolai Papæ ad omnes Fideles.

Nicolaus die decima octava Januarii præcedentis (*) Bullam edidit ad omnes Christi Fideles directam, in qua hæc habet: *Cum superioribus temporibus propter divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum, & tunc Basileense Concilium plurimum turbata, ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei: jam autem tractatu Oratorum carissimorum in Christo Filiorum Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, nec non Delphini, integræ pacis & unionis consequendæ dispositio optima videretur, Amadeo juri, quod in Papatu se habere asserit, cedere volente, eis, qui olim Basileæ, nunc autem Lausanæ, sub nomine generalis Concilii permanserunt, & permanent, concurrentibus in idipsum, aliisque ad pacem Ecclesiæ laborantibus.* Merito talia de Amadeo effatus est Nicolaus, qui ad pacem *Conc. gener. Labbe tom. 13. p. 1323.*

(*) Hæc epistola in actis Conciliorum data legitur anno 1449. quarto decimo Kalendas Julii.

Sæcul. XV. A. C. 1448

pacem pronum ipsius animum sibi satis perspectum habuit, & forte ipsius cessionem ab eo exactam prævio suo consensu prævenerat. Ut ut res se habeat, id certum est, Nicolaum eadem hac Bulla *de Sedis Apostolicæ plenitudine necnon Cardinalium consilio & assensu declarasse omnia & singula* tam per Eugenium, quam Amadeum facta (*) *nullum effectum penitus sortiri, sed perinde haberi debere, ac si nullatenus emanassent.*

§. CLXVII.

Conventus Lugdunensis pro pace Ecclesiæ.

Monstrelet. Vol. 3. c. 4. 6.

Rex Galliarum ex prospero futuræ pacis auspicio lætus, Conventum indixit Lugduni mense Julio anni præsentis, in quo illud maximi momenti negotium discu-

(*) Supple quantum ad censuras & pœnas, quas hi Pontifices vicissim alter in alterum tulerant. Si enim ex horum verborum latitudine Basileensium decreta contra Pontificis auctoritatem fabricata a Nicolao fuisse approbata, colligere fas foret; pari ibidem jure ex simili verborum amplitudine, qua Basileenses in ultima sua sessione utebantur, inferendum esset, ab iis etiam cuncta, quæ Eugenius & Nicolaus pro tuenda Pontificis potestate decreverant, fuisse approbata, vide Contin. lib. CX. §. 3. & §. 4.

scuteretur, & tandem pro bono Ecclesiæ pax decerneretur. Intererant nomine Regis Jacobus Juvenalis Ursinus, Rhemensis Archiepiscopus, Claramontanus Præsul, Marescallus de la Fayetta, Elias de Pampadur Carcassonensis Archidiaconus, & Thomas de Corsellis seu de Curcellis Theologiæ Doctor. Convenerant quoque Dunensis Comes cum Angliæ Legatis, & Trevirensis Archiepiscopus, atque Electorum Coloniæ ac Saxoniæ Oratores, qui eo tempore in aula Regis Galliæ diversabantur. Amadeus quoque & Basileenses eo decreverunt Cardinalem Arelatensem, Montis Jovis Præpositum, aliosque. Archiepiscopus item Embrodunensis & Dominus Malicornensis nomine Delphini, utut Delphinatus Principis, denique Massilienſis Episcopus pro Rege Siciliæ aderant. Hi omnes junctis viribus ad extinguendum schisma strenue suam navarunt operam, initio quidem minus prospero successu, ob varia, quæ identidem exorta fuere, obstacula, quorum caussa, consultationibus usque ad mensem Octobrem protractis, tempus terebatur, necdum tamen res decisa fuerat. Secul. XV. A. C. 1448.

Sæcul. XV.
A. C. 1448.

§. CLXVIII.

Legati ad Amadæum Sabaudum decreti.

Nihilominus cum in hoc Conventu congregati una omnes nonnisi sana foverent consilia, atque aliunde quoad principale, scilicet cessionis ab Amadæo promissæ punctum cuncti jamjam in eandem sententiam conspirarent, unanimi suffragio decreverunt, Amadæum Genevæ, ubi tum agebat, adeundum, (*) prævie tamen quosdam articulos esse statuendos, quibus si ambo Competitores, Nicolaus & Felix consensuri essent, hic prætensam Pontificatus sui dignitatem abdicaret. Igitur Mense Novembri abeunt Legati, eodemque tempore alii Regis Caroli Oratores redeunt, eumque Turonii conveniunt, significantque, Amadæum ut Papatui cederet, pollicitum esse. Accepto hoc nuncio Rex Legatos Romam mittere statuit, qui cum Nicolao Papa de futuræ abdicationis conditionibus conferrent, simulque omnes remoras, quas forte Pontifex opponeret, sedulo tollerent. Hoc Regis consilium haud dubie optatum pollicebatur successum; quippe Pontifex Vir erat animi lenita-

(*) *Ceterorum Historicorum nullus affirmat, Amadæi quoque consensum fuisse expetitum.*

nitate, pacisque amore longe celeberri- Sæcul. XV.
mus; atque ideo benevola prorsus aure A. C. 1448
excepit cunctas concordiæ conditiones sibi a tanto Rege propositas, qui proprio suo commodo justitiam, ac Ecclesiæ unionem longe præferens, nil nisi utriusque partis utilitatem cordi habuit.

§. CLXIX.

Legatio Regis Franciæ ad Nicolaum Papam.

Hac Legatione Romam decreta fungebantur Rhemensis Archiepiscopus, Elias de Pampadur, non ita pridem ad Episcopalem Alesiæ Sedem evectus, Guido Bernardus Turonensis Archidiaconus, Corsellis Theologiæ Doctor, Tannequillus de Castro & Jacobus a Corde (*) supremus Fisci Regii Præfectus. Hos aliquot dierum itinere prævenerant Angliæ Legati, qui interea summo Pontifici concordiæ formulam Genevæ conceptam exhibuere; hanc tamen Nicolaus rejecit, utpote conditionibus uni parti nimium onerosis, & alteri plus justo commo-

(*) *Idem a Matthæo de Coucy in sua historia Caroli VII. gallice conscripta pag. 691. appellatus Jacobus Cor.* Argentier, *seu pecuniæ Regis pro domestica impensa administer.*

Sæcul. XV. A.C. 1448.

commodis vitiatam. Quocirca Angli jam Roma ad ſua revertebantur, ac Oratoribus Gallis, quos Viterbii obvios habebant, Pontificis animum aperientes ſiniſtrum concordiæ ab ipſis tentatæ exitum enarrabant: Verum Galli nihil propterea deterriti, iter ſuum ſtrenue proſecuti ſunt, Anglis adhucdum Viterbii hærentibus, qui tamen accepto reducendæ pacis nuntio Romam rediere, ceteris ſuam quoque operam impenſuri.

§. CLXX.

Articuli unionis ab Oratoribus propoſiti.

Conc. gener. Labbe tom. 13. p. 1526.

Regis Galliæ Legati die duodecima Julii primo ad colloquium Nicolai Papæ admiſſi, concordiæ pactiones, quas perferendas habebant, Pontifici exponunt, hunc in modum conceptas. I. *Felix det ſuas literas in bona & ſecura forma de renuntiando Papatu.* II. *Habeantur literæ Nicolai Papæ, per quas omnes privationes, ſuſpenſiones & pœnas contra Felicem, contra Baſileenſe Concilium ac eis adhærentes fulminatas effectum ſortiri non debere decerneret.* III. *Habeantur literæ Nicolai in meliori forma, per quas omnes privati & ſpoliati ſuis Eccleſiis, dignitatibus & poſſeſſionibus in priſtinum, & in integrum reducantur, & reponantur, & ſuper hoc habean-*

habeantur literæ in fortiori forma. IV. Cardinales utriusque obedientiæ cum honoribus, prærogativis & emolumentis remaneant, si autem duo vel plures in eodem titulo concurrerint, provideatur, quemadmodum in Concilio Constantiensi actum existit. V. Omnes Officiarii actu in Curia Domini Felicis, & Basileensis Concilii residentes in suis officiis remaneant. VI. Dabit Dominus Nicolaus literas suas, per quas actualiter, & irrevocabiliter convocet Concilium generale in aliquo loco nationis Gallicanæ, prima die Septembris anni sequentis (*) inchoandum. VII. Dabit literas approbatorias, & confirmatorias provisionum Ecclesiarum omnium, & quorumcunque beneficiorum per Felicem & Basileense Concilium factarum. VIII. Promittet Dominus Nicolaus ratam & gratam provisionem rationabilem, honestam, & condecentem pro statu, honore, ac quiete Felicis in alio Concilio futuro approbandam, & confirmandam.

Sæcul. XV. A.C. 1448.

§. CLXXI.

(*) In actis legitur: *Prima die septimi Mensis, postquam adimplenda per Concilium Basileense & Felicem fuerint adimpleta, inchoandum.*

Sæcul. XV. A.C. 1448.

§. CLXXI.

Postulata Felicis Papatum abdicantis.

Quæ Felix sibi concedi postulaverat, cuncta ad sequentes revocabantur articulos. I. Cardinalis, Episcopus, Legatus, ac Vicarius perpetuus in omnibus Ducis Sabaudiæ ditionibus renuncietur. II. In Ecclesia Romana secundum a summo Pontifice teneat locum. III. Quoties Papam conveniret, hic e solio suo eidem assurgat, nec in ejusmodi concursu alia obsequii ac submissionis signa præter osculum oris ab eo exigat. IV. Ipsi habitum, & insignia Papalia (demptis annulo Piscatoris, Cruce in calceamentis, & delatione sanctissimæ Eucharistiæ) deferre liceat. V. Quoties extra terminos suæ ditionis egrederetur, insignibus, jure ac potestate Legati gaudeat: Denique in Curia Romana, vel Generali Concilio comparere minime teneatur. Hæc omnia, excepto solo articulo de convocatione Concilii Generalis, executioni mandata sunt. Felix summi Pontificatus insignia positurus (quod tamen nonnisi anno sequenti perfecit,) Synodum ad urbem Lausanam convocavit, ceu potius Basileensem prosecutus est.

§. CLXXII.

Sæcul. XV.
A.C. 1448.

§. CLXXII.

Carvajalus Legatus in Bohemiam a Papa ablegatus.

Carvajalus a Pontifice in Germaniam missus mandatum accepit, ut Bohemiam pariter adiret. Sperabatur enim, Maynardum Regni Gubernatorem prorsus omnia ita disposuisse, ut populus ad Romanæ Ecclesiæ sinum facile reduci posset. Attamen quod reddendæ unioni vel maxime necessarium, præcipuumque fuisset, Legatus secum afferre intermisit, nempe literas Pontificias, quibus Rochisanæ Pragensis committeretur Archiepiscopalis Ecclesia. Nihilominus Legatus Pragam totius Bohemiæ Metropolim ingressus est, cruce, aliisque dignitatis suæ insignibus decoratus, comitia quoque, ubi de Regni negotiis agebatur, adiit, utroque Gubernatore Maynardo, & Petrascone, Regni Proceribus, Clero, Academia, & populo ultro obviam progressis. Adstitit etiam orationi a Bohemis dictæ, qua magnificis omnino encomiis Sedem Apostolicam, atque Pontifices, Eugenium, & Nicolaum, necnon Sigismundi Imperatoris defuncti memoriam, ipsumque Joannem Legatum celebrabant, brevique sermone exponebant, quæ circa communionem sub utraque specie

Sæcul. XV. A.C. 1448.

ſpecie inter Baſileenſe Concilium, & Bohemos acta fuiſſent; quibus dictis duo petebant, nimirum I. ut conventa, quæ *compactata* vocabant, firmarentur. II. Ut Joannes Rochiſana auctoritate Apoſtolica Pragenſis Archiepiſcopus initiaretur.

§. CLXXIII.

Legati reſponſum ad Bohemorum poſtulata.

Cochl. hiſt. l. 10.

Cardinalis ad ea, quæ Bohemi poſtulabant, reſpondens dixit; ſe in iis, de quibus jam antea conventum eſſet, brevi ipſorum votis ſatisfacturum: antequam vero de Rochiſanæ inauguratione ageretur, prius Pragenſis Eccleſiæ bona reſtitui voluit, ne ad Archiepiſcopalem dignitatem evectus, cum ſtatus ſui injuria victum ab aliis mendicare cogeretur. Demum hortabatur eos, ut Hungarorum exemplo Ladislaum puerum ut Regem ſuum legitimum agnoſcerent, ſicque regno pacem redderent. Ubi vero Bohemi reſpondebant, difficilem nimis fore bonorum Eccleſiæ reſtitutionem, ſeque aliunde Rochiſanæ ſuſtentationi proviſuros, cum nulla melioris eventus ſpes affulgeret, re infecta conventum ſolverunt.

§. CLXXIV.

Sæcul. XV.
A.C.1448.

§. CLXXIV.

Legatus Rochisanam sibi demereri conatus.

Legatus hac Bohemorum pertinacia compulsus, ipsum Rochisanam adiit, ut illum sibi arctiori amicitia devinceret, tandemque animum ejus ad suas partes pertraheret. Rochisana primo Legati votis plurimum concessisse videbatur, attamen propriæ suæ utilitatis studio longe fortius, quam credebatur, tractum fuisse, eventus docuit.

§. CLXXV.

Papæ diploma a Rochisana pro Pragensi Archiepiscopatu petitum.

Rochisana omnibus modis Legato persuadere conabatur, se plus ceteris laborasse, ut Hussitæ cum Basileensi Synodo unirentur, suamque navatam operam usque adeo Sigismundo Imperatori probatam fuisse, ut illi in tam insignis obsequii præmium Pragensis Ecclesiæ Prælaturam polliceretur, ac propterea Sede illa Archiepiscopali vacante, ut ad eam ipse eveheretur, a Cæsare in Curia Romana rem instanter promotam fuisse, nec tunc quicquam obstitisse, minus vero nunc quicquam obesse. His subjunxit,

Sæcul. XV. A.C. 1448.

xit, se a Catholicis æque ac ab Hussitis Bohemis unanimi voto Archiepiscopum expeti, statusque Regni pro ipso intercessisse, datis jamjam Romam literis, nec unquam eum a summa Sede re ipsa, disertisque verbis ab hac dignitate fuisse rejectum, sed duntaxat de die in diem variis prætextibus literas Apostolicas retardari; hanc ipsam vero tergiversationem omnium malorum, quæ hucusque eveniissent, & quæ imposterum in Bohemia timenda essent, causssam extitisse, Religionem quoque inde plurimum periclitari, eoquod Clerus suo Capite destitutus relinqueretur, civesque Pragenses palam comminarentur, si eis alius obtruderetur Archiepiscopus, se illum in frusta discerpturos; idcirco suum id esse petitum, ut fides ab Imperatore Sigismundo data exsolveretur, hacque sub lege nec aliter se Pontifici obedientiam polliciturum, si autem Sedes Apostolica Rochisanam Archiepiscopali munere indignum judicaret, nec se a Papa jure adigendum fore, ut ea, quæ dignitatis hujus præcipua essent, munia adimpleat, nimirum ut sanctitatis suæ mandata in prima Bohemiæ Diœcesi exequenda curaret.

§. CLXXVI.

Legati responsum ad Rochisanam.

Legatus hoc sermone nonnihil conterri-

territus, Rochisanæ respondit, usitatum Romanæ Curiæ morem esse, rem tanti momenti, priusquam decideretur, prævio examine maturius ponderare; nec tamen propterea animum desponderet; quod enim hoc tempore dilatum, alio certius perficiendum. Rochisana hoc responso exacerbatus, Legatum amplius convenire noluit. Ille autem Bohemæ indolis inscius, Rochisana inconsulto rem perficere aggrediebatur, non multo tamen post spe sua delusum se sensit.

Saecul. XV. A. C. 1448.

§. CLXXVII.

Apostolicæ literæ pro Rochisana a Bohemiæ statibus petitæ.

Regni Proceres ante omnia literas Apostolicas Rochisanæ dari urgebant, cum descreviissent, se nihil eorum, quæ Clericos concernerent, tractaturos, nisi prius eorum postulatis legatus annueret. Ille in primo limine Legationis suæ hærere coactus, Romam nuntium misit, quo reduce comperit, summum Pontificem Bullas, quas Bohemiæ status desiderarent, concedere paratum esse, dummodo & ipsi pacta, quæ Constantiensis Episcopus pro Concilio Basileensi cum illis sanxerat, hactenus ab eis violata plene resarcirent, præcipue vero ea servarent, quæ circa nobiliorem portionem bonorum

Sæcul. XV. A.C. 1443.

norum Ecclesiasticorum postea ab Hussitis usurpatorum concluſa fuere. Verum hæc Pontificis ſententia Rochiſanæ neutiquam arridebat.

§. CLXXVIII.

Simultates Legatum inter & Rochiſanam.

Ceterum Rochiſana, cum timeret, ne Bohemi, ſi illum a ſuſcepto Pragenſem Archiepiſcopatum obtinendi propoſito deſtitiſſe cognoſcerent, ſpe ſua fruſtrati eum impoſterum minoris haberent, ac Clerus ipſi favens inde eum circumveniendi anſam arriperet, ac obtenderet, illum denuo cum Catholicis in gratiam rediiſſe, ideo diſertis verbis Legato declaravit, quod viciſſim, ſi Sedes Apoſtolica ſibi quamvis immerito hanc gratiam impertiret, fidem ſuam obſtringeret, ſe deinceps in omnibus ſibi a Romano Pontifice injungendis prompte obtemperaturum, ſimulque popularium ſuorum ſtudia eo inclinaturum, ut toto vitæ ſuæ ſpatio univerſa Bohemia circa Religionis negotia ab omni tumultu libera conſervaretur. Aſt cum Legatus ab iis, quæ Roma in mandatis acceperat, nihil omnino remitteret, Rochiſana omnia modeſtiæ repagula diſrupit. Viciſſim Legatus coram Bohemiæ Proceribus

bus Rochisanam atris coloribus depingere haud omisit; vix tamen ulla eorum, quæ dixerat, ratio habebatur; prævalebat enim affectus, quo Rochisanam prosequebantur Bohemi, eumque velut Archiepiscopum suum, etsi literis Apostolicis careret, venerabantur. Sæcul. XV. A. C. 1448.

§. CLXXIX.

Rochisana perorando lingua & memoria hærens.

Refert Cardinalis Papiensis, placuisse Bohemiæ Proceribus, ut Rochisana crimina sibi a suis adversariis impacta palam dilueret, datumque ei hanc in rem fuisse sufficiens temporis spatium, ut orationem componere, ac memoriæ tradere posset. In illa unice intentus erat Rochisana, ut longas meritorum suorum, necnon obsequiorum, quæ Patriæ suæ præstitisset, centurias jactabundus enarraret; ipsus diem, in qua peroraret, sibi selegit, omnesque Regni Proceres, ipsumque Legatum, ut eum percipere vellent, rogavit; id etiam ipsimet Catholici a Legato impensius petebant, veriti, ne Hussitæ ex ejus absentia compendia traherent.

Igitur Rochisana sermonem suum orditur ab his verbis: videlicet: *Æternum Patris Verbum;* Attamen Deo te-

Sæcul. XV. A. C. 1448.

meritatem Viri castigante, confestim memoria fallitur, non solum orationis, quam jamjam dicturus esset, oblitus, sed etiam omnibus scientiæ suæ adminiculis, quibus sermonis sui defectum supplere posset, omnino destitutus hæsit, sæpius in variato vocis sono, ac corporis situ, semper tamen irrito conatu auxilium quæsivit, atque iterum ac tertio, ex longis semper intervallis idem orationis initium resumens, progredi ultra non potuit, semperque coactus est obmutescere, totius confessus ludibrio expositus.

§. CLXXX.

Legatus dicentem excipit, ac sermonem prosequitur.

Papiensis Comment. in fine.

Legatus, Rochisanæ rubori, ac meritæ confusioni aliquatenus consulturus, cum linguæ latinæ peritissimus, ac aliunde doctrinæ fama longe celeberrimus esset, mira facilitate Rochisanæ silentium correxit, idemque sermonis initium repetens, non minus invicto animi robore, quam verborum pondere, atque efficacia disseruit, strenue Bohemos adhortatus, ut abjurato errore ad Ecclesiæ Romanæ unitatem redirent. Singulare prorsus modestiæ suæ specimen præbuit Legatus, dum ampliſſima hac, & satis opportuna, qua Rochisanam coram celebri hoc con-

confessu redarguere, ac perversam illius indolem manifestam reddere potuisset, occasione neglecta, nequidem ullum protulit verbum, quod Rochisanam offendere, aut in se Fautorum ejus invidiam concitare potuisset. Nihilominus tantum abfuit, ut Viri moderationem deprædicarent Bohemi, ut etiam eundem aperte accusarent, illum eo duntaxat consilio hærentis orationem excepisse, ut Rochisanæ confusionem, quam quidem tegere simulasset, omnium tamen oculis manifestius exponeret. Denique tam variis, indignisque modis Legatum habebant, ut ei absque summi Pontificis, cujus vices gerebat, injuria, necnon Apostolicæ auctoritatis dispendio in tali regno, ubi Ecclesiæ hostibus plena insultandi libertas patebat, diutius morari haud licuerit, quocirca ad sua reverti serio meditabatur.

Sæcul. XV. A.C. 1448.

§. CLXXXI.

Legatus relicta Bohemia Romam reversus.

Ceterum clam abire minus consultum, suoque honori haud congruum fore arbitrabatur. Verum nil propius esse videbatur, quam ut ob hanc ipsam decentiæ sollicitudinem vitæ suæ jacturam faceret; Hussitæ enim non modo in Bohe-

Sæcul. XV. A C. 1448.

mia insidias ei parabant, sed etiam ad potissimas Principum Germaniæ ditiones, quas Romam iturus peragraret, sicarios emittebant. Nihilominus tam provide iter suum instituit, tantaque vigilantia ac studio a Principibus Imperii, & urbium Magistratibus, quorum terras pertransibat, protegebatur, ut tandem Hussitarum manibus ereptus, sanus & incolumis Romam venerit, Papæ Legationis suæ rationem redditurus.

§. CLXXXII.

Petarsco Bohemiæ Gubernator fatis functus.

Optimas hujus Legationis spes potissimum elusit dissensio Mainardum inter & Petarsconem, regni Gubernatores. Ille enim Catholicæ Religionis studio accensus primas eo curas intendit, ut avitas Patriæ leges, & sanam Ecclesiæ Romanæ doctrinam revocaret: Petarsco econtra, qui Rochisanam in paucis sibi carum Pragensi Ecclesiæ præfici, omni ope & opera contenderat, ægerrime tulit, Apostolicas literas tam avide expectatas longiori, ac nimium quæsita mora recusari. Nihilominus Mainardum tanto in honore habuit, ejusdemque virtutem admiratus est, ut nunquam illius consiliis palam obluctari, aut seditiosos, quos

quos ipse castigandos judicaverat, auctoritate sua tueri auderet. Quinimo unice, ut Mainardo obsequeretur, sententiam, qua in eos ultimum supplicium constituit, sua quoque manu firmavit. Sæcul. XV. A.C 1448.

Obiit Petarsco tempore Bohemorum tranquilitati admodum exitioso, & Podiebracium sibi successorem habuit, non minori quidem, quam Petarsco Rochisanæ amicitia junctum, magis tamen simulata, licet immoderata ambitione elatum. Jam ab illa die Bohemiæ solium, ad quod aspirante fortuna postmodum elevatus est, conscendere parabat; & quamvis Bohemorum Hussitarum doctrina sibi parum probaretur, opportune tamen sectæ hujus ope supremum Regni imperium sibi vendicare noverat, aliis legitimis viis sibi undique occlusis. Conabatur Mainardus intempestivo nonnihil zelo stimulatus, antiquos ritus jam viginti quatuor abhinc annis abolitos in Ecclesia urbis Pragensis denuo introducere. Podiebracius ex adverso illos tantopere abominari simulabat, ut Hussitæ cives eidem proponere non dubitaverint, ut urbem invaderet, hoc enim certum fore medium, quo Missa juxta novellæ Religionis præscriptum pro suo imperio liberrime celebrari posset.

Sæcul. XV.
A. C. 1448.

§. CLXXXIII.

Podiebracius Pragam urbem occupare intentus.

Podiebracius ea, qua valebat, ſagacitate facile ſubodoratus eſt, jam ſibi planam ſterni viam, qua ſolus ſupremas Regni habenas capeſſere, ac rei ſummam moderari poſſet. Nihilominus civium conſiliis annuit, ea tantum lege, ut probatæ fidei ac prudentiæ Viros prius in urbem mitterent, qui Huſſitarum vires & ſtudia explorarent; His omnia fauſta referentibus, invadendæ urbis dies conſtituitur, dato Huſſitis negotio, ut cuidam veteris Pragæ domui concubia nocte flammas ſubjicerent, & ad reſtinguendum ignem concurrentibus Catholicis, novæ Pragæ portas Podiebracio totis factionis ſuæ viribus ingreſſuro aperirent. Nec conſilio ſuus defuit eventus; quippe latius ob venti vehementiam furentibus flammis, Catholici, qui novam Pragam incolebant, ad primos incendii rumores in veterem urbem convolarunt, ignem extincturi. Huſſitæ, cum jam ſoli in urbe remanſiſſent, nullo negotio Pogebracium cum copiis introduxerunt. Hic, antequam Catholici eum caſtra moviſſe cognoſcerent, jamjam pontem, qui utram-

utramque urbem interſecat, occupavit, & muros feliciter tranſcendit. Sæcul. XV. A.C.1448.

§. CLXXXIV.

Mainardus captivus abductus obit.

Podiebracius jam urbe potitus ignem extinquere, & domos flammarum violentiæ magis obnoxias ſolo æquare, milites ſuos jubet: Reſiſtentes paſſim trucidantur, Mainardus quoque captus arcto carceri addicitur, ibique tandem obit, ſive veneno, ſive fame, ſive, ut plerique putant, tædio confectus, cum jamjam provectæ ætatis ſenex eſſet. Ex illo tempore Podiebracius urbis dominium, & Regni adminiſtrationem ſibi ſoli vendicabat: Rochiſana quoque, nullis licet Papæ literis munitus eſſet, Pragenſis Eccleſiæ Sedem invaſit, & Archiepiſcopi munia obivit, necquidquam obluctantibus Udalrico Mainardi Filio, & altero Udalrico de Roſis Barone Catholico. *Æn. Sylv. hiſt. Boh. c. 23*

§. CLXXXV.

Adornata ab Huniade in Turcas expeditio.

Inter hæc Joannes Huniades Hungariæ Gubernator ignominiam prælii Varnenſis abolere, ſuique nominis famam reſarcire maxime cupidus erat; hinc de-

Sæcul. XV. A. C. 1448.

lectu militum facto, exercitum duorum ac viginti millium armatorum in Turcas eduxit. Georgium quoque Myſiæ Deſpotam in belli ſocietatem vocare conſtituit, illo autem non ita pridem initam cum Amurate concordiam, quam frangere nollet, obtendente, Huniades per Bulgariam copias ſuas ducere compulſus eſt, comitante Bartholomæo Lapatio Florentino ex Ordine Prædicatorum, Epiſcopo Coronenſi Sedis Apoſtolicæ Legato. Amurates Huniadis vires, iterque, quod ſuſceperat, a Georgio edoctus, admoto octoginta millium exercitu hoſtem prævertit. Ad tam validi exercitus occurſum vehementer obſtupuit Huniades, expectabat tamen Scanderbegum Albaniæ Principem, prout inter eos convenerat, ab Illyrico Turcarum copias aggreſſurum. Nil reliquum erat, quam prælii diſcrimen experiri. Concurrente igitur utroque exercitu feria quinta die decima ſeptima Octobris pari utrinque vincendi aviditate pugnatum eſt in vaſto, planoque quodam campo, qui in Myſiæ & Bulgariæ fines longe, lateque excurrebat, atque ab Hungaris Rigomerzovia, a Raſcianis vero Coſova, hoc eſt, campus Merulæ nominabatur.

§. CLXXXVI.

Sæcul. XV.
A. C. 1448.

§. CLXXXVI.

Christiani ab Amurate præventi, cæsique.

Prima die prælium non nisi ingruentibus noctis tenebris diremptum est, non sine ingenti Turcarum clade; postridie redintegrato certamine a summo mane ad noctem usque haud minore fervore, sed longe majori Christianorum cæde dimicatum fuit, donec tertia die, quæ erat Sabbatum, prima luce concurrentibus utrinque copiis post multam ubique cladem, Christiani triduano labore nimium confecti, a Turcis profligati, ac demum in fugam versi essent, octo Valachorum millibus, ut ferunt, per summam ignaviam instante prælio Huniadis signa deserentibus, atque ad Amuratem transeuntibus, qui tamen perfidorum defectionem perhorrescens, eos suis vexillis minime adscribi voluit, sed cunctos in ipso ceterorum Christianorum conspectu trucidari jussit. Occubuerunt in hoc prælio Zecheles Huniadis Nepos, & Valachorum Præfectus, Legatus Apostolicus, magnaque Procerum pars; e Turcis vero triginta quatuor millia ceciderunt, octo millibus Christianorum desideratis; Amurates enim captivos omnes obtruncari præcepit.

Spond ad hunc ann. n. 5

Bonfin. 3. Dec. 7. p. 499. Æn Sylv. Europ. c. 6. Michov. l. 4.

Sæcul. XV. A.C. 1448.

§. CLXXXVII.

Huniades fuga vitæ ſuæ conſulens.

Huniades, ubi Zechelem occiſum, & nonnulla ſigna a Turcis capta animadvertit, fugam ſolus equo velociſſimo præripiens tres dies per avia & invia ſine ullo cibo aut potu devectus, quarto demum incidit in duos latrones, a quibus ſpoliatus, cum iidem inter ſe de cruce aurea e collo ejus pendente, cujus eſſet, altercarentur, ipſe rapto unius gladio, eum lethali vulnere confecit, alterum in fugam convertit. Sinderoviam inde profectus, Georgii Serviæ Deſpotis juſſu per ſummam perfidiam Viro probo indignam captivus detinetur, ac duriſſimis conditionibus, datoque in obſidem Ladislao juniore filio ſuo libertatem redimere cogitur. Huniades temporis injuriæ parumper cedendum ratus, paulo poſt tamen, dum in Hungariam ingenti honore exceptus rediit, Deſpotæ ditionem infeſtis armis invaſit, ac Filium ſuum ex Georgii manibus eripuit. Hiſtoricorum nonnulli literis prodidere, Turcas parta victoria ab Amurate petiiſſe, ut paſcha ipſorum eodem certaminis loco in gratiarum actionem ſolido triduo celebraretur. Phranzes teſtatur, Amuratem ſub idem quoque tempus veſtes, officia &

Leunclav. l. 14.
Phranz. l. 3. cap. 32.

& pugnandi formam Janissaris, ut vocant, usitatam reformasse, pluribusque auxisse prærogativis, ea tamen lege, ut cælibes permanerent; timebat enim, ne uxorum ac filiorum sollicitudo eorum animos a generosi militis officiis averteret, ac ignavos redderet. Sæcul. XV. A.C. 1448.

§. CLXXXVIII.

Turonense Concilium Provinciale Andegavi celebratum.

Hoc anno Turonensis Synodus Provincialis mense Julio Andegavi celebrata est, Joanne Archiepiscopo Turonensi Præside. Adfuere ejusdem Suffraganei, Petrus Maclovienſis, Joannes Cenomanensis, Guillelmus Nannetensis, Robertus Redonensis, Joannes de Bellavalle, ceterique tam Episcopi, quam Abbates vel eorum Procuratores. Ad tollendos nonnullos abusus decem & septem condita fuere statuta seu decreta. I. Cuilibet Sacerdoti injungitur, *ut singulis diebus non solemnibus dicat officium mortuorum ad minus cum tribus lectionibus.* II. *Distributiones quotidianæ non dentur absentibus ab horis & anniversariis.* III. *Nullus Canonicus in diversis Ecclesiis pro eadem hora distributiones recipiat.* IV. *Præsentes horis Canonicis silentium teneant, orationes devote audiant, nec bini in Choro horas ipsas dicere* *Conc. gener. Labbe to. 13. p. 1350.*

Sæcul. XV. A.C. 1448.

dicere præsumant. V. *Ludos noxios & scandalosos omnibus quidem, sed Clericis præcipue prohibet Synodus.* VI. *Prædicatores cum omni reverentia & humilitate verbum divinum annuntient. Nec Sacerdotes nisi in locis consecratis Missam celebrent.* (*) VIII. *Monasteria bonis suis non spolientur.* IX. *Archidiaconi Ecclesias visitantes, si non debite visitaverint, nihil percipiant.* X. *Prohibetur, ne aliquis teneat concubinam.* XI. *Ne quis sententiam excommunicationis latam occultam teneat, sed faciat eam publicari.* XII. *Interdicuntur Matrimonia clandestina.* XIII. Item *clamores, aliique tumultus fieri soliti in secundis, vel tertiis quorumdam nuptiis.* XIV. *Excommunicantur raptores personarum Ecclesiasticarum, rerum suarum, seu locorum Religiosorum.* XV. *Comprobatur sententia excommunicationis lata in eos, qui bajulos sententiarum, aut executorum Ecclesiasticorum judicum capere, aut quod gravius est, interficere attentaverint.* XVI. *Prohibetur, ne ignotæ Sanctorum Reliquiæ quæstus gratia per Provinciam deferantur.* XVII. *Statuitur, ut indulgentiæ per Sedem Apostolicam concessæ legitime publicentur, & populo exponantur.*

§. CLXXXIX.

(*) *Canon VII. deest.*

Sæcul. XV.
A.C. 1448.

§. CLXXXIX.

Divisio Regnorum Borealium.

Septentrionis Regna, quæ hucusque unius Regis imperio parebant, diversis Principibus in spolium cesserunt. Mortuo enim ad initium hujus anni Christophoro tunc Danorum, Suecorum, & Norvegiorum Rege, iidem Sueci ceterorum Regnorum unionem pertæsi, proprium sibi Regem cooptarunt Carolum Canutum, qui ex antiquis Gothorum Regibus originem ducebat. Hic jam prioribus temporibus Sueciæ Regni gubernacula cum summa æquitatis, ac prudentiæ laude tenuit, fuitque præter profundam eruditionem Divitiarum abundantia longe clarissimus. Dani vero, & Norvegi Regem salutarunt Christianum seu Christiernum Aldenburgi Comitem, Adolpho Duce Sleswicensi avunculo ejus oblata sibi regna constanter recusante. Haud multo post inter utrumque Regem exarsit bellum de possessione Goslandiæ Insulæ, quam adhuc tenebat Ericus antiquus ille trium Regnorum Rex, factumque demum, ut secedente Erico in Pomeraniam anno proximo, Gotlandia Danis cederet. Tandem postquam Carolus octavo ex post anno regno pulsus fuerat, Christiernus in ejus locum Rex salutatus est.

§. CXC.

Sæcul. XV. A. C. 1448.

§. CXC.

Italia ob Ducatum Mediolanensem turbata.

Italia quoque ac præcipue Longobardia acriter bello implicabatur; Rex enim Alphonsus, Veneti, Aurelianensis, & Sabaudus Duces, necnon Ferdinandus Sfortia de Mediolanensi Ducatu contendebant. Carolus Aureliæ Dux ex pacti tabulis cum Valentina Matre sua defunctique Ducis sorore erectis Principatus hujus jura ad se devoluta asserebat, quocirca copias suas Mediolano admovit. Ast cum Mediolanenses sese in libertatem asserere vehementer optarent, nonnisi Astensem Comitatum armis suis subjicere poterat, Competitorum, quorum quisque in propria ditione bella gerebat, numero & potentia fractus. Inde initium fecere malis, tamque atrocibus turbis, ut illi, qui mortem Philippi Ducis paulo ante ardenter concupierant, jam vivum summis votis desiderarent. Papa pacis studiosissimus, ut diffidia componeret, atque inter Principes concordiam revocaret, nil intentatum reliquit, in Deique clementia opem quæsivit, quem ut ob peccata populi ad iram merito concitatum, & jamjam biennali peste reos castigantem placaret, publicas decrevit supplicationes, quibus

quibus ipse Sanctissimam Eucharistiam circumferens interfuit. Verum armis lis dirimi debuit, & Mediolanensis Ducatus fortiori cessit. Sæcul. XV. A.C. 1448.

§. CXCI.

Ordo Militaris crescentis Lunæ.

Hoc item anno Renatus Dux Andegavensis, & Siciliæ Rex Ordinem militarem instituit Andegavi in Ecclesia S. Mauritii, quem *crescentis Lunæ*, seu Ordinem Andegavensem appellavit. Scriptorum nonnulli hujus Ordinis incunabula ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum quartum referunt, forte quia ejus statuta nonnisi sexto decimo ex post anno condita fuere. Renatus præ modestia nonnisi hujus Ordinis *Fautor* vocari voluit, supremi capitis ac Patroni honorem Sancto Mauritio cedens. Equites numerabantur numero quinquaginta, qui sub brachio dextro lunam crescentem deferrent cum hoc lemmate *Loz en croissant*, quod significat, *loz*, laus sive præconium crescendo in virtutibus acquiritur. Quæ verba literis cærulei coloris incisa legebantur, totidem aureis ligularum capitibus encausto rubro depictis, quot vitæ discrimina Ordinis Equites generose subierant, e luna crescente pedentibus. Proin militum forti- *Sanmarth. Hist Franc. l.11.cap.4. in addit.*

Sæcul. XV. A. C. 1448.

fortitudo, ac heroica eorum facinora ex ipsis hisce parvis columnis hinc inde appensis facile dinumerari poterant. Equitum vestes erant trabea ex bombyce rubra chremesina, palliolum & toga ex panno holoserico candido, assutumque ejusdem coloris textum. Conventus suos in Ecclesia S. Mauritii Andegavi celebrare solebant. Hujus Ordinis insignibus haud alii condecorantur, quam Principes, Marchiones Comites, Vicecomites, aut antiquorum Equitum genere, vel Nobili per quatuor stirpes propagato sanguine sati, ac inculpatæ vitæ fama clari. (*)

§. CXCII.

Chronicon Matthæi Palmerii.

Dupin. Bibl. Script. to.12 p. 96. Volater. l.21

In hunc usque annum Domini millesimum quadringentesimum octavum a creatione mundi Matthæus Palmerius Florentinus Chronicom suum perduxit. In Chronico Eusebii Basileæ edito duntaxat typis excusa habentur, quæ Palmarius post S. Prosperum, cujus chronicon

(*) *Ita Heliot in sua Historia Ord. Mon. & Relig. tom. 8. p. 282. & P. Honoratus a S. Maria Carm. Disc. in sua Dissert. Historico-critica de Ord. Equit. modernis & veter. lib. 1. Dissert. VII. art. 2.*

nicon in anno quadringentesimo quadragesimo quarto desinit, prosecutus est. Elucubrasse fertur inter alia Carmen de Angelis italo sermone. Cum vero hoc scriptum nonnullis scateret verbis Arianam hæresin olentibus, & ipse in jus vocatus palinodiam decantare nollet, temeritatem rogi supplicio expiasse traditur. Hoc tamen non satis firmo probatur documento, etiamsi Trithemius illud asserere non dubitaverit; certius igitur cum Paulo Jovio tenemus, nonnisi ejusdem librum flammis traditum fuisse. Matthæi Chronicon alius quidam Auctor Matthias Palmerius nomine, patria Pisanus, usque ad annum millesimum quadringentesimum octogesimum primum continuavit. Hinc factum est ob nominis similitudinem, ut ab aliquibus pro uno, eodemque Scriptore citatus reperiatur. Sæcul. XV. A.C 1448.

§. CXCIII.

Nicolaus Cusanus, & alii quinque Cardinales creati.

Hoc anno labente Nicolaus Papa Nicolaum Cusanum in meriti sui præmium Cardinalem creavit. Nomen trahebat ab oppido Cusa ad Mosellæ ripam in Diœcesi Trevirensi, unde originem habebat. Hic, quamvis non nisi ex pau- *Dupin. l. cit. Trithem de Script. Eccl.*

Sæcul. XV. A.C. 1448.

pere piscatore natus esset, doctrinæ tamen, ac pietatis laude adeo eminuit, ut ad supremos dignitatum Ecclesiasticarum apices eveheretur. Primo Canonicorum Regularium institutum professus, demum Archidiaconus Leodiensis, & Ecclesiæ S. Florini Constantiæ Decanus renuntiatus est. Interfuit Concilio Basileensi, ejusdemque auctoritatem supra Pontificem olim extulit, ac in hanc rem celebre opus sub titulo *de Concordantia Catholica* in tres libros distinctum evulgavit. Postea vero a Basileensibus secedens, Eugenio IV. adhæsit, variis Apostolicæ Sedis Legationibus in Germania, & Galliis præclare functus, tandem a Nicolao V. die vigesima Decembris anno supra millesimum quadringentesimo quadragesimo octavo Presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad vincula unacum aliis quinque ad eandem dignitatem vocatis creatus est. Mox in Germaniam missus Brixiæ in Tiroli Episcopalem sedem obtinuit; sed subortis cum Sigismundo Austriæ Duce diffidiis e Germania in Italiam reversus est.

§. CXCIV.

Gerardi Macheti obitus.

Dupin. ibid. p. 84.

Sub id tempus Gerardus Machetus, qui Carolo VII. a confessionibus, & ab eo Castrensis Episcopus nominatus fuit, extremum

tremum clausisse diem creditur. Hic in Collegio Navarrico Theologiæ operam dedit decimo quarto sæculo ad finem vergente, & anno millesimo quadringentesimo undecimo inter Doctores Theologos Facultatis Parisiensis adscriptus, paulo post in Ecclesia ad Beatam Virginem Parisiis Canonicatum obtinuit. Absente Gersonio in Universitate Parisiensi Cancellarii munere functus, Imperatorem Sigismundum per Gallias euntem solemni oratione salutavit. Mortuus est Turonii, ubi eo tempore Regis aula hærebat. Plurimas conscripsit Epistolas, quæ in Bibliotheca S. Martini Turonensis asservantur. Illius mentionem facit Joannes Launoius in sua Historia Regii Navarræ Gymnasii, eumque inter præcipuos Doctores commendat.

Sæcul. XV. A C. 1448.

§. CXCV.

Geldriæ Ducis Filia Scotiæ Regi desponsa.

Jacobus II. Scotiæ Rex eodem quoque anno connubium iniit cum Maria Ducis Geldriæ, & Juliaci Filia, Philippi Burgundiæ, & Brabantiæ Ducis Nepte. Hæc a Jacobo de Bethunia, qui erat ejusdem nominis, Jacobi, & Elisabethæ ab Estutevilla Filius, in Scotiam delata est.

Sæcul. XV. A.C. 1448.

Hac tempestate Hispania gravibus agitabatur tumultibus; cum enim Alvarus de Luna Castellæ Regem in omnibus suo arbitrio obsequentem haberet, immodica illius auctoritas cunctis adeo infesta fuit, ut Henricus natu major Regis Filius Alvari potentiam fracturus, bellum moveret, Patremque suum non minori afficeret molestia, quam tum Delphinus Carolum VII. Franciæ Regem.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CX.

NICOLAUS V. PAPA.

FRIDERICUS III. OCCIDENT. ET CONSTANTINUS ORIENTIS IMPERATORES.

§. I.

Galliarum Regis ſtudium pro pace Eccleſiæ reddenda.

Annus Chriſti milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus nonus toti orbi fauſtiſſimus extitit ob extinctum ſchiſma, & redditam Eccleſiæ pacem, quæ ſpontanea (*) Amadæi Sabaudi abdicatione, Sæcul. XV. A C. 1449.

(*) Odoricus Raynaldus num. I, & Pagius in ſuo Breviario Hiſtorico num. 12. teſtantur,

Secul. XV A.C. 1449

tione, potiſſimum vero fervidis Regis Franciæ precibus feliciter confecta eſt; quamvis enim hac in re ſuo quisque muneri ſtrenue intentus eſſet, Carolus tamen, teſte Ænea Sylvio, plus ceteris in id laboris, ac ſtudii inſumpſit. Huic quoque Trevirenſis, Colonienſis, & Saxonicus Electores unacum Comite Palatino Rheni ſuam junxerunt operam, confecto hac ſuper re inſtrumento, quo pacis formulæ a Rege propoſitæ, quæ etiam potiſſima ex parte effectui data eſt, adſtipulati ſunt. Nicolaus Papa eximium Regis ſtudium pro concilianda Eccleſiæ pace tam grato excepit animo, ut immortales eidem egerit grates, debitisque elogiis Caroli VII. pietatem commendaverit. Univerſus orbis Catholicus in communem effuſus lætitiam exultabat, & ubique terrarum Amadæi modeſtia, Nicolai conſtantia, & Galliarum Regis prudentia celebrabatur. Cum etiam Ludovicus Sabaudiæ Dux comperiſſet, Bolomerium

Comment. Pii II. l. 7.

Felicem partim precibus Principum, partim minis adactum, & metu Sabaudiæ amittendæ Pontificatum abjeciſſe. Gobelinus vero in Comment. Pii II. hæc habet: *Cum Amadæus jam ſe omnibus contemptui eſſe cerneret, nec ſpes ulla eſſet obedientiæ nanciſcendæ, renuntiavit Apoſtolatui.*

merium laboraſſe, ut abdicationem Amadæo Patri ejus diſſuaderet, ipſe pacem præpediri veritus, eundem ſuſpenſo ad collum lapide in lacum præcipitari juſſit. Sæcul. XV. A.C.1449.

§. II.

Ceſſione Amadæi ſchiſma extinctum.

Jacobus Patriarcha Antiochenus, & Pictavienſis Epiſcopus, Elias Alectenſis Præſul, Joannes Comes Dunenſis, Jacobus Cordis, Guido Bernardi, Joannes le Burſier, & Thomas de Corſellis, omnes Regis Galliarum Legati, Lauſanæ Amadæum convenerunt. Comitabatur illos Alphonſus Segura Toletanus Decanus, & Nicolai V. Papæ Delegatus, ut de reddenda ſolida Eccleſiæ pace, & penitus extinquendo ſchiſmate cum Amadæi Oratoribus deliberarent. Cum igitur Delegati, Amadæi nomine, ſummi Pontificatus abdicationem pollicerentur, inter eos conventum, ut a Nicolao V. tres Bullæ peterentur, prima videlicet de irritandis omnibus durante ſchismate geſtis, altera, qua cuncta ab utraque parte actitata confirmarentur, tertia denique, per quam ſuis dignitatibus privati priſtino ſuo ſtatui reſtituerentur. Oratores Franciæ dato chirographo fidem ſuam obſtrinxerunt, ſe præfatas literas *more Curiæ Romanæ bullatas, & expeditas in* *Labbe Conc. to.13.p.1333*

Sæcul. XV. A. C. 1449.

forma bona & secundum minutas hic concordatas Amadæo, seu capitulo Genevensi sequenti mense Julio porrecturos; Hisce literis a Papa impetratis, Amadæus in sua obedientia Felix V. nuncupatus, Papatum, omniaque prætensa jura dimisit.

§. III.

Decretum Patrum Basileensium Lausanæ congregatorum.

Ibid. p. 1335. *& seq.*

Basileenses quoque Patres Lausanæ die sexta decima ejusdem Mensis ultima vice congregati duo condebant decreta, ut Amadæi abdicationem sua etiam auctoritate, ac solemni formula firmarent (*) In illis asserunt: *Summo-*

(*) Quid quæso ponderis huic cessioni accedere potuit a seditiosis atque rebellibus conciliabuli reliquiis, quarum præclara gesta Eberhardus Weismann (licet ipse Heterodoxus, ac summis Pontificibus satis injuriosus esset,) in sua introductione historica Sæculo XV. num. 13. pag. 1055. paucis hisce verbis complectitur: *Hoc rerum statu Patres Basileenses Concilii in eo solo defigebantur negotio, ut Pontificem suum defenderent, legitimumque ostenderent. De reformatione ipsa tanquam caussa præcipua nil actum est, nec agi potuit. Quin potius re-*

gnavit

Sæcul. XV. A. C. 1449.

Summopere providendum, ne divisionis ullum amplius superstit vestigium, sed populum Christianum resarciat, & reintegret concordiæ & communionis serenitas. Nunc vero cum per renunciationem, quam Felix V. facere voluit de Papatu pure & simpliciter, medium paratius, & apertius ad consecutionem perfectæ, & integræ unionis in Ecclesia Sancta Dei videatur: Cupiens sancta Synodus tolli de mundi medio, quæ tranquilitati, & paci universalis Ecclesiæ repugnare, aut officere quovis modo possent, omnes & singulas censuras & pœnas occasione differentiarum generaliter inflictas, & promulgatas declarat effectum sortiri non debere, sed perinde habeantur, ac si nullatenus emanassent. Omnes & singulas promotiones, electiones, postulationum admissiones, & provisiones (excepto privationis & spolii titulo) factas approbat, ac vt ipsi in suorum beneficiorum possessionibus pacifici remaneant, non obstantibus ordinationibus nostris ceterisque contrariis quibuscunque. Fructus etiam illos, quos durante

---

gnavit confusio turpissima in ipsa Synodo, partim per vota Principum contraria, partim per discessum Felicis V. & plurimorum Prælatorum, partim ex vertigine & intentione carnali in omnibus consiliis dominante, ut proinde mirum non sit, & hic Deum aut parum, aut nihil fecere potuisse.

Sæcul. XV. A. C. 1449

durante hujusmodi divisione indebite percepe-runt, etiamsi nobis, & cameræ nostræ debi-ti essent, penitus ipsis remittimus. Declarat *dignitates, beneficia, & officia ecclesiastica ad eorum possessores spectare & pertinere, proin omnes collationes, provisiones, postulationes, electiones &c, tam per ipsum Nicolaum Papam quintum in sua obedientia nuncupatum, quam per Felicem factas, necnon dispensatio-nes, absolutiones, rehabilitationes, indulgen-tiarum ac privilegiorum, & quascunque ali-as concessiones, omniaque vel ab Eugenio vel Nicolao V. tam per ipsos, quam suos lega-tos qualitercunque facta, gesta, concessa, data, indulta, disposita, & ordinata ratificat, at-que confirmat. Item de Personis Patriar-charum Episcoporum, & Abbatum, ac quo-rumcunque beneficiorum possessoribus de novo providet, statuitque quod ipsi in suа-rum Ecclesiarum possessionibus remaneant quieti, ac omnes sententias promulgatas, & quæcunque inde secuta contra præmissa, aut in præjudicium possessorum attentata ex nunc prout ex tunc haberi vult pro infectis, atque revocatis.* Denique utriusque obedien-tiæ Cardinalibus suas dignitates salvas conservari decernit.

§. IV.
Nicolai V. Constitutiones super abdicatione Felicis.

Ubi vero compertum est, Felicem Pon-tificatu

tificatu cessisse, ac deinceps nonnisi uni soli Papæ pro legitimo Christi Vicario ubique recognito obedientiam præstandam, universus Christianus orbis communi, tantaque lætitia exultabat, ut per omnia urbis compita festivi clamores: *Vivat Papa Nicolaus!* insonarent. Ipse quoque Nicolaus, ut debitas Deo pro tanto beneficio rependeret gratias, solemnem supplicationem a Basilica S. Petri instructam celebravit, idemque a reliquis Italiæ populis factum. Nec his contentus, datis ad Galliarum Regem literis strenue navatam in extinquendo schismate operam commendavit, omnesque Christi Fideles publicatis hanc in rem tribus Constitutionibus, quas Franciæ Legati Amadæo promiserant, de tam felici nuntio certiores reddere voluit. In secunda, quæ ceteris prolixior est, die decima octava Junii Spoleti data hunc in modum loquitur: *Jam divina favente, ac dirigente clementia, tractatu Oratorum carissimorum in Christo Filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ, Regum, necnon Delphini Viennensis primogeniti Francorum Regis, pacem Ecclesiæ redditam agnoscimus; dum percipimus, venerabilem & carissimum Fratrem nostrum Amadæum primum Cardinalem Episcopum Sabinensem in nonnullis Provinciis Apostolicæ Sedis Legatum, vicariumque perpetuum, Feli-*

Sæcul. XV. A. C. 1449.

Labbe Conc. tom. 13. p. 1343.

Sæcul. XV. A. C. 1449.

Felicem Papam V. tunc in ſua obedientia nominatum, juri, quod in Papatu aſſerebat ſe habere, ad pacem Eccleſiæ obtinendam ceſſiſſe. Eos vero, qui Baſileæ, poſtmodum Lauſanæ ſub nomine generalis Concilii hactenus permanſerunt, ordinaſſe, ac publicaſſe, nobis tanquam unico & indubitato ſummo Pontifici obediendum eſſe a cunctis fidelibus, & præfatam Lauſanenſem diſſolviſſe congregationem.

Idem ibid. p. 1347.

Cupientes igitur, proſequitur Pontifex, *quantum Omnipotens donaverit, id agere, quo univerſi Chriſti Fideles ipſius pacis jucunditate fruentes, animorum conjunctione ſibi invicem cohæreant, cunctas promotiones, electiones, confirmationes, proviſiones, & alias quascunque diſpoſitiones quarumcunque Eccleſiarum ac beneficiorum &c. Conſecrationes, benedictiones, abſolutiones, diſpenſationes, bonorum ac jurium, & ſubventionum Sedis Apoſtolicæ adminiſtrationes &c. omnia & ſingula tam juſtitiam, quam gratiam concernentia, ſive in foro contentioſo, aut conſcientiæ &c. in perſonis, & locis, quæ tempore conceſſionis obediebant Felici, aut congregatis Baſileæ, & Lauſanæ, itemque omnia & ſingula per ordinarios in dictis locis eorumdem auctoritate facta, pro bono pacis & unionis Eccleſiæ, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac de conſilio, & aſſenſu S. R. E. Cardinalium approbamus, confirmamus, rataque, & firma*

ma haberi volumus. Prima vero Constitutione priſtinis juribus reſtituit omnes cujuscunque dignitatis, ordinis, & conditionis Perſonas, quæ per literas Eugenii beneficiis, & jurisdictionibus privatæ fuerant, eoquod Felici, & Baſileenſi Concilio adhæſiſſent. Tertia demum, *literas, proceſſus &c. contra eos, qui ſub nomine generalis Concilii tam in Baſileenſi quam Lauſanenſi civitatibus perſeverarunt, necnon contra Amadæum Felicem V. nuncupatum, eisdemque adhærentes emanata, facta, decreta & promulgata nullum effectum penitus ſortiri* declarat, *eaque omnia & ſingula in regeſtis ipſius Eugenii aboleri & deleri* mandat, *ac pro infectis haberi vult.* Ita tandem penitus extinctum eſt Schiſma, & Nicolaus ab omnibus Chriſti Fidelibus tanquam unicus, verusque Pontifex coli cœpit.

Sæcul. XV. A.C. 1449.

§. V.

Cardinales Felicis a Nicolao recepti.

Cardinalis quoque Arelatenſis, quem Eugenius depoſuit, plene ac integre in gratiam ſummi Pontificis Nicolai rediit, atque ad communionem Eccleſiæ receptus, dignitatem ſuam, ut antea, conſervavit; quinimo a Pontifice ad inferiorem Germaniam Legatus decernebatur; inde vero redux Dioeceſin ſuam repetiit, ut

Sæcul. XV A. C. 1449.

ut reformandis Cleri moribus, necnon gregis curæ ſuæ concrediti inſtructionibus aſſiduam daret operam. Aſt brevi anno ſcilicet ſequenti laborum ipſius curſum mors intercepit.

Aſſumpſit etiam Nicolaus in ceterorum Cardinalium numerum Joannem Archiepiſcopum Tarentaſienſem, Ludovicum de Warambone Maurianenſem Epiſcopum, & Guilielmum de Stagno Archidiaconum Metenſem, omnes Gallos, a Felice Cardinalium collegio adſcriptos; Ceteri enim ab eodem creati, aut jam mortui erant, aut dignitatem abdicarunt. Inter quos erat Joannes Segovienſis Hiſpanus Vir moribus, & doctrina illuſtris, qui dimiſſo Cardinalatus titulo, Cæſarienſi Eccleſiæ præfectus, in præruptis montibus parvo monaſterio contentus vixit. Scripſit duos libros de Concilio Baſileenſi, ex quibus acta ſua Auguſtinus Patricius Senenſis Canonicus excerpſit. Idem quoque Alcoranum Turcarum in linguam latinam convertit, & ineptias ejus ſolidis argumentis exploſit.

Æn. Sylv. Europ. c.42.

§. VI.

Amadæus Ripaliam reverſus.

Amadæus Sabaudiæ Dux abdicato ſuo Papatu Ripaliam regreſſus eſt, ubi piis

piis operibus intentus, cum suis Equitibus Ordinis militaris S. Mauritii reliquos vitæ suæ dies transegit, & quamvis habitum monasticum non induisset, moribus tamen ad regularem disciplinam compositis in hoc recessu vixit. Quapropter immerito a quibusdam Scriptoribus memoriæ traditum putamus, Amadæum hoc vitæ genus elegisse, ut seorsim vitam agendo, liberius deliciis, atque voluptatibus frueretur, indeque ortum duxisse illud Gallorum adagium, *faire ripailles*, facere ripaliam, hoc est, indulgere ventri & lætitiæ. In hac Eremo sua jam quintum egerat annum, cum a Basileensibus ad Papatum evocaretur, quo dimisso solidum adhuc triennium ibidem expleſſe constat, cum nonnisi anno salutis supra millesimum quadringentesimo quinquagesimo secundo sexaginta octo annos natus e vita excesserit. (*) Sæcul. XV. A. C. 1449.

§. VII.

Jubilæum in annum sequentem a Nicolao promulgatum.

Nicolaus, cum totam Italiam eorum, qui Mediolanensem statum ambiebant,

(*) *De anno mortis Amadæi omnino consulendus est Pagius in suo Breviario Historico-Chronologico tom. 5. num. 25. ad ann. 1450.*

Sæcul. XV. A. C. 1449.

bant, factionibus miſere dilaceratam cerneret, Jubilæum anno proximo celebrandum indixit, ea ſpe nixus, Principes inter ſe ardentiori ſtudio vel ideo pacem conciliaturos, ut liber, tutusque aditus ex tota Europa ad urbem pro Anno ſæculari confluentibus pateret. Haud tamen Papa hoc diſſidium integre ſopire valuit; quamvis enim nonnulli contendentium ab armis deſiſterent, Franciſcus Sfortia tamen & Veneti mutuis odiis in ipſa Italiæ viſcera graſſati ſunt.

Antonin tit. 22. c. 12. § 2.

§. VIII.

Hiſpania ſeditionibus turbata.

Nec meliori ſorte utebatur Hiſpania; nam Alvarus de Luna gratia ac nimia Regis facilitate abutens, ad ſuſtentandam, qua pollebat, auctoritatem, ceteros omnes Magnates Regi offenſos reddidit, & a Regni adminiſtratione excluſit. Quapropter non ſolum Arragonii Principes tantæ injuſtitiæ impatientes, arma contra Regem ſumpſerunt, ſed etiam ipſum Regni Principem Henricum Regis Filium ad ſuas partes traxerunt.

§. IX.

Toletanorum Seditio.

Mariana l. 22. c. 8.

Rex igitur auctoritatem ſuam adverſus rebelles armis tueri, & ad belli ſumptus

ptus urbibus nova tributa imperare compulsus est. Cum vero Toletanæ Civitati trium millium aureorum summam imponeret, cives urbis suæ immunitatem læsam querentes, gravissimam seditionem moverunt, ex qua truculenta plurimorum cædes, ac domorum direptio enata est; imo Rex quoque, qui malo ingruenti remedium laturus accurrebat, cedere cogebatur, cum pertinaciter minarentur, nisi Alvarum amoveret, ac civitatibus suam immunitatem, atque privilegia integra servaret, se solio eum deturbaturos, Filiumque Henricum in ejus locum suffecturos. Joannes II. Henrici III. Filius eo tempore Hispaniæ, seu verius Castellæ Regnum tenebat, nonnisi viginti duos menses natus, dum exeunte anno millesimo quadringentisimo sexto Rex proclamabatur, instante potissimum Patruo suo Ferdinando, postmodum Aragonum Rege, qui consiliis eorum, qui hancce coronam sibi ipsi vindicandam suaserant, forti animo restitit. Sæcul. XV. A. C. 1449.

§. X.

Audax Toletanorum Edictum.

Inter hosce tumultus Toletani rebelles edictum condiderunt, in quo ii, qui ex gente Judæorum originem ducebant, a quibusvis honoribus, officiisque publicis

Sæcul. XV. A. C. 1449.

cis arcebantur, ac nominatim expressum habebatur, ne tabelliones, aut Actores caussarum essent; id enim illis Alphonsi Regis lege interdictum contendebant, eaque Toletanis datum affirmabant, ne in sua urbe, vel patria cuiquam ex hac gente orto, aut munus publicum, aut dignitas conferretur. Decanus Toletanus, ne seditiosorum furori sese exponeret, urbe egressus est, eoquod eorum audaciæ liberius sese opposuisset. Cum vero securum attigisset locum, id edictum temeritatis æque ac impietatis integro libro accusavit, in quo demonstrabat, nobilissimas Castellæ familias, designatis singularum nominibus, ab eadem Judæorum stirpe descendisse, imo etiam sanguine junctas esse. Nec in eo substitit; quippe Nicolao Pontifici etiam auctor fuit, ut diplomate die vigesima octava Septembris edito omnia plebisciti Toletani capita reprobaret.

§. XI.

Inducia cum Gallis pactæ ab Anglis violatæ.

Angli inducias cum Gallis sancitas, quæ usque ad mensem Junium hujus anni extendi debuissent, duobus mensibus ante evolutum terminum primi violarunt. Quidam enim Anglicarum partium

tium Dux, Franciscus Surienus nomine rapto vivere assuetus Fulgerias Ducis Britanniæ urbem, cum cives eo tempore ob induciarum securitatem nihil minus suspicarentur, repentina irruptione occupat, & populabundus optima quæque diripit. Ea de re Britanniæ Dux missis ad Carolum Regem, qui tunc Caini agebat, Legatis questus, & eundem ad inferendum Anglis bellum hortatus est. Rex ab Anglis prius injuriæ, damnique reparationem esse petendam, & demum id negantibus, ad arma recurrendum arbitrabatur; Unde ad Sommersetum Ducem, qui eo tempore in Normannia Regis Angliæ Vicarium agebat, Legatos decrevit, qui res captas ab Anglorum Belliduce repeterent, atque injuriam sarciri postularent. Respondit Sommersetus, nec id jussu suo factum, nec se illius auctorem unquam proditurum. Cum vero Galli oppidum sibi reddi ac damna reparari urgerent, id potestatem suam excedere reposuit. Rex igitur, cum a Duce jus suum obtinere non posset, ad ipsum Angliæ Regem Legatos destinavit.

Sæcul. XV. A. C. 1449.

Fougeres.

§. XII.

Colloquium Luparense Anglos inter & Gallos.

Hæc dissidia solidos sex menses tenue-

Sæcul. XV. A. C. 1449.

re. Equidem Rex ad bellum denuo Anglis inferendum hanc Ducis repugnantiam obtendere potuisset; ast cum aliquamdiu, quid in eo rerum statu decerneret, suspensus hæreret, præter spem Sommersetus cum eo hac super re conferre postulabat. Nec Galliarum Rex colloquium respuit, sed ad Conventum, pro quo urbs Luparis selecta erat, Culanum, & Guilielmum Cusinotum, libellorum supplicum Magistrum Oratores ablegavit. Hi quoque jam Mense Majo Luparas advenere, comitantibus eos Ducis Sommersetti Procuratoribus. Jamjam consultationibus daturi erant initium, cum Britanniæ Dux, consentiente etiam Galliarum Rege, Pontis-Arcuense oppidum in superiori urbis Rothomagensis vicinia ad Sequannam situm, necnon Conchum haud procul ab Ebroico oppido, Gerboredum prope Bellovacum, & Conacum Caranthoni flumini proximum repentino impetu occuparet, ut Fulgerienſis urbis jacturam talionis jure compensaret. Equidem Sommersetus hac de re vehementer querebatur, sed in promptu erat responsum, dictumque, Fulgerias Britanno redderet, quo facto confestim Galli Anglorum Regi satisfacturi essent. Verum hoc responsum Duci minus arridebat, Regisque jussu Oratores Luparensem Conventum solverunt, &

Jean. Chartier et Matth Coucy hist. de Charl. VII

& inter utramque Nationem bellum in apertas flammas erupit. Sæcul. XV. A. C. 1449.

§. XIII.

Angli improvide bellum contra Gallos prosecuti.

Attamen Anglorum res adeo siniſtra jactabantur fortuna, ut bellum prosequi prorsus inconsultum esset; cum enim regnum, & præcipue Londinensis urbs exitialibus dissidiis, bellisque domesticis susque deque verteretur, merito Angli optatum belli exitum desperare debebant. Insuper hosce tumultus præcipue accendebant tributa ab Henrico Rege Londinensibus imposita, quibus etiam accessit infelix fatum, quod Humfredus Glocestriæ Dux Regisque Patruus in suo carcere elisis faucibus subiit. Nihilominus Angli Scotiam, licet induciæ cum illis pactæ non minus eam, quam Britanniam complecterentur, infestis armis invaserunt, maximo tamen eorum damno, utpote bino, eoque sat cruento devicti prœlio, in quorum altero viginti quatuor Anglorum millia ceciderunt, & Duglasius, atque Ormundus Comites continuato victoriæ cursu in Angliam populabundi irruperunt, regnumque fœde devastarunt. Anglorum imprudentiam Carolus Rex in rem suam vertebat, hac-

Vide supra Lib. CIX. §. 121.

Sæcul. XV. A. C. 1449. que occasione opportune usus, illos ex tota Francia propulsauit.

§. XIV.

Mauliſonium a Fuxo Comite occupatum.

Gaguin. hiſt. Franc.

Monſtrelet. Vol. 3. c. 19.

Interea Rex Fuxo Comiti Vaconiæ Regionis ad Pyrenæum usque extensæ, suique exercitus imperium demandavit, administrationem vero per totum Regnum Dunensi Comiti reliquit, ea lege, ut quamprimum ambo in eodem loco conuenirent, eandem Conneſtabili cederet. Præterea Fuxo Comiti Carolus in mandatis dedit, ut omnes terras, quas Angli ad Pyrenæi radices tenerent, armis infeſtaret, simulque Joanni Arragonio Navarræ Regi, ac Alphonsi Fratri aditum occluderet. Hic enim icto cum Anglis fœdere pollicitus est, se data quadam pecuniarum summa urbem Maulisolensem, quæ eo tempore munitissima altissimæ rupi insistebat, Anglorum dominio integram servaturum. Quapropter Joannes urbem in fidem suam recepit, ibidemque præsidii Præfectum constituit. Nihilominus Fuxi Comes, licet Eleonoram Navarræ Regis Filiam duxisset, proin illius gener esset, soceri tamen sui utilitatem neglexit, ac regii potius mandati memor urbem obsidione cinxit.

Rex

Rex Navarræ urbem penuria frumenti, ac commeatus laborare edoctus, cum copiis suis accurrit, opem laturus, jamque eo penetraverat, ut secundo tantum lapide ab urbe distaret. Ast cum hostibus resistendo impar esset, suumque generum, qui plus Regi, quam sanguini deferebat, nec armis cogere, nec precibus ad solvendam obsidionem flectere posset, obsessi de conditionibus dedendæ urbis agere compulsi sunt. Igitur Fuxensis Comes primum oppidum, paulo post arcem quoque suis armis subjecit, eodemque tempore Guisiam seu Guissantium castrum, quatuor leucis a Bajona dissitum deditione accepit, postquam oppugnantes non ita pridem tria Anglorum millia, quæ a Navarræ Rege, & Bajonæ Magistratu in auxilium missa fuere, trucidassent. Sæcul. XV. A. C. 1449.

§. XV.

Gallorum Victoriæ in Normannia.

Nec minus prospero Marte in Perchiensi agro, atque Normannia dimicarunt Galli. Ineunte enim Mense Augusto Vernolum, arcem Franciæ longe munitissimam occupabant, molitoris opera usi, qui verbera, quibus ab Anglis liberaliter excipiebatur, ulturus per pistri-

Sæcul. XV A. C. 1449

num Gallos introduxit, tam secundo eventu, ut nonnisi turris sat quidem alta ulteriores progressus aliquamdiu remoraretur. Moliebatur equidem Talbotus urbem obsidione liberare; ubi vero Dunensis Comes eidem imminebat, ipse prœlii discrimen experiri veritus, in tutum sese recepit. Galli decrescentibus indies Anglorum viribus, adeo opportuna occasione utendum rati, Pontem Audomari, oppidum S. Jacobi in Normannia, Lexovium, Meduntam, Vernonium, plurimasque passim urbes et arces qua vi, qua arte, qua deditione occuparunt. Dunensis Comes tot victoriis auctus Regi indicabat, quod prompta æque ac facilis pateret via totam subjugandi Normanniam; cum hæc extremo terrore concussa lanqueret, necnon Gurnavium, Dangum in Vexino haud procul a Gisorto situm, & Harcursium castra regiis armis cessissent, ac præsidiarii Deppæ milites Campo Fisci potiti essent, atque ab Alensonio Duce Essajensis arx occupata, ab Auguio autem & S. Pauli Comitibus urbs & arx Novum-castrum præter Abicursium, pluraque alia oppida subacta essent.

Dangou.
Gournai.

§. XVI.

Sæcul. XV.
A. C. 1449.

§. XVI.

Conſtantia, aliaque loca a Britanniæ Duce occupata.

Aliunde Regi nunciatum erat, quod Britanniæ Dux, comitantibus Conneſtabili, Loheaco Mareſcallo, Cotinio rei maritimæ Præfecto, aliisque Britanniæ ac Normanniæ Proceribus, Conſtantiam, S. Lautonis oppidum, Carentanium, Guracum, plurimasque circumvicinas arces oppido munitas occupaverit, Aleſonii vero Cives rurſum Ducem ſuum in urbem receperint, arxque obſidione cincta pactis conditionibus ad deditionem compulſa fuerit; eadem quoque ſorte Giſortum a Seneſcallo Brezeo fuiſſe occupatum Rex inaudiit.

Gurai.

§. XVII.

Rothomagenſes ad urbis deditionem a Rege provocati.

Rex tam læto victoriarum nuntio ſtimulatus, ſuarum copiarum delectum habuit, easque in aciem eduxit, bellum auſpicaturus ab obſidione Caſtri-Gaillardi, quod Andelii propugnaculum eſt Sequannæ fluvio impendens, & ſexta, ſeptimave leuca Rothomago diſſitum. Occupaverat Carolus arcem evoluto nondum ſextæ hebdomadæ curſu, indeque

Monſtrelet. Vol. 3. c 19.

Jean Chartier hiſt. de Charles VII.

Sæcul. XV. A. C. 1449

Pontem Arcuenſem petiit, ubi Rothomagenſem urbem, ut in Regis obſequium rediret, miſſis Oratoribus ſollicitavit; nuntiatum enim erat, cives Anglorum imperium excutere paratos eſſe. Aſt Sommerſetus Dux, qui urbem cum tribus Anglorum millibus tuebatur, Regis Feciales ante urbis portas intercipi juſſit, necem comminatus, ſi ingreſſum attentarent.

Carolus re comperta Dunenſi Comiti præcepit, toto exercitu urbem cingeret, experturus, an non cives ejus præſentia animati arma in Anglos converterent; non enim urbis obſidionem moliri Gallis animus erat; quippe ad tanti operis executionem haud ultra favens erat tempeſtas. Hæſerat Comes tertiam jam diem ante urbis mœnia, quo tempore Angli frequentius infeſtis armis erumpebant, plurimis ultro citroque cæſis. Cum autem Cives adverſus Anglos quicquam tentare non auderent, Gallorum exercitus Pontem Arcuenſem repetiit, paucis tamen ex poſt diebus ſexta decima Octobris Rothomagum reverſus eſt, poſtquam Comiti nuntiatum fuerat, a civibus Franciæ addictis duas turres fuiſſe occupatas. Nihilominus amplam ſpem inde conceptam fefellit ſucceſſus, ſiue ob ſcalarum penuriam, ſive ob præpotentem Anglorum numerum. Ipſemet Galliarum Rex comitante eum Siciliæ Rege ad hanc expeditionem

tionem Darnetalum usque, quæ est urbs tertia unius leucæ parte Rothomago diffi- ta, processit, sed Pontem Arcuensem, unde venerat, repetere compulsus est, abjecta omni spe, urbis expugnationem hujus anni expeditione confectum iri, quocirca abeuntem Regem suus quoque exercitus insequebatur. Verum præter omnem spem favit fortuna; Cives enim urbis suæ recuperationem Regi, cum aliunde legitimus illius esset Dominus, ultronea deditione magis expeditam reddendi, consilium ceperunt, veriti, ne si forte civitatem armorum vi sibi subjiceret, illam militum deprædationi relicturus esset. Sæcul. XV. A. C. 1449.

§. XVIII.

Pacta Civium Rothomagensium cum Galliarum Rege.

Ergo Cives postera die in unum congregati Radolphum Russelium Archiepiscopum compellunt, ut Regem adiret, eique deditionis conditiones exponeret, tribus hisce articulis comprehensas. I. omnimoda præteritarum offensionum oblivio indulgeatur. II. liberum cuilibet sit cum Anglis abeundi arbitrium. III. ac denique suæ civibus immunitates integræ serventur. Rex nullo negotio petentium votis concessit; Verum Sommersetus Dux detecto civium con-

Sæcul. XV. A. C. 1449

consilio attonitus hæsit, cumque sese obrutum comperisset ingenti illorum numero, qui vociferantes petebant, ut ipsis Oratores ad Galliarum Regem decernere liceret, cui urbem honestis conditionibus, quas armorum vi ad deditionem compulsi sperare haud possent, traderent, Dux ob talem civium petitionem summo terrore affectus, nil intentatum reliquit, ut eorum consilia eluderet.

§. XIX.

Rothomagensium pacta a Rege acceptata, invitis licet Anglis.

Verum irriti fuere Sommerseticonatus; cives enim turmatim ad arma convolabant, elataque voce clamabant: *Pax! Pax!* Ergo Dux invitus licet annuit, ut Legatos ad Regem decernerent, atque ab eo securitatis literas obtinerent. Has Galliarum Rex lubenti concessit animo, moxque deditionis pacta fuere erecta in portu S. Ovani Rothomagum inter & Pontem Arcuensem sito. Legati, qui feria sexta, quæ erat septima decima Octobris, Rothomagum redierunt, altera die rei gestæ seriem omnibus congregatis exponebant, qui cunctos articulos omnino ratos habuere, insuperhabitis Anglorum oppositionibus, atque minis.

§. XX.

§. XX.

Sæcul. XV. A. C. 1449.

Dux Sommerſetus pactis conditionibus Rothomago egreſſus.

Dux Sommerſetus, & Talbotus belli Præfectus hoc civium fœdere ad deſperationem adducti, portas ac urbis mœnia occuparunt, ſed a civibus mox inde ad vetus palatium, caſtrum, & pontem depulſi, fuga ſaluti ſuæ conſulere coacti ſunt, tota urbe, turribus, & potiſſima portarum parte Rothomagenſium arbitrio, atque poteſtati relictis. Dum hæc in urbe fierent, Dunenſis Comes opportuno tempore copias ſuas ad arcem Sanctæ Catharinæ admovit, & Præfectum præſidii ad deditionem induxit, qui illico arcem ejus imperio ſubiecit. Cives quoque Rothomagenſes Comiti obviam effuſi, urbis ſuæ claves porrigebant, militibus ejus liberum, tutumque ingreſſum patere conteſtati. Ille autem ſuorum haud plures, quam Anglos in locis per eos occupatis cingendi neceſſitas exegerat, in urbem introduxit, nihilominus a civibus adjutus, Sommerſetum Ducem veteri palatio incluſum adeo in arctum coegit, ut duodecimo die certis conditionibus ſe dedere, & palatium vetus, Rothomagenſem arcem, Honflorium, Arcam, Calidobacum, Tancarvilam caſtrum, Juliobonam & Montivilla-

Tancarville. Montivilliers.

Sæcul. XV. A. C. 1449

villarium reddere, necnon Gallos a se captos libertati restituere sponderet, Regique infra annum quinquaginta aureorum millia pendere, & Talbotum unacum aliis quinque, vel sex belli Præfectis obsides relinquere paciscereturr. His conditionibus ita firmatis Duci, ejusque conjugi, atque liberis, cunctisque præsidiariis militibus sese, quocunque libuerit, recipiendi, secumque omnis generis impedimenta, exceptis majoribus belli tormentis, devehendi copia concessa est, datis liberi commeatus literis. Præterea Rex sibi Harflevium cedi postulabat; id vero Sommersetus constanter recusavit, ne, inquiebat, urbem illam, quæ inter primitias Victoriarum Henrici V. numeratur, hosti tradidisse argueretur. Interim Dux iste feria tertia, quæ erat quarta dies Novembris, unacum militum suorum reliquiis Rothomago exceſſit.

§. XXI.

Rex Rhotomagum ingressus.

Igitur die decima Novembris, qua Sancti Martini profestum agebatur, Rex solemnissima pompa, & magnificentia vere Regia, quam fusiore calamo Joannes Chartierus describit, Rothomagum ingreditur. Agmen ducebant primi Satelli-

Jean. Chartier. Hist. Carol. VII. pag. 180. Art. 1449.

tellites Regii, istos sequebantur ipsius Regis Galliæ, Siciliæ, aliorumque Principum Feciales scutario Regis symbolo insigniti. Hos excipiebant, præcedentibus Buccinatoribus, Ursinus Cancellarius habitum ad ejusmodi pompam scite compositum indutus, Regii stabuli Magister, aliusque, Fontenilus nomine, qui Regis gladium præferebat. Demum ipse Rex incedebat armis instructus, ac generoso vectus equo, per cujus dorsum ad pedes usque defluebat tegumentum sericum cærulei coloris, liliisque auro intextis distinctum. Ornabat Regis caput pileus rubro holoserico intus textus, cujus summitas flocco filis aureis splendido fulgebat. Ab illa die in Galliis cæpit, ac successu temporis invaluit pileos, atque Galeros deferendi usus; cum priore ætate capitia duntaxat gestare solemne esset. Præterea Regem comitabantur illius ephebi, cujus latera stipabant Renatus Siciliæ Rex, & Comes Cenomanensis Frater ejusdem. Sequebantur denique Nivernensis, S. Pauli, & Claremontanus Comites, Culani Toparcha Regiæ Aulæ Magister, & Caletensis Prætor, qui Vexillum tribus liliis aureis in cæruleo holoserico depictis gestabat, aliis pluribus Proceribus agmen claudentibus. Regiæ suæ Majestati obviam processit Comes Dunensis, qui Archiepiscopum Rotho-

Sæcul. XV. A C. 1449.

P. Daniel Hist Carol. VII. to. IV.

Sæcul. XV. A.C.1449.

Rothomagenſem, Lexovienſem, Bajocenſem, & Conſtantienſem Epiſcopos unacum Primoribus Urbis in Caroli conſpectum duxit, a quibus Rex, cum portam Bellovacenſem ingrederetur, & prope Eccleſiam Beatæ Virginis equo deſcendiſſet, gratulatoria oratione exceptus eſt. Talbotus Anglicæ militiæ Præfectus, qui obſes retinebatur, æque ac Sommerſeti Duciſſa, quæ congruo equorum apparatu deſtituta Rothomagi adhucdum hærebat, ſolemnis hujus pompæ ſpectatores erant.

§. XXII.

Harflevii urbis expugnatio.

Peractis hiſce ſolemniis Rex aliquamdiu Rothomagum præſentia honorabat, ut Officiales nominaret, urbemque optimis legibus, atque inſtitutis temperaret. Concredidit ſupremam Rothomagenſis ditionis Præfecturam Petro Brezæo Pictavienſi Seneſcallo. Præterea ſingulæ pacis conditiones cum Anglis initæ executioni datæ, præter ſolam Juliobonam, cujus urbis Præfectus, nomine Curſonius, deditionem pertinacius recuſabat, & id quidem iniquiore Talboti fato, qui eam ob cauſſam diutius obſes detinebatur. Cum vero Sommerſetus Dux Harflevium (aliis Aruſluctum dicitur) Regi cedere conſtanter obluctaretur, Galli arcem

arcem natura, & arte longe munitiſſimam, quam ſpontanea deditione non poſſent, per obſirmatam obſidionis violentiam recuperare cogebantur, jamque octava Decembris die duodecim vel quindecim (nam variant rumores) armatorum millia urbem circumſidebant, & ſexdecim grandioribus tormentis quatiebant. Illuxerat vigeſima quarta ejusdem Menſis dies, qua obſeſſi de conditionibus dedendæ urbis egerant, quam tandem prima Januarii Victoribus ceſſerunt. Sub idem tempus Alenſonii Dux Beleſmum obſidione preſſit, occupavitque, atque eodem belli auſpicio Britanniæ Dux, & Conneſtabilis Valoniam, & ſex ſeptemve alia ignobilioris nominis loca in Regis obſequium revocarunt, urbem quoque Fulgerias, (*) quæ redintegrati hujus belli fomes erat, poſt diuturnam obſidionem denuo Britanniæ Dux recuperavit. Rex vero, qui totum fere menſem Novembrem Rothomagi agebat, anno ſequenti univerſam Normanniam ſuo imperio ſubjecit, Anglosque, ſucciſa omni redeundi ſpe, penitus inde propulſavit. Sæcul. XV. A.C.1449.

§. XXIII.

(*) Golnitzius in ſuo itinerario Belgico-Gallico hanc urbem vocat *Fugereſium* vel *Fugeranam*.

Sæcul. XV. A.C. 1449.

§. XXIII.

Dissidia inter Cracovienſem Archiepiſcopum in Polonia, & Gnesnenſem Epiſcopum.

Crom. lib. 22. Hoc anno in Polonia ſub novo Rege Caſimiro magna exorta eſt de prærogativa loci controverſia inter Sbigneum Cardinalem, Cracovienſem Epiſcopum, & Ladislaum Gneſnenſem Epiſcopum Regni Primatem; quippe cum Ladislaus, ne principem locum alteri cedere cogeretur, a comitiis diſceſſiſſet, Regni Proceres Sbigneum quoque Senatu excedere rogarunt, ne forte regiminis quies turbaretur. Equidem utroque abſente liberius tranquilitati Regni proſpectum erat; cum autem iidem Proceres a Rege ſolemne peterent jusjurandum, vi cujus ſponderet, quod rite, & ſecundum patrias leges Regnum adminiſtraturus eſſet, & Regum Prædeceſſorum ſuorum acta, Conſtitutiones, edicta & beneficia quævis publice, & privatim conceſſa, rata haberet, cum autem ille, nequid Lithuanis, quos velut ſubditos ſuos protegebat, detraheret, Procerum petitis annuere omnino recuſaret, convenit inter Poloniæ Optimates, ne pro legitimo Rege haberetur, niſi fidem ſuam hujus ſacramenti religione obſtringeret.

§. XXIV.

Sæcul. XV.
A. C. 1449.

§. XXIV.

Rex a Polonis ad jusjurandum compulsus.

Nihilominus Polonis bene visum est, ut eum Regem esse tolerarent, ne discordia glisçente Regnum tum bellis exteris, tum turbis domesticis infestaretur. Quocirca rem usque ad annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium protraxerunt, quo tandem Rex facta a Proceribus in eum conspiratione juramenti fidem, qualem petebant, præstare compulsus est. Quod vero dissidium Sbigneum inter, & Ladislaum attinet, cum rursum comitia Regni haberentur, Proceres sanxerunt, ut Sbigneus principem locum in Senatu obtineret, eoquod tam Cardinalitia, qua insignitus erat, dignitas, quam auctoritatis, ac meriti amplitudo hancce prærogativam ei vendicarent, deinceps vero, nullus perpetuum legationis Apostolicæ honorem, atque privilegia, Rege ac Senatu inconsultis, peteret, aut usurparet.

§. XXV.

Bellum Germanicum inter Marchionem Brandeburgensem, & Norimbergenses.

Atrocius longe diffidium exortum est

Sæcul. XV. A.C. 1449.

in Germania inter Albertum Marchionem Brandeburgenſem, & Norimbergenſis urbis incolas, ob quædam jura a Marchione ſibi arrogata, contra quæ tamen illi ſeſe acriter opponebant. Albertus a quibusdam *Achilles*, ac *Ulyſſes*, ab aliis *Vulpes Germaniæ* appellatus, primam lucem aſpexit die vigeſima quarta Novembris Anno ſupra milleſimum quadringenteſimo decimo quarto. Patrem habuit Fridericum I. Norimbergæ Burgravium, qui poſtea Marchio, & Brandeburgi Elector Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo nominatus eſt. Huic anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſucceſſit Fridericus II. ejusdem Filius, eo autem ſine liberis decedente, Albertus, de quo impræſentiarum nobis ſermo, fratris ſui hæreditatem ſolus adeptus eſt. Princeps erat ingenio alacris, animo fortis, & ad quævis audenda intrepidus. Bella geſſit in Bohemia, Pruſſia, Sileſia, atque in Germania. Provocabatur ſæpius ad ſingulare certamen, quod nunquam detrectavit, ſed ſemper victor exinde rediit. Pater ejus Fridericus, cum jura in Norimbergenſem Burgraviatum, qui ſucceſſu temporis in Rempublicam excreverat, ejusdem urbis incolis vendidiſſet, diuturni belli fomitem ſubminiſtravit, quod hoc anno inchoatum Albertus invicto animi

Trithem. in Chron. Spanh.

Æn. Sylv. Europ c.39.

Kranz. Metrop. l. 1. c. 48

nimi robore profecutus est, & modico temporis spatio novem commisit prælla, in quorum octo victor, in uno tantum victus succubuit. Interfuit anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo primo Ratisbonensibus Comitiis, bellum adversus Turcas decreturus. Tandem extremum diem clausit Anno millesimo quadringentesimo octogesimo sexto die undecima Martii, annos natus septuaginta duos. Sæcul. XV. A. C. 1450.

§. XXVI.

Jubilæi solemnia Romæ.

Hoc anno Calendis Januarii celebrari cæpit Annus sæcularis, quem Pontifex Romæ edita Bulla anno superiori de more promulgari jusserat. Jam præcedente vigilia Natalis Domini Anno Salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo nono sacram portam aperuit, concessitque plenam pœnarum condonationem omnibus illis, qui urbis Ecclesias Sanctorum Petri & Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris in illis visitarent diebus, qui olim a Clemente VI. designati erant in Bulla, vi cujus Jubilæum ad annum quinquagesimum reducebatur. Eandem Constitutionem Nicolaus quoque diplomate ea de re condito ratam habuit. Confluxit Romam An. 1450. *Matth. Coucy Hist. Car VII. pag. 609.*

Sæcul. XV. A. C. 1450.

ad hanc solemnitatem tanta hominum multitudo, quanta nunquam antea visa fuit. Porro summus Pontifex omnem impendit curam, ut itinerum securitati, & peregrinorum saluti ab omni latronum periculo prospiceretur, omniaque ad victum necessaria in urbe justo venderentur pretio, cum vero ex omnibus Europæ partibus immensa propemodum populorum frequentia Romæ adesset, non pauci in Ecclesiis, allisque locis compressi, conculcatique obierunt, quin imo cum peregrinorum multitudo viso sacro Christi Domini sudario ab Ecclesia S. Petri in Vaticano recedens, obviam haberet innumeram aliam turbam, quæ ad eandem visitatum properabat Ecclesiam, occasione cujusdam mulæ facta hominum compressione, nonaginta septem homines a ponte S. Angeli in Tyberim prolapsi, & submersi perierunt. Affectus ob id magno dolore Pontifex, horum peregrinorum corpora colligi, ac in proxima Ecclesia terræ mandari, solemnesque exequias celebrari jussit, dato insuper mandato, ut quædam domunculæ, quæ pontis viam angustiorem reddebant, destruerentur.

§. XXVII.

Sæcul. XV.
A C. 1450.

§. XXVII.

Quinam clarioris generis homines Romam confluxerint?

Nicolaus Papa plurimos genere, ac dignitate clariſſimos excepit Viros, qui Romam devotionis gratia peregrinati ſunt, Indulgentiarum Theſauro potituri. Inter ceteros numerantur Jacobus Archiepiſcopus, & Elector Trevirenſis, qui etiam a Pontifice impetravit facultatem inſtituendi Treviris Univerſitatem; aderant quoque Conradus Epiſcopus Metenſis, & Guilielmus Comes Duglaſſius potentiſſimus Scotorum Dynaſta, qui tamen in abſentia ſua apud Regem accuſatus, quod Regnum ſibi adſciſcere quæreret, feſtino pede domum redire coactus eſt, cauſſam ſuam ibidem dicturus; cum vero inſolentius erga Regem ſe gereret, pœnas gladio luit, ſive propria Regis manu confoſſus, ut nonnulli habent, ſive ut alii, capite plexus. Ut ut res ſe habeat, id certum eſt, inde civile, ingensque bellum enatum, quo pene Rex oppreſſus eſt, ſed conſiliis ac prudentia Jacobi Epiſcopi S. Andreæ & vicit rebelles, & ceteros ſibi conciliavit. Petiit etiam Romam Jubilæi cauſſa Comes Ciliæ in Styria ad Carniolæ confinia, jam nonageſimum ætatis ſuæ annum agens. Princeps iſte omni vitio-

Boet. l.18. Buchan.l.11.

Æn. Sylv. Europ.c.21.

Sæcul. XV. A. C. 1450

rum genere inquinatus, crudelis, in libidinem propensus, raptor, impius, ac Religionis contemptor, Roma reversus nihil melior apparuit, sed ut alter Sardanapalus mortem vitæ consimilem obiit.

§. XXVIII.

S. Bernardini Senensis Canonizatio.

Non minor gloria, quam numerus Miraculorum, quæ indies ad Bernardini Senensis sepulchrum perpetrata audiebantur, adeo omnium Senensium corda permovit, ut junctis studiis cum Aquilejensi civitate, in qua sanctus die vigesima Maji Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto obiit, Virum in numerum Sanctorum referri supplicarent. Jam tempore Eugenii IV., qui ipsemet vitæ Bernardini tam Ferrariæ, quam Florentiis, & Romæ testis ocularis exstitit, ejusdem mores, & miracula pluries discussa fuere; Nicolaus quoque urgente Sancto Joanne Capistrano solemnes processus, ut vocant, continuari curavit, quibus debite absolutis idem Pontifex ipsa die Pentecostes, quæ erat vigesima quinta Maji hoc anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo (*) Bernar-

Bullar. to. 2. Nicol. V. Const. II.

(*) Non prætermittendam hic loci censeo

Pagii

Bernardinum solemni ritu in Sanctorum numerum retulit, decima tertia vero die Junii ejusdem festum ingenti pompa celebratum fuit. Cum vero Nicolaus Papa anno sequenti comperisset, quod Aquilejenses Sancti Viri corpus in monasterio Fratrum conventualium S. Francisci asservatum nullatenus sibi eripi paterentur, Fratribus Minoribus de observantia, qui Bernardinum ceu alterum Institutorem & specialem Patronum venerantur, corporis custodiam, atque curam concessit, donec in ejus honorem Ecclesiam erigerent, in quam vigesimo ex post anno ædificatam Sancti hujus ossa die septimo decimo Maji sub Pontificatu Sixti IV. translata, & post novem annos in argenteam urnam repositа fuere, quam Ludovicus XI. Galliarum Rex in specialis suæ erga hunc Sanctum venerationis monumentum, dono dederat.

Sæcul. XV. A.C. 1450.

§. XXIX.

Pagii criticam, quæ in suo Breviario Historico-critico ad hunc annum num. XXI. hæc habet: *Corrigendus Continuator Hist. Eccles. Abbatis Fleurii, qui nulla* habita diligentia asserit, *diploma Canonizationis S. Bernardini datum & publicatum fuisse in die Pentecostes* 25. *Maji, cum datum sit IX. Calend. Junii seu* 24. *Maji, quæ hoc anno* 1450. *concurrebat cum die Pentecostes.*

Sæcul. XV. A.C. 1450.

§. XXIX.

Æneas Sylvius in Senensem Episcopum electus.

Joannes Capistranus, cujus mox meminimus, eo tempore Fratrum Minorum Vicarium generalem agebat. Hunc Papa Æneæ Sylvii suasu hoc anno in Germaniam misit, ut primævam S. Francisci Regulam denuo restitueret. Idem quoque Æneas eodem Jubilæi anno a Friderico Cæsare Legatus fuit decretus ad Alphonsum Arragoniæ Regem, ut Matrimonium inter eundem Cæsarem, & Eleonoram Regis Lusitaniæ sororem, ipsiusque Alphonsi sororis filiam conciliaret. Connubium hoc fauste concluſum Æneas Sylvius circa finem anni Jubilæi Pontifici in publico consistorio manifestavit, declaravitque, sequenti anno Cæsarem Romam venturum, ut a sanctitate sua coronam Imperii reciperet. Postulavit itidem nomine Friderici Cæsaris, ut Concilium generale, quod in Galliis celebrari oportuisset, potius in Germania convocaretur. His bene gestis idem Æneas Senis in patria sua Episcopus renuntiatus est.

§. XXX.

§. XXX.

Sæcul. XV. A.C.1450.

Bulla Nicolai Papæ pro Christianis adversus Turcas.

Cum Demetrius Palæologus Peloponnesi Princeps, Constantini Imperatoris Constantinopolitani frater, necnon Scanderbegus Albaniæ Dux contra Turcas præcipue a summo Pontifice, Alphonso, Venetisque auxilia peterent, hac super re frequens habebatur deliberatio, & Nicolaus Papa, ne ullum bello sacro adversus infideles impedimentum opponeretur, die vigesima tertia Augusti ejusdem anni innovavit suorum Prædecessorum Constitutiones adversus eos latas, qui arma, ligna, equos, aliaque, quibus Christiani nominis hostes Fidelibus nocere possent, Turcis subministrarent, aut iis quocunque modo consilium vel favorem impenderent. *Marian. l. 22 c. 10.*

§. XXXI.

Cardinalis Arelatensis in Germania inferiore Legatus.

Eodem tempore Nicolaus Papa Cardinalem Arelatensem, quem Amadæo Papatum abdicante omnibus suis restituit honoribus, Sedis Apostolicæ etiam Legatum per inferiorem Germaniam decrevit, suæ in eum fiduciæ ac existimationis

Sæcul. XV. A. C. 1450.

tionis luculentius teſtimonium daturus. Verum non niſi cum plurimis vitæ ſuæ periculis functus eſt Legatione; nam ſtructis etiam in via inſidiis in ſe, ſuosque hoſtiliter actum eſt, nec ſuæ quoque ſarcinæ deprædantium manus effugerant, quas vero in reſtauranda morum diſciplina adverſitates perpeti compulſus eſſet, haud infimo loco ponendas eſſe cenſemus. Eripuit tamen illum benignum Numen ex tam multiplici diſcrimine Legationis ſuæ oppido arduæ, eodemque adhuc anno incolumem ad ſuos Arelatenſes reduxit, ubi ardentiori quam unquam ſtudio reformandis gregis ſui moribus, ac revocando Eccleſiæ ſuæ ſplendori inſudavit. In pauperes, qui eum Patrem ſuum appellare ſolebant, admodum liberalis, varia noſocomia aut fundavit, aut dotavit, propria etiam manu pauperum neceſſitatibus inſerviebat. Tandem Salli, ſeu Salenæ, quæ ſuæ Diœceſis urbs erat Arelato & Aquis ſextiis interjacens, morbo correptus, ac mortem ſibi imminentem haud temere præſagiens, ad æternitatis iter expiatis denuo peccatis ſuis ſeſe accinxit, prout vixit, moriturus; inſtanter quoque extremæ Unctionis Sacramentum ſibi adminiſtrari petiit, quo reverenter ſuſcepto, placide animam Deo reddidit die ſexta decima Septembris anno ſalutis milleſimo quadrin-

dringenteſimo quinquageſimo, ætatis ſuæ ferme ſexageſimo. Sæcul. XV. A C. 1450.

§. XXXII.

De obitu hujus Cardinalis.

Nonnullorum Scriptorum fide diſcimus, hunc Cardinalem in quadam Sabaudiæ Abbatia, quæ Altecumba dicitur, haud procul a natali ejus ſolo diſſita, ſupremum obiiſſe diem. Alii econtra referunt, mortuum fuiſſe in alio quodam Sabaudiæ loco prope Lacum Lemanum; ſepultum vero primo Lauſannæ, poſtea, ut communis omnium ſententia fert, modico poſt ejus obitum tempore ad Eccleſiam Cathedralem Arelatenſem, vel ut ſatis vero ſimile eſt, Salenam translatum fuiſſe. Vir erat in vita ſua ſanctitatis fama clarus, quæ etiam miraculorum ad ejus ſepulchrum patratorum ſplendore adeo excrevit, ut ipſa Ferrarienſis, & Florentina Synodus, necnon Eugenii felicis recordationis Papæ fautores in ſummam admirationem raperentur.

§. XXXIII.

Idem Cardinalis a Clemente VII. Papa Beatorum numero adſcriptus.

Quinimo, quos vox populi hucusque elingues facere haud poterat, tandem

Sæcul. XV. A. C. 1450.

dem vox Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ auctoritas præclare de Arelatensi sentire compulit. Hunc enim, unacum Petro Lucemburgio, debito Beatis cultu ac veneratione honorari concessit Clemens VII. Papa, testatus in Bulla Beatificationis die nona Aprilis anno Millesimo quingentesimo vigesimo septimo promulgata, quod jam a longo tempore Christianus populus beatum Ludovicum Alemanum tanquam potentem apud Deum intercessorem invocaverit. (*) Hoc Clementis testimo-

(*) *Extat hæc Constitutio apud Lanogum, Bolland. Ciacon. in addit. & in Hist. Eccles. Arelat. Petri Saxii. In ea Clemens VII.* ait: se propterea non intendere Ludovicum in Sanctorum Catalago esse relatum, donec servatis solemnitatibus in Canonizatione solitis canonizetur: ex qua clausula, *inquit Benedictus XIV. tom.* 1. *lib.* 1. *de Beatificat. c.* 20. *n.* 16. non sequitur, eundem, vel alios (nam etiam cum eadem restrictione S. Hyacinthum idem Clemens Beatis annumeravit) absque prævio miraculorum, morum &c. examine, ac approbatione Beatorum fastis fuisse insertos. *Si igitur Ludovici Arelatensis vita rigido examine (ut moris est) discussa fuit, quis credat, nisi de ejusdem pœnitentia testes ac monumenta adfuissent, eundem Beatorum honoribus adscriptum fuisse? Nonne ipsemet, Amadæo auctor fuit, ut insignia*

testimonium haud consonare videtur Eugenii Papæ verbis, quibus hunc Cardinalem describit, dum contra illum excommunicationis sententiam pronuntians, eundem præcipuum schismatis Auctorem, Secul. XV. A. C. 1450.

---

insignia ac nomen Pontificium deponeret, vide lib. 3. Purpuræ doctæ mihi fol. 58. *Nunquid Martyrologium Gallicanum Andreæ Saussaji ad diem XVI. Calend. Octobris disertis verbis de eo enuntiat:* Qui in Concilio Basileensi cum adversus Eugenium Papam IV. stetisset, Felicemque consecrasset, FACTI POENITENS, ad Nicolai V. Obedientiam rediit. *Parum igitur Continuator Beati hujus Cardinalis memoriæ consuluisse videtur, dum, quem nemo quidem in sua pertinacia usque ad mortem perseveraſſe affirmat, omnes autem Basileensis Synodi occasione in multis graviter excessisse, aut saltem* zelo non secundum scientiam, sed nimia credendi calumniatoribus facilitate, *ut Oldoinus de illo ait, erraſſe fatentur, ipse solus gloriabunde, Cardinalem de iis pœnitentiam non egisse jactitat, & quidem ex leviſſimis omnino momentis; quid enim probat, in illo rerum articulo Basileenses in sua pervicacia perstitisse? nempe omnibus superbe errantibus solemne vitium est, errorem non fateri, noverant quoque, Nicolaum pacis studioſiſſimum omni lenitate, ut schisma* tolleret, in eos acturum, hinc *Synagogam suam cum honore sepelire quærentes,*

(ita

Sæcul. XV. A.C. 1450.

ctorem & unicum Amadæi in Antipapam electi fulcrum appellat, nec eum nominare dubitat iniquitatis alumnum, atque perditionis Filium, qui propter seditionem suam, ac diversa crimina, quorum reus erat, jam olim a Ferrariensi, & Florentino Concilio anathemate perculsus fuerat, omnibus dignitatibus juribusque suis spoliatus.

§. XXXIV.

Cardinalis gesta in Basileensi Synodo vindicata.

Si forte Eugenii Papæ Fautoribus certum esse videatur, Arelatensem Cardinalem audaciam, atque perfidiam sibi crimini datam prævia expiasse pœnitentia, sane fabulam proferunt studiose in illorum elaboratam cerebro, qui antea Cardinalem tanquam sceleratum, rebellem ac perfidum hominem, schismatis Aucto-

(ita Spondanus ad an. 1449. num. 2.) audacter mimicam suam Papam eligendi &c. auctoritatem sustinuerunt. *Sed nunquid ideo Arelatensis ex post pœnitentia errores suos haud expiasse probatur. Certe firmiori usus fuisset argumento, si dixisset continuator: cum Cardinalis iste tam sancto fine quieverit, schismatis ex sua auctoritate nutriti culpam pœnitentia diluisse colligitur.*

Auctorem, & hæresum disseminatorem summa temeritate lacessere non dubitarunt, nunc luculentis testimoniis, quibus Deus ipsemet Viri Sanctitatem toti mundo probatam reddidit, aquiescere compulsi, tam molestæ, tamque necessariæ palinodiæ dolorem quadantenus lenire contendunt. Nemo enim hucusque vel ullum de sceleribus, quæ ipsi imputantur, actæ pœnitentiæ argumentum proferre valuit, quinimo eandem, quam Basileæ fovit, semper sententiam immote tenuisse videtur; Ex eo enim, quod Basileensis Synodi Patres, quorum cætui præfuerat, Lausanæ Nicolai V. Papæ obedientiam professi sint, non propterea Eugenio resistendo, eundemque exauctorando, & Amadæum subrogando se male egisse fatebantur, sed potius e contrario se omnia pro bono Ecclesiæ gessisse contestabantur, declarantes, se non antea Nicolaum pro summo Pontifice veneraturos, nisi prius, Felice Papatum sponte abjiciente, ipsi de novo Nicolaum elegissent. (*) Quapropter unio Ecclesiæ red-

Sæcul. XV. A. C. 1450.

Baillet. Vit. Sanct. ad diem 16. Septembr.

(*) *Mirum sane, quod Continuator in progressu suæ Historiæ oblitus fuerit hanc Basileensium declarationem recensere, cum tamen adeo sollicite congesserit, quæcunque ad honestandum horum schisma, proin ad stabiliendam auctorita-*

Sæcul. XV. A.C.1450. reddita fuit, quin eorum ullus ad retractanda a se gesta compulsus fuisset. Aliunde Nicolaus V. a Basileensibus acta confirmavit, sibique ratam fuisse Arelatensis Cardinalis agendi rationem comprobasse videtur, eoquod illius meritum, atque virtutes tanto præmio honorare non dubitaverit.

§. XXXV.

Honflorium a Dunensi Comite captum.

Vid. sup. §. XXII. A refluctu, ut vidimus, prima Januarii hujus anni deditione in Gallorum potestatem

tem Synodi supra Papam conferre existimabat. Refert in §. CXL. Eugenium solum pro vero Pontifice fuisse agnitum, in §. CLXXI. Felicem Antipapam, & Basileenses lib. CX. §. III. beneficii loco habuisse, non ut ab eis gesta rata haberentur, sed ut pœnæ utrinque latæ abolerentur, & ipsi pristinis suis dignitatibus restituerentur. Quis sane risum continere potuisset, si Basileenses ad exiguum numerum redacti, ab omnibus derelicti, ac contempti, necnon sola Nicolai Papæ clementia tuti professi fuissent, se Papam, quem dudum totus Orbis ceu verum ac legitimum venerabatur, non agnituros, nisi ipsi eum de novo eligerent. Quæ autem Nicolaus rata habuerit, jam alibi dictum, & constat ex §. IV.

testatem redacto, Rex Franciæ illius Præfecturam Comiti Dunensi commisit, dato simul negotio, ut quantocius Honflorium obsidione cingeret. Urbs hæc, quantumvis ex Rothomagensis pacis conditionibus Regis imperio tradi debuisset, hucusque tamen jugum excussit; illius enim Præfectus, Cursonus nomine cum quadringentis Anglis pertinaciter Gallorum violentiæ obsistebat, urbemque strenue tueri decernebat. Quapropter Comes die decima Januarii Honflorium tormentis bellicis quatere aggrediebatur, & quamvis Raynaldus Guilielmus Burgundus Montis-Argii Prætor pluresque alii globis ex urbe emissis cecidissent, nihilominus die decima octava Februarii Angli ad deditionem compulsi sunt, omni spe obtinendi auxilii frustrati; cum Somersetus Dux nec ad pugnandum vires, nec ad Cadomum urbem, ubi se receperat, relinquendam animum haberet, veritus, ne Galli hunc quoque refugii locum ei eriperent.

Sæcul. XV. A.C. 1450.

Joan. Chart. Hist. Car. VII.

§. XXXVI.

Mors Agnetis Sorillæ de Castro Pulchritudinis.*

* *Soreau.*

Rex obsidionis tempore in Gemmeticensi Abbatia Ordinis S. Benedicti, quæ quinque infra Rothomagum urbem

Jo. Chart. Hist. Car. VII.

Sæcul. XV A.C.1450.

leucas ad ſequanæ oram ſita eſt, agebat, ubi quamdam mulierem, Agnetem Sorillam nomine, quam ſervato honeſtatis limite, ut inquit Charterius, deperibat, defunctam luxit. Nobilis hæc fœmina nata erat Fromentavii, quodam Turonum Dioœceſis Bituricenſis pago propriæ ejus poteſtati ſubjecto. Illa apud Reginam Nobilis Domicellæ miniſterium ferme quintum annum obibat, quo tempore Carolus Rex cum ea conſuetudinem jungens, illam plurimis favoribus affecit, ac villam pulcherrimam ad Matronam fluvium ſitam, quæ & caſtrum pulchritudinis dicebatur, eidem donavit. Agnes frequenter Regi ignaviam ſuam exprobrabat, animumque ejus contra Anglos accenſura, vaticinii commento uſa eſt, dicens, a quodam Aſtrologo ſibi denuntiatum fuiſſe, ſe a quodam Rege totius Orbis potentiſſimo ſingulari proſequendam amore; hoc vero præſagium nullatenus Carolum Regem ſpectare, eoquod ditiones ſuas ab hoſtibus perperam uſurpatas recuperare negligeret; proin ut vaticinio veritas conſtet, ſe deſerto Carolo ad Regis Angliæ palatium tranſmigraturam. Uſſit Regem tam acriter hæc objurgatio, ut mox bellum pararet, collectisque viribus Anglos Francia propulſare aggrederetur.

Fromenteau

Marne

Exceſſit

Excessit postmodum e vivis Agnes, alvi profluvio laborans, feria quinta die nona Februarii ad sextam ferme horam meridianam in castro Melinensi, quod quarta Leucæ parte a Gemmeticensi Abbatia dissitum erat. Inde corrigendus est plurium Scriptorum error, qui eam Gemmetici mortuam affirmant. Ætate erat haud adeo provecta, utpote nonnisi quadragesimum annum agens. Cor ejus unacum intestinis Gemmeticum, corpus vero ad castrum Lochiam translatum in medio Chori Ecclesiæ Collegiatæ ad Beatam Virginem in tumba ex nigro marmore conditum quiescit. Defunctæ effigies in marmore candido exsculpta tumbæ incumbit, utrinque Angelis pulvinar, cui caput statuæ inclinatur, gestantibus, necnon duobus Agniculis ad pedes ejus provolutis ornata visitur. (*) Hanc ipsam Ecclesiam Agnes pluribus bonis locupletavit.

Sæcul. XV. A.C. 1450.

Monstrelet du Haillan. Chronic. S. Dyonis. in Car. VII.

§. XXXVII.

(*) De hac Agnete Joannes de Bussieres in sua Historia Francica parte II. lib. 12. num. 28. hæc narrat: *Rex dum Juliobonæ deditionem opperitur, eum Agnes convenit formosissima illa sæculi sui mulier, in speciem, ut quid arcanæ conspirationis retegeret, revera ut amantem, instauratis illecebris, ceu recusa compede revinciret. Nam verebatur sagacissima fœmina, ne*

Sæcul. XV. A. C. 1450.

§. XXXVII.

Jacobus Cordis Agneti venenum propinasse accusatus.

Agnetem propinato veneno necatam fuisse, rumor erat, & Jacobus Cordis cum plurimum gratia & authoritate apud Delphinum huic fœminæ infensum valeret, eo sollicitante Agneti venenum porrexisse credebatur. Vir iste, quamvis ignobilis cujusdam Bituricensis civis Filius esset, nihilominus cum quæstuosis primo

gloriæ atque victoriæ forma Rex captus, voluptatem veterem aspernaretur, bellique amor turpis otii votum restingueret, verum veneno præbito ut creditur, a quodam Delphini cupido placere simul & vivere desiit. Dicebatur pulchritudinis Domina, tum quod forma corporis prædita esset, quæ imperium usurparet in animos, tum quod a Rege villa pulcherrima, quæ & Castrum pulchritudinis dicta est, præter immensa alia munera, fuisset donata. Villaqueris neptis ejus locum implevit, Regisque amorem seu hæreditatem adivit. Hæc ille, quæ ægre cum dictis Continuatoris conciliabis. Interim summopere optandum esset, ut Historiæ non solum narratio, sed fides quoque veritasque constaret; eaque ab Historiæ Ecclesiasticæ gravitate resecarentur, quæ mere profana, ac nonnisi cujusdam meretriculæ fata respiciunt.

primo negotiis magno cum fœnore locu- Sæcul. XV.
ples, atque ingentibus divitiis cumulatus A.C.1450.
evaſiſſet, demum ingenii ſui acie, rel-
que gerendæ dexteritate ſingulari tan-
tum profecit, ut nominis ſui fama ad
curiam Regis, qui perſæpe Biturigibus
diverſabatur, delata Procerum animos
aucuparetur. Rex ipſe Viri prudentia *Matth.*
mirifice affectus, eum ærarii ſui præfectum *Coucy Hiſt.*
conſtituit, quinimo a conſiliis eſſe voluit, *Carol. VII.*
in maximi etiam momenti negotiis illius
opera uſus. Verum hæc ipſa immodica
Regis gratia Jacobo plurimorum invi-
diam accerſebat. Inſimulabatur, quod
Regnum, Regisque ærarium expilaſſet,
Chriſtianum, ne mercium ſuarum jactu-
ram faceret, Ægypti Sultano pro manci-
pio tradidiſſet, Agneti propinato vene-
no mortem acceleraſſet, necnon Baby-
loniæ Sultano omnem, quo equi inſtrui
ſolent, apparatum miſiſſet, ut & ipſe equi-
tatum ſuum Gallorum Equitum inſtar
parare poſſet. Igitur Jacobus hiſce cri-
minationibus oneratus comprehenditur,
atque Luſignani in Pictavienſi Provin-
cia in arcis carcere includitur, dein au-
tem poſtulante Joanne Daveto, qui Pa-
riſienſis Parlamenti Generalis Procura-
tor erat, in jus vocatus damnatur.

Sæcul. XV.
A. C 1450.

§. XXXVIII.

Jacobus exilio ac bonorum proscriptione mulctatus.

Jacobus, quamvis omnia accusationum capita plene diluisset, nihilominus omnia ejus bona ærario publico addicta, ac ipse insuper Regi quadringenta aureorum millia pendere lata sententia compellebatur, demum vero in Insulam Cyprum relegatus fuit, ubi tamen suorum sociorum auxilio, ac proprii ingenii viribus adjutus, ad opima fortunæ commoda devenit; tandem vero in pugna adversus Infideles, ut creditur, occubuit. Interea Nobilis fœmina, quæ Jacobum de Veneno Agneti propinato accusaverat, calumniæ convicta, & aula ejiciebatur in exilium pulsa. Jacobi quoque innocentia, eo licet jamjam defuncto, vindicata patuit, & ipse Delphinus ad solium Regni evectus, & Ludovicus XI. appellatus, Gregorio Cordis Filio ejus aliquam bonorum Patris sui partem restitui curavit.

§. XXXIX.

Delphinus in Delphinatu, nec amplius ad Regiam redux.

In tota belli, quod Rex Galliæ nuperrime contra Anglos gessit, historia nulla Delphi-

Delphini mentio facta est; nec abs re; is enim confecto in Aquitanniam itinere, Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto a Rege, ut Delphinatum ſibi tanquam primogenito Regis Filio donatum adiret, veniam obtinuit, ea tamen lege, ne ultra quadrimeſtre tempus ibidem hæreret. Hoc quoque in itinere pacta cum Sabaudiæ Duce anno ſupra milleſimum quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo Genevæ ſancita firmavit. Verum quatuor menſium terminum ſibi a Rege conceſſum prorogans, diutius in Delphinatu ſubſtitit, & liberioris auræ illecebris captus non ultra Regis aulam repetere cogitabat, nihil proficientibus Patris ſui precibus, quem minime latebat, quod filius ſuus, licet abſens, artibus tamen, ſuorumque fautorum ope continua diſſenſionum ſemina ſpargeret. Haud multo poſt idem Regi libellum adverſus Brezæum Pictavienſem Seneſcallum porrexit, in quo eundem de atrociſſimis, ac potiſſimum in ipſum Regem commiſſis criminibus inſimulabat, pollicitus, ſe delationem ſuam plurium teſtimonio probaturum. Rex Miniſtrum ſuum, quamvis merito innocentem crederet, ſua tamen ope aliquatenus deſtituit. Aſt Brezæus non tam Regis auctoritate, quam innocentia ſua tutus, minime animum deſpondit, nec ullam gratiæ viam

Sæcul. XV. A.C.1450.

Sæcul. XV. A.C 1450.

quæsivit, sed intrepide, quæcunque sibi crimini darentur, diluturum spopondit, caussamque suam tam invicto animi robore, tantoque candore dixit, ut Rex, quo præsente peroravit, non solum illum comprehendi prohibuerit, sed paulo post ad Consulatus dignitatem revocaverit, majoreque, quam antea habuit, gratia & auctoritate cumularit, quo tamen Delphini invidia, atque odium immodice excrevit.

§. XL.

Valonia ab Anglis occupata.

Vere ineunte recruduit bellum adversus Anglos, quorum primos quoque conatus fortuna promovit; Valoniam enim inferioris Normanniæ urbem in suam potestatem redegerunt. Thomas etiam Kirielus cum tribus Anglorum millibus in Normanniam excurrens, Cheroburgum obsidione cinxit. Oppidani quidem primos hostium impetus virili animo sustinuerunt, verum desperatis Gallorum suppetiis, Abel Rouantius Nobilis Pictaviensis urbis Præfectus, æquis conditionibus deditionem evoluta tertia septimania facere compulsus est. Kirielus alia tria Anglorum millia, quæ ex Cadomi, Bajoci, & Viriæ præsidiis collegerat, suis copiis adjunxit, atque exercitum

suum

suum ad sex, ac ferme septem armato- Sæcul. XV.
rum millia auctum in aciem eduxit; A.C.1450.
Ad rei famam Comes Claromontius Ducis Borbonii Filius natu major, maximæ spei juvenis, Comes Castrensis, Pictonum Senescallus, Raysius Franciæ Architalassus, aliique nonnisi quinque sexve hastatis, eorumque satellitibus stipati accurrunt, & Claromontius Anglos impetere a Rege jussus, Carentani Castra posuit, ubi copias suas suppetiis, quas Conestabilis afferret, augere decretum erat.

§. XLI.

Angli trajecto flumine Gallos aggressi.

Verum accepto nuntio, Anglos occupata Valonia Bajocas petiisse, ut inde Viriæ flumen trajicerent, atque in Contentinensem agrum penetrarent, Claromontius exercitum suum ad fluminis oram admovit, Anglis transitum prohibiturus. Jam jamque centum hastatorum manipulus Duce Petro de Lovanio flumen ingrediebatur, Anglos debellaturus, sed retrocedere coactus est. Nec tamen hac die Angli flumen trajicere ausi sunt, sed primum altera Kirielus superato flumine recta Gallos petiit, qui viribus nimium impares, sese receperunt. Quo facto Angli ad Forminiacum pagum Caren-

Sæcul. XV. A.C. 1450.

Carentum inter & Bajocas castra posuerunt, accessere etiam Matthæus Godus, & Robertus Veerius Anglorum Duces, qui quasdam adduxerunt copias. Jam in conspectu utraque acies erat nonnisi exiguo rivulo eam intersecante; jamque Claromontius Comes minora duo tormenta inter sepes locabat, quorum furor effecit, ut Anglis multa globorum, & flammæ tempestas devoranda esset, tandem vero Godus sexcentos Balliſtarios submisit, qui rivum vado transeuntes toto impetu in Gallos irruunt, fugant, & duo illa tormenta secum abripiunt. Comes ad S. Lautonis oppidum quosdam ablegabat, qui Conneſtabilem expoſito discrimine suppetias ferre urgerent. Ille confestim feria quarta, quæ erat quinta decima Aprilis, itineri se accinxit, & summo mane hora diei tertia advenit, tempore Gallis admodum opportuno; Godus enim jamjam primos victoriæ fructus delibare videbatur.

§. XLII.

Suppetiæ a Conneſtabili Gallis submissæ.

Igitur Conneſtabilis, Jacobo de Lucemburgo, Lavallio Comite, Loheacio Franciæ Mareſcallo, Orvalio Britanniæ Mareſcallo, San Severinate, Bouſſacio, aliisque

que pluribus Principibus ac Nobilibus stipatus, ferme ducentos quadraginta lancearios, & octingentos Balliſtarios adduxit. Conneſtabilis vix conſpecto Anglorum exercitu, illico ſuos in ordines ac ſtationes diſtribuit prælio paratos. Angli haud expectata hac rerum facie tanto perculſi ſunt terrore, ut Robertus Veeres cum ſuorum millibus Cadomum, & Bajocas aufugeret, ipſe quoque Kyrielus jam in eo eſſet, ut fuga ſibi conſuleret, opportunitate præfati rivuli, ac cujusdam pagi eidem incumbentis uſurus: ſed accurrente quadam Balliſtariorum cohorte, quam Conneſtabilis ex equis deſcendere juſſit, primum Anglorum cornu initio certamine funditur, plurimis eorum qua cæſis qua captis. Sæcul. XV. A C. 1450.

§. XLIII.

Angli ad pagum Forminiacum prælio devicti.

Finito certaminis præludio Conneſtabilis junctis Claromontii copiis fortior evaſit, & Brezæus tanto furore alterum hoſtis cornu impetiit, ut maxima Anglorum parte Victorum gladiis jugulata, duo illa tormenta non ita pridem occupata recuperaret. Angli ſiniſtro fato nimium perterriti, Forminiacum ad ſua caſtra ſatis munita fugere compulſi ſunt, pugnæ decre-

Sæcul. XV. A. C. 1450.

decretoriæ discrimen declinaturi. Verum Conneſtabilis comperto Anglorum receſſu, rivum trajicere tentat, pontem ab Anglis occupatum aggreditur, omnique ex parte hoſtibus inſtat, ac vi ad fluvium retroactis, tandem poſt trium horarum certamen fugam infert, & promiſcuam cladem. Francorum exercitus vix ad tria millia & quingentos armatos aſcenderat, Anglis ultra ſeptem millia numerantibus. Joannes Chartierus narrat, cecidiſſe Anglorum tria millia ſeptingentos ſeptuaginta quatuor, quorum corpora in quatuordecim prægrandibus foſſis humata fuere; Capti vero Victoribus ceſſerunt mille quadringenti, quos inter potiſſimi erant Kyrielus, Henricus Norberius, Thomas Druic Kyrkebius, Chriſtophorus Auberchonus, Joannes Arpelles, Paſchierus Gobert, Canevilla & plures alii. E Francis nonniſi octo deſiderati dicuntur.

Joa. Chart. in Hiſt. Char VII. p. 197. & 198.

§. XLIV.

Angli tota Normannia pulſi.

Carolus VII, qui in inferiori Normannia agebat, parta hac victoria, ceteras urbes, quæ adhucdum Anglis parebant, occupare, omnesque hujus Nationis Viros Regno penitus pellere, facili negotio potuit. Conneſtabilis quidem Viriam cinxit,

cinxit, cepitque, quam urbem sibi a Rege donatam pleno dominio suo vendicavit. Comes Claromontius Bajocas, & Britanniæ Dux Abrincam suis subjecere armis; Valonia, Briquebecium, Tombelanæ castrum haud procul a Monte S. Michaelis situm, S. Salvatoris oppidum, ceteraque omnia circumvicina loca Victorum arbitrio cesserunt. De his tam feliciter gestis Rex per universum regnum solemnibus supplicationibus Deo gratias agi decrevit. Guillelmus quoque Charterius Parisiensis Episcopus supplicationem memoratu dignam instituit, in qua duodecim millia puerorum, atque puellarum, ætatis septem usque ad undecim annorum, singuli facem ceream manu gestabant, binique ab Ecclesia Sanctorum Innocentum ad S. Mariæ procedebant, sequentibus Sacellanis, sacras Reliquias deferentibus. Sæcul. XV. A.C. 1450.

§. XLV.

Cadomus urbs a Connestabili oppugnata.

In tota Normannia nonnisi Cheroburgum, Donnifrons, Falesia, & Cadomus Anglis reliqua fuere, quæ tamen omnes munitissimæ erant arces, ac validis instructæ præsidiis. Galli primo Cadomensem urbem, quam Dux ipse Somersetus cum quatuor Anglorum millibus

Secul. XV. A.C. 1450.

bus tuendam suscepérat, obsidione premunt. Die quinta Junii Connestabilis in quodam civitatis suburbio ad latus Bajocensis urbis, in Abbatia S. Stephani Ordinis S. Benedicti cum copiis suis sedem fixit. Eodem vero die Comes Claromontius Vernolio relicto ad Connestabilis castra se contulit, stipatus Castrensi Comite, Montgasonio, Mougo, Roberto Floquetio Ebroicensi Prætore, Petro Lovanensi, Carolo Fayetta & circiter novem armatorum millibus. Comes vero Dunensis ad alteram urbis partem versus viam, quæ Parisios ducit, cum quinque millibus castra locavit, ac Ornum fluvium ponte junxit, per quem sibi ad Connestabilis exercitum tutus pateret aditus. Paucis ex post diebus Rex ipse ad castra venit, comitantibus Renato Andegavensi, Calabriæ Duce ejusdem Filio, Cenomanensi, & S. Pauli Comitibus, Tancarvilla, Lomaignæ Vicecomite, Joanne, & Ferri Lotharingis, Barone de Fraisnel Franciæ Cancellario, Blainvilla & Preuillio, Bituricensi, & Lugdunensi Prætoribus, aliisque magno numero Nobilibus. Rex in Abbatia Arduenna Ordinis Præmonstratensium diversatus, ibidem toto obsidionis tempore morabatur.

§. XLVI.

Sæcul. XV. A.C.1450.

§. XLVI.

Conditiones in deditione Cadomi pactæ.

Rege adventante, confestim castrensia aperiuntur valla, & Dunensis Comes munimenta Vaussellii ad flumen Ornum erecta aggreditur, ac post validam hostium defensionem vi occupat. Demum ruptis cuniculis muri, turrisque pars versus S. Stephani Abbatiam eversa est, quo fato obsessi tanto perculsi sunt terrore, ut deditionem facere decernerent, veriti, ne denique urbs tota vi caperetur. Rex, cum aliunde civitatem adeo opulentam militum deprædationi relinquere abhorreret, faciles supplicantibus aures præbuit, ea tamen lege, ut non solum civitas, sed arx quoque pactis conditionibus cederetur. Postera die, quæ erat S. Joanni Baptistæ sacra, colloquio habito hæc deditionis capita sancita fuere: I. Angli urbem & arcem die prima Julii Regis dominio tradent. II. Dux Somersetus, ceterique omnes Angli, eorumque conjuges ac liberi cum sua quisque supellectili egredientur in Angliam nec aliorsum, propriis tamen sumptibus migraturi, in quem finem naves ac currus, data tamen pro navium securitate cautione idonea, subministrabuntur. III. Nul-

Sæcul. XV. A.C. 1450

lum tormentorum genus secum auferre poterunt. IV. Angli omnes captivos Regi liberos reddent, denique si quos in urbe debitores habeant, solutionem ab eis repetent. His pactis utrinque firmatis, ac in omnibus plene executioni datis, Prætor claves urbis, ac arcis Conneſtabili tradidit, qui easdem Comiti Dunensi obtulit. Ille enim Regis nomine civitatis hujus Præfectus est nominatus, qui & solemni pompa die sexta Julii Urbem ingressus est.

§. XLVII.

Falesia obsidione cincta.

Eodem die, quo Rex Cadomum ingrediebatur, Pontonus Santrallius tum machinis, tum ductis aggeribus Falesiam urbem aggreditur, Joanne Burellio Galliæ Thesauri Præfecto tormenta bellica advehente. Sub idem tempus Rex Cadamo relicta in Abbatia S. Andreæ sedem fixit, commisitque Alenconio Duci stationem S. Margarithæ, Dunensi autem Comiti Gubracum, dictæ civitatis suburbia, concredidit. Obsessi resistendo impares die decima Julii petito colloquio deditionem offerebant, Anglis urbem & arcem die vigesima prima ejusdem Mensis Regi reddere pollicentibus, nisi infra hoc tempus suppetiis juvarentur. Cum vero

vero Rex Angliæ Faleſiam urbem Talbo- Sæcul. XV.
to Duci dono dediſſet, illum vero Galli A.C.1450.
in arce Drocenſi captivum detinerent, eoquod Honflorii Præfectus contra Rothomagenſe pactum hanc urbem reddere recuſaſſet, Galli pro parte ſua Talbotum libertati reſtituere ſpoponderunt, Anglis quoque conceſſum, ut tradita urbe in Patriam ſuam reverterentur. His conditionibus utrinque acceptatis Rex Faleſiam urbem ſuo imperio junxit, ejusque Præfecturam Santrallio demandavit.

§. XLVIII.

Cheroburgi obſidio.

Biduo poſt, nimirum vigeſima tertia Julii die, Rex Donnifrontem urbem cingi juſſit, quæ tamen iisdem, quibus Faleſia, & Cadomus, conditionibus deditionem fecit. Porro Anglis unicum in tota Normannia ſupererat Cheroburgum, quod validiſſimum erat oppidum, fortique munitum præſidio. Nihilominus Conneſtabilis omnibus ſuis tormentis rem aggreſſus, pluribus cuniculis incenſis muros ſubruebat, tantoque impetu urbem quatiebat, ut præſidiarii ad deditionem compellerentur, quamquam non ſine Gallorum damno; quippe Cotinius Franciæ Admiralis globo æneo ex grandiore tormento excuſſo, & Tudaldus *Domfront.*

Sæcul. XV. A.C 1450.

Trecarum Prætor alterius machinæ, quam colubrinam vocant, globo trajecti occubuerunt, ingenti omnium luctu. Ceterum tam mira dexteritate in arena congesta locabantur tormenta, ut æstus maris, quamvis in singulos dies binis vicibus impulsus efferveſceret, nullum omnino damnum inferret. Porro Angli urbem ex hac parte inexpugnabilem fore arbitrati, rei novitate adeo obstupuerunt, ut deditionis pacta inirent. Quocirca Thomas Guelus præsidii Præfectus proprium Filium suum, ipsumque Talbotum belli Ducem, donec cum hoste transigeretur, obsides dedit, cum vero inter conditiones dedendæ urbis præcipua esset, ut Filius suus sibi redderetur, & illa executioni data esset, ejus Pater arcis Præfectus mox die vigesima secunda Augusti urbem Regi cedebat; illius vero Præfectura Domino Beuillio commissa est, quem Rex pariter Admiralis Franciæ dignitate per Cotinii obitum vacante auxit. Hujus urbis expugnatione tandem Rex ad gloriæ summam pervenit, cum intra unius anni spatium universam Normanniam suo imperio subjeciſſet. Quare in perennem beneficii memoriam per universum Regnum menſe Septembri, ac sequentibus annis in perpetuum eodem die, quo Cheroburgum in potestatem Regis venit, supplicationes publicas fieri

Joa. Chart. Hist. Carol. VII. in hunc ann.

fieri decrevit, & hodiedum pia hæc consuetudo Rothomagi obſervatur. Sæcul. XV. A.C. 1450.

§. XLIX.

Mors Franciſci Britanniæ Ducis; Petrus Frater ejus ſucceſſor.

Ingens illa lætitia, quam Carolus VII. ob tot, tantasque victorias concepit, non ſine luctu fuit. Hoc enim anno ereptum ſibi planxit Principem Gallici nominis ſtudioſiſſimum, & in Normanna expeditione editis fortitudinis ſuæ argumentis longe celeberrimum. Hic erat Franciſcus Britanniæ Dux, qui die decima ſeptima Julii, quæ Sabbatum erat, in caſtro Erminenſi prope Venetias in Britannia ex hydrope fatis functus eſt. Natus erat die undecima Maji Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, unicum ſuſcepit Filium, qui in pueritia diem ſuum obiit. Quare nullo hærede relicto, Petrus II. Franciſci frater ſucceſſit, ita exigente lege, quam Joannes Britanniæ Dux, cognomento fortis ſanxerat, vi cujus a jure ſuccedendi Filiæ excludebantur, ſi proles maſculæ linea recta in Britonum domo ſuperſtites eſſent. Quapropter hac lege duæ illæ Filiæ, quas Franciſcus reliquerat, Ducatu arcebantur. Porro immodico erga Franciam affectu deceptus, Ægidii fratris

Monſtrelet. vol. 3.

Argentre l. 12. c. 3.

Hermine

Vannes

Vid. ſupr. lib. CIX. §. 132.

Sæcul. XV. A.C.1450.

tris sui necem promovit; nimia enim facilitate fidem dabat iis, qui illum, eoquod diutius in Anglia hæreret, Henrico Regi in paucis carum accusabant, quod fœdera Gallis infesta cum Anglis pepegisset. Potissimi, qui in occisi perniciem conjurarunt, erant Jacobus de Spinaco primum Macolovienſis, dein Rhedonenſis Episcopus, & Arturus de Montalbano Domini Montalbani frater natu minor. Arturus, ut fertur, criminis sui pœnitentia ductus, habitum Cœlestinorum Lutetiæ Parisiorum susceperit, postea per Ludovicum XI. forte in gratiam fratris ejus, qui classi Gallicæ præerat, Archiepiscopus Burdegalenſis nominatus.

§. L.

Regni Proceres a Rege Turonibus congregati.

Rex Galliarum Anglos e Normannia abegisse haud contentus erat, sed insuper quicquid reliquum in Aquitannia possidebant, nempe Burdegalam, Blaviam, Acquas, Fronsacum, Bergeracum, pluresque alias urbes illis continuo eripere decrevit. Eam ob rem mense Septembri Turones venit, & Viros nobilitate generis maxime conspicuos in consilium vocavit, de Aquitanniæ subigendæ modo deliberaturus. Omnium animis hoc

hoc insedit consilium, præprimis omnia præcavenda, & sollicite circumspicienda esse, ut Normannia, cujus gubernandi munus Comiti Richemundio Connestabili, & Brezæo Senescallo concreditum erat, integra conservaretur, Pentiverium vero Comitem, & Petrocorium Lemovicensem Vicecomitem in Aquitanniam mittendos, quibus accederent Carolus Culantius, Jalognius Franciæ Mareschallus, Pontinus Santrallius Bituricensium Prætor, Godefridus Sanbellinus, Joachimus Rouantius, Petrus Lovaniensis, pluresque alii Proceres, unacum quingentis, vel sexcentis lancearils, eorumque Sagittariis, quibus in mandatis daretur, ut exacte disciplinam militarem colerent, ac popularium in se invidiam, odiumque studiose præcaverent. Sæcul. XV. A.C.1450.

§. LI.

Regis exercitus in Aquitanniam missus.

Ergo omnes isti Belliduces, in Aquitanniam tendunt, & expeditionem bellicam ab obsidione Bergeracensis urbis auspicantur, quæ mense Octobri deditionem fecit, ejusque Præfectus Culantius Mareschallus nominatus est. Eodem victoriæ cursu Jonsacum castrum vi occupatum est, præsidiariis in captivitatem abductis.

Sæcul. XV. A. C. 1450.

Urbe capta in varias partes dimittebantur copiæ, aliæ Monferrandium cingebant, cujus Præfectus Gallorum manibus se dedit, inde cum ad oppidum S. Fidei processissent, Chalesius sub iisdem pactis urbem subegit.

§. LII.

Ærarii exactor ob infidelitatem mulctatus.

Deficientibus eo tempore stipendiis, milites apud Regem conquesti sunt; cujus jussu Joannes Xainconius supremus regii ærarii Præfectus, ejusque vicarius Joannes Chartierus nomine, carceri mancipantur, malæ administrationis, & Regiæ pecuniæ in rem suam versæ convicti. Castigandos esse omni legum rigore visum est ceteris, Rex vero clementiam severitati præferens, solum eorum bona fisco addici, & Xainconio sexaginta millium aureorum, qui militibus in stipendium cederent, mulctam imponi voluit, quæ summa nullatenus ingentem a se ablatorum, ac corrasorum vim proprio oris sui testimonio æquabat.

§. LIII.

Homagium a novo Britanniæ Duce Regi præstitum.

Ultima Octobris die in profesto Sanctorum

rum omnium Orvallus Albretii Comitis tertius Filius cum pluribus aliis Vasates venit, & cum quadringentis, aut ferme quingentis suorum in Burdegalensem agrum excurrens, ad ipsam Urbem Burdegalas militem admovit, inde populabundus in Medulos irrupturus. Jamque altera die hanc Insulam ingredi parabat, cum ecce! eidem nuntiatur, Anglorum & Burdegalensium novem millia in aciem procedere, ac contra Gallos arma vertere. Orvallus accepto nuntio copias suas in aciem instruxit, ac intrepidi animi robore hostis sui occursum expectavit. Jam manus conserunt, & Galli licet numero longe inferiores, tanto tamen fervore dimicant, ut desideratis hostium suorum circiter mille octingentis, mille ducentos captos abducerent. Hæc victoria præsentis anni postrema fuit, hyeme propemodum imminente, ac milite post tot belli labores quietem exoptante. Ad finem hujus anni die tertia Novembris Petrus novus Britanniæ Dux clientis fidem Regi professus est, non quidem ex severiori formula, sed more suis Prædecessoribus usitato; Nihilominus ob Montfortiensem Comitatum strictius clientelare munus profiteri haud dubitabat, id est, sese obstringebat, ad Regis nutum fidem, & omne obsequium erga omnes,

Sæcul. XV. A.C. 1450.

Sæcul. XV. A.C. 1450.

& contra omnes præstiturum sub pœna feloniæ, ac proscriptionis bonorum.

§. LIV.

Henrici Bavariæ Ducis obitus.

Trith. Chro. Spanhem. ann. 1445.

Hoc anno Henricus Bavariæ Dux, cognomento *Dives*, Friderici Landishutani Filius obiit, suoque Filio Ludovico totam hæreditatem reliquit, qui quamvis sub duro, ac illiberali Patre usque ad annum ætatis trigesimum multam perpessus penuriam etiam rerum, quæ statui suo maximopere necessariæ erant, obsequio tamen & pietate erga eum summis laudibus celebratur. Suadentibus quondam inimicis suis (*) ut relicto Patre clam in Austriam ad Albertum Ducem avunculum suum abiret, respondit, auctorem vitæ suæ nequaquam se deserturum, nec quoad mentis compos foret, unquam offensurum. Minore tamen prudentia ac sapientia usus esse videtur, ubi pacem cum Marchione Brandeburgensi ea conditione inierat, ut Marchio Duci Bavaro traderet quædam edicta contra ipsum ab Imperatore lata, ille ut ea accepit, publico in conspectu omnium dilaceravit. Ex eo autem Imperator gravissime offensus, Ducem læsæ Majestatis

(*) Legendum putamus, *amicis.*

statis reum declaravit, & concordiam cum Marchione recens initam omnino irritam fecit, ceterosque Principes in eum commovit, quem penitus oppressum continuo odio persecuti sunt. Sæcul. XV. A.C.1450.

§. LV.

Concordia duorum Fratrum Saxoniæ Ducum.

Felicior concordia hoc eodem anno erecta est duos inter fratres, Fridericum, & Guilielmum Saxoniæ Duces. Hos inter diuturna æque ac cruenta exarsere dissidia ob paternam hæreditatem; hanc quoque discordiam perfidi quidam alebant Aulici, eamque in rem suam vertebant. Fridericus, cum præcipuus hujus dissensionis Auctor occasione Jubilæi Romam petiisset, ejus absentia opportune usus, Fratrem suum missis nunciis ad se accivit, ut de pace, ac mutua animorum concordia cum eo ageret. Annuit Guilielmus, atque equo confestim conscenso Fratrem suum natu majorem adire paravit, spretis suorum consiliis, qui ad Ducem retrahendum ei suggerebant, Fratris sui verba dolis plena, atque ideo structas esse ipsi in via insidias. *Ast ego*, reposuit Dux, *libens moriar, si vos prius necatos videro, qui fraternas altercationes fovetis.* Ducis consilio optatus respondit

Sæcul. XV. A.C. 1451.

dit eventus; pax enim compoſita, amicitia utrinque redintegrata, atque ad exterminandos litium, ac diſcordiarum auctores fides mutuo data.

§. LVI.

Ladislaus electus Bohemiæ Rex a Cæſare detentus.

Ann. 1451.

Supra memoravimus, quod Bohemi Ladislaum puerum antea Hungariæ Regem in ſuum quoque Principem elegerint; hinc jam Fridericum Cæſarem inſtanter urgebant, ut ipſorum Regem jam duodennem dimitteret, quo ſuis libere dominari poſſet. Aſt Cæſar ſive Ladislaum ob ætatis imbecillitatem ſceptri regendi impotem crederet, ſive demum tenerum hunc Principem Bohemæ nationis levitati, ac inconſtantiæ committere diffideret, ſæpe petitum, ſemperque denegatum apud ſe detinuit. Hac repulſa Bohemi, quibus inſuper haud ignotum erat, Cæſarem decreviſſe, Ladislaum ſecum in Italiam ducere, quo coronæ Imperialis ſumendæ cauſſa ſeſe conferre parabat, adeo ad iram concitati fuere, ut generalem Regni conventum indicerent, quo alium ſibi Regem eligere meditabantur. Fridericus his motus Legatos ad illos decrevit, Æneam Sylvium Senenſem Epiſcopum, & Procopium Rabenſteinium Equitem

Æn. Sylv. hiſt. Boh. c. 58 & epiſt. 130.

quitem Bohemum. Ænea latine perorante, tam solidis argumentis Imperatoris juvenem Ladislaum penes se detinentis consilium vindicavit, ut Bohemi de æquitate facti persuasi, non solum Cæsaris voluntati cesserint, sed etiam ex sua nobilitate primarios adolescentes Bohemos dare decreverint, qui Fridericum in Italiam euntem comitarentur, & juvenem Regem cultu debito prosequerentur. Sæcul. XV. A.C.1451.

§. LVII.

Descriptio Taboritarum ab Ænea Sylvio facta.

Confecerat Æneas Sylvius itineris sui ad Bohemos relationem, quam Carvajallo Cardinali ibidem Legato transmisit. Enarrat ibi, quid sibi suoque socio ad præfatum conventum euntibus in via apud Taboritas contigerit, quod sane ad dignoscendos hæreticorum mores, ac Bohemorum indolem ipsis perutile erat. Scribit itaque Cardinali: cum ego, meusque socius raptores, atque insidias in itinere aliquando timeremus, ad vicinos Taboritas potius, quam apud ceteros, equidem magis astutos, minus tamen crudeles pernoctare maluimus. Accepere hæc Taboritæ lætis animis, fidemque dederunt, nullum omnino damnum se nobis illaturos. Res, inquit, Æneas spectа- *Æn. Sylv. epist. 130.*

Sæcul. XV. A.C. 1451.

spectaculo digna fuit, rusticum hoc ac incompositum vulgus urbanitatem affectare; ingressus quoque noster in urbem relatu dignus est. Nam quamvis frigus esset, & pluviale tempus, nihilominus ex illis aliqui nudi incedebant solis tecti indusiis, alii numero tamen pauciſſimi pelliceas tunicas induerunt, alii equo vehebantur, sed sine ephippio, alii absque fræno, huic oculus erutus, illi manus abscissæ. Incedendi promiscuus, imo nullus ordo, loquendi nulla modestia, & rustico ac barbaro ritu invicem verba miscebant. Obtulerunt tamen quadam urbanitatis specie xenia, pisces, vinum, atque cerevisiam.

Demum subjungit Æneas, quæcunque deteguntur inter Christianos impietatis, ac blasphemiarum monstra, huc confugiunt, asylumque habent; ubi tot sunt hæreses, quot capita, & est libertas credendi, quæcunque velis. In exteriori civitatis porta duo fuerunt scuta, in altero eorum visebatur pictura Angeli calicem tenentis, quasi communionem sub utraque specie suaderet populo, in altero scuto Zischa pictus erat, cujus effigiem Taboritæ numinis loco habere videntur, quamvis ceteroquin omnes imagines abominentur. Postea Æneas & res Zischæ, & Taboritarum hæreses, necnon urbium suarum situm atque munitiones

tiones describere pergit, carpitque Sigismundum, quod eos, quos exterminare debuerat, non solum liberos fecisset, verum etiam bona Nobilium & Monasteriorum perpetuo jure eis possidenda reliquisset (*), tandem, prosequitur Æneas, cum gens ista, non tantum Calicis dogmate a Catholicis discerneretur, sed etiam vere hæretici, & in omnibus Wiclefistarum veneno infecti essent, protinus inde discedere consultum duximus, nec ullus nostrum sacris operatus est, etsi dies Dominicus esset, ne Taboritæ gloriari possent, Catholici Imperatoris Legatos cum iis communicasse in divinis. Sæcul. XV. A.C. 1451.

§. LVIII.

Æneæ Sylvii colloquium cum Podiebracio.

Æneas eodem itinere colloquium miscuit cum Podiebracio, Procopio ejusdem verba patria lingua interpretante. Frequens, longusque inter eos habitus est sermo de communione sub utraque specie, & de conventis cum Episcopo Constantiensi; Agebant etiam de Bullis ad Archiepiscopatum Pragensem pro Rochisana, deque aliis ad Religionem &

(*) *Quam fatali necessitate ad id coactus fuisset Sigismundus, jam alibi annotavimus.*

Sæcul. XV. A.C. 1451.

& discrimina inter Catholicos, ac Hussitas spectantibus. Visum est Æneæ, Podiebracium viam concordiæ & unitatis Ecclesiæ Romanæ minime aspernari; verum studiose quamdam simulatæ Religionis speciem induit ambitiosus ille Regni Moderator, ut eo securius coronam Bomiæ occupare valeret, quam in pace sese tueri haud posse optime noverat, nisi ad Ecclesiæ sinum rediret. Eodem quoque fictæ religionis zelo postmodum totam Taboritarum sectam exterminavit.

Sæpe Æneas etiam collocutus fuerat cum Doctoribus Taboritarum de auctoritate, & infallibilitate Ecclesiæ; parum tamen profecit apud eos, ut potius omnem spem populi hujus non barbari minus, quam rudis Ecclesiæ reconciliandi abjecerit. Narrat Cochlæus, quod eodem tempore immaniter sæviente ibidem pestilentia, cum Catholici morbo correpti venerabile Sacramentum Corporis Christi sibi ministrari efflagitarent, per Sacerdotes Hussitas compulsi fuerint ad communionem sub utraque specie, reluctantibus vero sepultura Ecclesiastica fuerit denegata.

Cochl. hist. Hussit. l. 10.

§. LIX.

Joannes Capristanus in Germaniam a Papa prædicatum missus.

Sub idem tempus missus est in Germaniam

niam a Nicolao Papa Joannes de Capistrano FF. Minorum Religiosus, hæreticorum conversioni operam navaturus. Erat olim S. Bernardini Senensis discipulus, & Magistri sui vestigiis insistens totum se Dei Verbo prædicando dedit. Auctor itidem ferme præcipuus extiterat belli Sacri adversus Fratricellos instituti, qui suos errores per totam Campaniam Romanam, & Marchiam Anconitanam spargebant, ex quibus triginta sex ad rogum fuere damnati. Excipiebatur etiam in Germania summo cum applausu, festivisque acclamationibus ut Sedis Apostolicæ Nuncius; & Casimirus Poloniæ Rex summis precibus Virum ad se pro reducendis Lithuanis a Græcorum schismate, quo implicabantur, accersebat. Zelo Missionis inflammatus, ipsam quoque peragravit Moraviam, ubi magnam Hussitarum copiam ad orthodoxam fidem reduxit. Ast Rochisana, qui, Apostolicis licet destitutus literis, Pragensem Archiepiscopum agebat, varias eum criminandi occasiones aucupatus est; verebatur enim, ne sectarii sui omnes per Capistranum ad sinum Ecclesiæ revocarentur, eoquod jamjam quatuor millia & amplius ad veram fidem rediissent.

Sæcul. XV. A.C. 1451.

Æn. Sylv. epist. 405.

Michov. l. 4. 6. 59.

Sæcul. XV.
A. C. 1451.

§. LX.

Capiſtranus ad diſputandum de fide a Rochiſana datis literis invitatus.

Præprimis Rochiſana per literas Capiſtranum ad collationem de communione ſub utraque ſpecie habendam provocavit. Equidem Vir ſanctus id ſe percupere reſpondit, Podiebracius tamen diſputationem interdixit, necnon Capiſtrano ſecuritatis literas denegavit. Ille autem palam conqueſtus, ad Podiebracium, Nobilesque literas Apoſtolico fervore plenas exaravit. Nihilominus Rochiſana ejusque Fautores triumphantes abſenti inſultabant, & calumnioſe ubique divulgabant, Capiſtranum ſuis viribus ac cauſſæ diffiſum, diſputationis diſcrimen declinaſſe, quibus ipſe tractatu adverſus Rochiſanam compoſito reſpondit, honorem ſuum vindicaturus. Hæc tamen lucubratio, in impreſſis Capiſtrani operibus deſideratur. Recenſet in ea (uti olim ad Corinthios Apoſtolus) ſua geſta, fructus, atque labores, quos pro Evangelii propagatione exantlaverat, quoniam vero acriori longe ſtylo quam Apoſtolus uſus eſſet, nil aliud ſuis ſcriptis lucratus eſt, quam ut Rochiſanam magis inflammaret,

maret, & etiam Religio nullum fructum caperet. Secul. XV. A.C. 1451.

§. LXI.

Croja Albaniæ Metropolis ab Amurate obsessa.

EA tempestate cum Scanderbegus recuperatis Patris sui ditionibus persæpe Turcas profligasset, & Amuratem, ut obsidionem Crojæ, quæ Albaniæ Metropolis est, solveret, compulisset, is frustratæ expeditionis tædio victus, ad Zechitas Turcarum Monachos in Asia minore sese recipere decrevit, reliquos vitæ suæ dies in pace transacturus. Verum iræ suæ, ac vindictæ cupidini imperare nescius, atque insuper a Janisaris suis stimulatus, imperii gubernacula resumpsit, siniſtro tamen eventu; quamvis enim omnes suas vires collegisset, cunctasque artes exhausisset, ut Scanderbegum opprimeret, nihilominus semper ab eo profligatus est. Tandem ira magis ac unquam alias efferatus, junctis omnibus viribus Crojensem urbem altera jam vice cingere statuit. Verum nec secunda hæc obsidio melius quam prima cessit.

Chalcon. l. 9. ante fin. Phranz. l. 22. in fin. Barlet. in Scand. vita.

§. LXII.

Turcarum Imperatoris obitus.

RUbore itaque suffusus, priusquam in publicum procederet, ad tentoria sua

Sæcul. XV. A.C. 1451.

omnes exercitus sui Duces convocat, & eos quasi unicos tantæ infelicitatis auctores arguens graviſſimas in illos querelas profert. Verum tam prolixe, tamque vehementer in eos invehebatur, ut febri exinde correptus animam exhalaret. Obiit feria quarta die undecima Februarii Anno ſalutis ſupra milleſimum quadringenteſimo quinquageſimo primo, die prima anni Hegiræ octingenteſimi quinquageſimi quinti. Annum ætatis agebat juxta nonnullos ſeptuageſimum quintum, ſecundum alios vero, octogeſimum quintum, poſtquam regnaſſet annos triginta & unum. Amuratis obitum aliter deſcribit Phranzes, referens, eum Adrianopoli extinctum fuiſſe ex apoplexia, cum nimia vini copia in convivio ſe ſe ingurgitaſſet. Ceterum totum ferme vitæ ſuæ tempus bellis in Chriſtianos motis inſumpſit, vix unquam tamen victor, niſi ex propria Chriſtianorum vel ignavia, vel perfidia, quamvis illum Græci ceteroquin juſti, æquique eximium cultorem deprædicent; in ejus quoque laudem dictum ſit, illum præter uſitatum infidelium morem pactis ſecum initis ſincera, atque integra fide ſtetiſſe.

Leunclav. de rebus Turcic. l. 14.

Phranz. l. 3. c. 2.

Sagredo hiſt. Imp. Ottoman. in Amur.

§. LXIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1451.

§. LXIII.

Mahometes II. filius ejus Succeſſor.

Amurati ex omnibus, quos pluribus ex uxoribus ſuſceperat, filiis unus ſuperſtes fuit Mahometes II. eo tempore in Aſia degens, annos natus viginti & unum, qui proin Patri ſuo ſuffectus eſt. Primam lucem aſpexit die vigeſima quarta Martii anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo. Volunt nonnulli eum natum ex Milizza Deſpotis Serviæ filia, quam, etſi Religione Chriſtianam, Amurates immodico amore deperibat. Nominabatur Mahometes Europæ terror; plusquam enim vatiniano in Chriſtianos fervebat odio, omnesque infideles ad hanc usque diem Regio diademate inſignitos continua felicitate longe antecellebat. Ipſius naturæ beneficio nactus erat corpus virium robore præſtantiſſimum, atque ad omnes belli labores conſtanter perferendos natum, quod & toto vitæ ſuæ curſu continuis præliis exercuit. Princeps erat indole ſumme fervidus, ac naturæ vitio vehemens, & ferox, judicio tamen acer, ſubtilis, aſtutus, vafer, & ſimulare doctus, vaſtoque ingenio præditus, cetera temerarius, & ad quævis audenda promptus, necnon inſatiabili gloriæ cupiditate ardens.

Sagredo in Mahom. II.

Sæcul. XV. A.C. 1451.

dens. Non tamen soli, quantumcunque eximiæ animi fortitudini tot victoriarum gloriam debebat, sed vel maxime sua etiam prudentia ac temporum, rerumque experientia ad tam felices successus concurrebant, quorum adminiculo duo evertit imperia, duodecim occupavit Regna, & ducentas urbes & amplius Christianis eripuit.

§. LXIV.

Vitia & virtutes Mahometis.

Tanta præstabat scientia, qua major in Muselmano, qui sibi omne literarum genus interdictum arbitratur, jure expectari haud poterat. Præter patriam alias quinque callebat linguas, nempe Græcam, Latinam, Arabicam, Chaldaicam, & Persicam. Haud modice tinctus erat in Mathematicis, astronomicisque scientiis, plus ceteris tamen eminebat in disciplina militari, quam non solum studio, sed & experientia sibi comparaverat. Assidua lectione veterum Heroum, ac illustrium virorum gesta perdidicit, quorum ope ad superandam eorum gloriam accendebatur. Verum tot, tamque præclaræ ingenii dotes haud meliorem, magisque probum reddere poterant; insanus enim erat felicitatis suæ cultor, nec præter fortunam aliam agnoscebat divini-

divinitatem; huic se suaque omnia litare singulis momentis paratissimus. Omnes Religiones despicatui habebat, atque inter eas præcipue Christianam, quam veluti superstitiosam traducebat, Mahometem quoque, ubi cum suis familiariter conversabatur, nonnisi sicariorum caput nominabat. Illos, qui alia Providentia, quam quæ unicuique innata est, mundum regi credebant, cachinnis excipiebat, ac pro unica suarum actionum meta statuebat propriæ suæ utilitatis rationem, honoris sui magnitudinem, ac sensuum voluptatem; de cetero nec fidem, nec promissum, nec juramentum, nec pacta unquam plus servare sollicitus, quam consequendis suis studiis id opportunum ac utile sibi videbatur. Voluntas ejus non minori vitiorum lue quam intellectus infecta erat; omnium enim, quæ magnanime gessit, gloriam obfuscabat libido, ac teterrima flagitiorum sentina. Stephanum Bosniæ Ducem, & Mitylenis Principem trucidari jussit, violata fide, quam dederat Davidi Comneno, ejusque liberis, quos omnes extremo rigore divexavit: imo eo aliquando crudelitatis prolapsus est, ut quatuordecim Ephebis suis ventrem discindi juberet, scrutaturus, quisnam eorum peponem ex horto suo, quem ipsus excoluerat, furto sublatum comedisset; cujusdam quoque

Sæcul. XV. A C. 1451.

Sæcul. XV. A. C. 1451.

fœminæ caput propria manu amputavit, eoquod nonnulli ipsum nimii erga eum amoris redarguissent. Talis tantusque fuit Mahometes II, quem Turcæ cognomento *Bajuc* id est *magnum* honorare non dubitant, eo nomine haud aliter dignum, quam quia magnus est inventus in superbia, ambitione, avaritia, latrociniis, perfidia, crudelitate, omnique solutissimæ vitæ licentia, præcipue vero in Religionis contemptu.

§. LXV.

Cusanus Cardinalis Legatus in Germaniam a Papa decretus.

Æn. Sylv. de Europ. c. 3. in fin.

Trith. in Chron. Spanh.

Nicolaus Papa, comperta Amuratis morte, mala Christianæ Religioni sub ejus successore impendentia præsagiebat; unde periculum potissimis Christianorum regnis, & præcipue Constantinopolitano imminens imperio, quod Mahometes omni, quo posset modo, subjugare decreverat, Pontificem movebat, ut Principes ad ferendum Græcis subsidium hortari, & populi Christiani zelum in idipsum stimulare non cessaret. Quem in finem Cusanum Cardinalem in Germaniam Legatum decrevit, qui & monasticam disciplinam in cœnobiis restitueret, pacem inter diffidentes Principes conciliaret, necnon Indulgentias Jubilæi publicaret,

blicaret, hortareturque fideles, ut pecuniarum ſubſidiis illos, quibus Turcæ extrema minitabantur, juvarent. Nec ejus monita ſine fructu erant; vix enim indulgentiæ promulgabantur, cum illico ingens auri argentique ſumma colligeretur; verum ſparſo rumore, quod Papa congeſtas pecunias nequaquam in belli ſumptus adverſus Turcas reſervare, ſed ad inferendum Alphonſo Neapolis Regi, ac Mediolanenſibus bellum convertere intenderet, multum remiſit fidelium liberalitas. (*)

Sæcul. XV. A. C. 1451.

§. LXVI.

Hanc calumniam primus Nicolao Papæ impegit Meyerus Auctor in ſummos Pontifices ac Principes injurioſiſſimus. Eundem Spondanus in Annalibus continuatis Baronii ad hunc annum num. VIII. refutavit; haud ſatis igitur mirari poſſumus, quod continuator noſter, cum ceteroquin nimium fideli calamo Spondanum deſcripſerit, hanc calumniam ſuæ hiſtoriæ inſerere non ſolum non erubuerit, ſed nullo allegato authore, nullave adjecta caſtigatoria nota, inſuper hoc rumore fidelium charitatem remiſiſſe, de ſuo addere voluerit.

Sæcul. XV. A. C. 1451.

§. LXVI.

Polonis quoque ac Lithuanis jubilæi indulgentiæ a Papa conceſſæ.

Michov. l. 4. c. 55. Crom. l. 22.

Cardinalis Sbigneus Cracovienſis Epiſcopus, ut Poloni quoque ad ſubſidia adverſus Turcas ferenda allicerentur, Polonis, atque Lithuanis Jubilæum concedi, ſubditosque, ne pro lucrandis indulgentiis Romam peregrinari gravarentur, eximi rogavit, ea tamen lege, ut quisque dimidium ejus, quod in itinere Romam impenſurus eſſe videretur, quæſtoribus elargiretur, ex ea vero pecunia ſic collecta dimidium Regi in expenſas belli contra Turcas gerendi cederet, de reliquo dimidio quartam partem Sophia Regina in dotem egentium puellarum acciperet, altera tandem Pontifici pro reparandis Urbis Romanæ Eccleſiis mitteretur: ſed cum facto cenſu hæc ſumma nimium gravis crederetur, non media ſed quarta duntaxat pars ad fabricas deſtinata fuit, quæ tamen ad ingentem adhuc pecuniarum vim excreverat.

§. LXVII.

Græci ad abjurandum ſchiſma a Papa admoniti.

Cum interim omnia ad bellum, quod Principibus Chriſtianis ab infidelibus impen-

impendebat, sustinendum disposita essent, Papa datis literis Græcos etiam hortabatur, ut suæ salutis memores suppetiis, quas benignum Numen eis offerre paratum esset, sese haud indignos redderent. Instabat quam vehementissime, ut ad pœnitentiam conversi, Florentinæ Synodi Decreta reciperent; literas quoque dedit ad ipsum Constantinum Constantinopolis Imperatorem eo tempore de sinceritate animi sui haud temere suspectum. In his Papa Spiritu vere prophetico enuntiavit, a Græcis, qui unionem cum Ecclesia indies procrastinarent, diu nimis Dei hominumque patientiam fatigatum iri, sed *ad tertium adhuc annum*, juxta Evangelicam parabolam, sterilem illam ac frustraneo labore cultam ficum relinquendam, ut tandem afferret fructum, quo deficiente, nimirum si intra hoc temporis intervallum, quod Deus illis adhucdum concedere videtur, unionis Decretum recipere recusarent, haud dubie arborem usque ad radicem excindendam fore, totamque Græcorum Nationem ab illis, quos divina Justitia sententiæ suæ contra ipsos latæ Ministros atque executores decrevit, penitus evertendam. Enimvero scripsit hanc Epistolam Nicolaus Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, & tertio post ipsius vaticinium anno Urbs Constantinopolitana a Turcis

Sæcul. XV. A.C. 1451.

Gennad. in defens. V. cap lib. 5. cap. 14.

Sæcul. XV. A C. 1451.

a Turcis vi capta, & extrema, qua Græci unionem Ecclesiæ respuebant, obstinatio castigata est.

§. LXVIII.

Tractatus pacis cum Græcis a Mahomete innovatus.

Phranz. l. 3. c. 2.

Neo-electus Sultanus, quamvis nihil solemnius haberet, quam ut Constantinopolim suo imperio subjiceret, nihilominus throno vix conscenso pro usitata sua simulandi ratione cum Imperatore Græcorum initi fœderis pacta renovavit, licet Cæsarem nonnisi ludificare, atque a militari apparatu avocare intenderet, haud longiori tempore pacem servare cogitans, quam suas ipse copias ad bellum plene instruxisset. Sultanus equidem cœlum & terram in testes vocabat, se inviolabili fide pacem servaturum, nec unquam toto vitæ suæ cursu quicquam contra Græcorum imperium attentaturum, nihilominus Constantinus Imperator Mahometanam perfidiam sæpius jam expertus, specioso huic verborum lenocinio haud fidendum arbitrabatur; unde ad Papam Legatos decrevit, qui opem implorarent in extremo hoc periculo, cui eluctando eo magis impar erat, quo proximius adeo formidandi hostis violentia suæ cervici imminebat. Excusabat suam, qua hacte-

hactenus Græcos ad recipienda Florentinæ Synodi decreta compellere neglexerat, tarditatem, sub prima imperii sui auspicia turbatum nimis regni statum caussatus, pollicitus tamen, se rupta omni mora illud negotium promoturum, eoque consilio Gregorium Patriarcham revocaturum. Is quippe, cum vir esset sanctitate celebris, cognita Græcorum pertinacia Romam relicta Constantinopoli petierat, ubi etiam paulo post in pace quievit. Sæcul. XV. A.C.1451.

§. LXIX.

Græci datis literis Bohemos ad suas partes trahere intenti.

Verum non eadem omnibus Græcis insederat unionis sententia; nam eodem adhuc anno eorum nonnulli nomine Ecclesiæ Constantinopolitanæ epistolam scripsere ad Bohemos Hussitas, qua eos summis laudibus efferebant, eoquod non attenderent ullis Romanorum novitatibus, sed firmi in soliditate fidei persisterent, simulque hortati sunt eos, ut in illa perdurarent, & secum uniri vellent, non quidem (inquiebant illi) secundum simulatam Florentinæ Synodi unionem, a recto tramite aberrantem, sed secundum immutabile decretum a Patribus antiquis traditum, quod ipsi Græci servarent.

Sæcul. XV. A. C. 1451.

rent. Hæc illorum Epistola, Græce, & latine scripta, exstat in collectione Auctorum Rerum Bohemicarum, quæ in Bibliotheca Collegii Pragensis habetur.

§. LXX.

Isidorus Cardinalis Legatus Constantinopolim missus.

Interea tamen Legati, quos Constantinus Romam decreverat, instanter Papam rogarunt, ut Virum scientia, ac probitate clarum mitteret, qui junctis cum Imperatore viribus schismaticorum conversioni incumberet. Nicolaus horum precibus motus Isidorum Cardinalem Græcum, Kioviæ in Russia Archiepiscopum ab Eugenio IV. in Florentina Synodo Cardinalium Collegio adscriptum, Constantinopolin decernit. Hic itaque Roma proficiscitur, & prima Legationis suæ auspicia optatum fortitura effectum videbantur, Græcis sive demum vere, sive ficte unionis Decretum acceptantibus. Imperator quoque Cardinalem summo quo potuit, honore excepit, ac die duodecima Decembris unacum Aulicorum suorum nonnullis, ac paucis quibusdam Ecclesiasticis unionis Decreto assensit. Verum siniſter hujus acceptationis eventus nonnisi novum pristinæ Græcorum

Æn. Sylv. de Europ. c. 3.

in

in suo schismate obstinationis suppeditavit argumentum. Sæcul. XV. A C. 1451.

§. LXXI.

Laurentius Justinianus Patriarcha Aquilejensis a Papa creatus.

Nicolaus V. cum olim ad S. Georgii in Alga, Insula altero a Venetorum urbe lapide versus occasum dissita, Canonicus regularis esset, ibi familiarem sibi habuit Laurentium Justinianum, qui ex Illustrissima Justinianorum familia Venetiis natus, eandem instituti rationem profitebatur. Eugenius Viri meritis jam antea permotus, reluctantem licet, Venetiarum Episcopum renuntiabat, doctrina ac pietate magis, quam ipso hoc dignitatis fastigio conspicuum. Tanta autem veneratione ac honore præclari hujus Viri merita prosecutus est Nicolaus, ut sollicite eundem ad altiorem dignitatis gradum elevare quæreret, quo amplioribus magisque diffusis virtutis suæ radiis illustraret Ecclesiam. Opportunam ad hoc sibi offerri occasionem credebat Pontifex ex obitu Dominici Michaelis Patriarchæ Gradensis; cui Aquilejensis quoque Patriarchatus per Bullam octavo die Octobris datam annexus erat. Nicolaus igitur solo suffragio meritorum, quibus Laurentius Episcopus emine- *Baillet. Vit. Sanct. V. Sept.*

Sæcul. XV. A. C. 1451

minebat, Patriarchatum a Grado, maritima Adriatici sinus Urbe hoc anno transtulit Venetias (*). Renuntiatur itaque Justinianus primus hujus Ecclesiæ Patriarcha, nec tamen novæ hujus dignitatis amplitudo, ad quam non minus, quam olim ad Episcopatum invitus evehebatur, pauperem suam vivendi rationem nullatenus immutare valuit, ut potius inde Episcopalem sollicitudinem suam magis exereret, ac clarioribus virtutum exemplis suo præluceret gregi, qui alias Pastorem suum adeo humilem, & ab omnibus sensuum illecebris alienum suspiciebat.

§. LXXII.

(*) *Pagius in Brev. Hist ad ann.* 1449. *Continuatorem hic deceptum fuisse notat, S. Justinianum non hoc anno, sed* 1449. *Patriarchatum obtinuisse probans; constat enim S. Laurentium, cum quinquagesimum primum ætatis suæ annum ageret, ab Eugenio anno* 1431. *Episcopum Venetiarum creatum fuisse, anno autem Episcopatus sui decimo octavo, id est, salutis* 1449. *ætatis vero suæ* 69. *ad Patriarchatum evectum esse, quem per quinquennium duntaxat gerens obiit ætatis suæ anno* 74. *proin manifeste sequitur S. Laurentium, Patriarchatum non hoc anno, sed* 1449, *duodevigesimo Episcopatus sui obtinuisse.*

Secul. XV. A.C. 1451.

§. LXXII.

Papa pacem Gallos inter & Anglos conciliare conatus.

Nicolaus Papa, ut pacem Franciam inter & Angliam toto ſtudio procuraret, Cardinalem de Eſtutevilla in Gallias, Ravennatem vero Archiepiſcopum ex Urſinorum Familia ortum in Angliam Legatos deſtinavit. Reponebat Carolus VII. Cardinali, ſe ad pacis conſilia paratiſſimum eſſe, ſimulque intimo dolore proſequi mala, quibus affligeretur Eccleſia, proin de concordia cum Anglis libenti animo ſeſe acturum, ut finito bello arma ſua in Chriſtiani nominis hoſtes convertere poſſet. Attamen non eadem pacis ſtudia Henricus Angliæ Rex fovebat: Legatus equidem Regi ob oculos ponebat tum ſuorum clades in Normannia, tum civiles tumultus in proprio Regno, ſed incaſſum; Henricus quippe arroganter reſpondebat, ſe non prius de pacis negotio cum Galliarum Rege acturum, antequam omnia, quæ ab illo ſibi ultimo biennio fuiſſent erepta, recepiſſet: hac vero conditione non adimpleta fruſtra ad componendam pacem conciliatorem adhiberi. Inde de novo in Aquitannia reſtauratum eſt bellum.

Monſtrelet. 3 vol. Gaguin. l. 10 Bellefort. 3. c. 111.

§. LXXIII.

Sæcul. XV. A.C. 1451.

§. LXXIII.

Exordia belli in Aquitannia.

Joa. Chart. hist. Carol. VII. p. 222. & seq.

Montguyon

Bellicis in Aquitannia expeditionibus initium fecit Dunensis Comes, qui jussu Regis, tunc Turonii agentis Montguyonensi urbi obsidionem inferebat. Huic sese quoque jungebant Engolismensis Comes Aureliæ Ducis frater, Joannes Burellius in Francia Thesauri Præfectus, & Petrus Lovanienfis unacum quadringentis Lanceariis, liberisque (*) Sagittariis, quorum numerus facile tria millia superabat. Urbs ista, quam Raynaldus a Sancto Joanne natione Vasco pro Anglis propugnaverat, octavum duntaxat diem Gallorum impetus sustinuit, sexta etenim Maji die ad deditionem coacta fuit. Octavo post die idem Dunensis Comes Blaviam cinxit, Joanne Bourserio interea classe sua ad maris oram eandem circumsidente. Submittebant quidem Burdegalenses urbi laboranti quinque majores triremes, quæ tamen profligatæ, atque in fugam actæ fuerant. Urbs igitur terra marique acerrime pressa, murisque sat ampla ad irrumpendum ruina incussa fuit, unde Galli nova aggressione tentata, urbem vi ceperunt.

§. LXXIV.

(*) *Ita dicti, quia a tributis omnibus immunes erant.*

§. LXXIV.

Sæcul. XV. A.C.1451.

Montguyonum & Blavia expugnata.

Capta urbe Angli, ducentis ſuorum & amplius deſideratis præcipiti fuga ſeſe ad arcem receperunt; cum vero ibi annonæ penuria premerentur, nec terra nec mari ullus evadendi locus ſupereſſet, ſe dedere ſtatuerunt. Dabatur quidem Anglis vitæ venia, præſidiarii vero unaomnes capti, ſimulque omnia, quæ in urbe habebant, victoribus relinquere coacti erant. Firmabantur utrinque deditionis pacta die vigeſima quarta Maji. Ceterum Monferrandius potentiſſimus ejusdem nominis ditionis Dominus, qui & ipſe inter captivos numerabatur, ſua pacta privatim conſcripſit, cui & optio data, vi cujus aut libertatem ſuam decem millium aureorum pretio redimeret, aut ſi mallet, quinque quas poſſederat, urbes præſtito fidei ſacramento Regi cederet. Præplacuit Monferrandio clientelare obſequium Regi præſtare. Hic vero pro innata magnanimitate ſua eidem ex quinque illis urbibus tres reſtituit, ceterarum autem reditibus fruendi copiam conceſſit, imo & has ipſas quamprimum Burdegala in poteſtatem Regis redacta eſſet, eidem omnino reddendas pollicitus eſt.

Secul. XV. A.C. 1451.

§. LXXV.

Burgum, Liburnum, Acquæ, Fronſacum, & cetera oppida Regi ſubjecta.

His urbibus proſpero Marte ſubactis, Gallorum copiæ ad Duranii fluminis oſtia proceſſerunt, Burgum expugnaturæ, quod etiam quinto vel ſexto die, nempe vigeſima nona Maji, armis captum eſt, illiusque præfectura Jacobo Chabannio domus Regiæ Præfecto commiſſa. Poſtea Liburnum, ne inchoata quidem obſidione, occupatum fuit. Rigodonum quoque Armeniaco Comiti, & Caſtellonium Penthiverio Comiti illico dedita. Tum exercitus ad Acquas Auguſtas ductus hanc Urbem, necnon & Fronſacum toto obſidionis apparatu cingebat. Burdegalenſes, captis ſemel ambabus urbibus, nulloque oppido, quo ſe tuerentur, interjecto, cum ſibi ſolis totam belli molem impendere cernerent, ad Dunenſem Comitem Oratores ablegarunt, virumque, qui deditionis pacta inſtrueret, ſibi transmitti efflagitarunt. Id negotii Santrellio demandatum, qui rem ad optatum perduxit exitum. Igitur Burdegalenſibus data eſt quosdam ad Regem Angliæ ablegandi poteſtas, qui ſibi ſuppetias mitti poſtularent, alioquin Gallis

Gallis se dedituros nunciarent. Hunc in finem illis concedebantur liberi commeatus tabulæ, ea tamen lege, ut nisi intra diem vigesimum tertium Junii Angli Fronsacum obsidione liberaturi se sisterent eo numero, qui par esset Francis repellendis, Burdegalam, ceteraque oppida huc pertinentia dederent, Regique, vel eo absente, belli Præfectis fidem suam sacramento obstringerent. Vicissim Galli spondebant, hac conditione expleta cunctas Burdegalensium civium immunitates illibatas omnino mansuras; nec ipsos ullis tributis, vectigalibus, aut subsidiis obnoxios fore: supremum tamen justitiæ tribunal, necnon rei nummariæ curiam in urbe collocatum iri. Sæcul. XV. A.C.1451.

§. LXXVI.

Galli Burdegala potiti.

Angli, cum expedita subsidia sperare haud possent, deditionis pacta expleverunt, solis Bajonnensibus accedere renuentibus, quos vana spes lactabat, Anglorum Regem urbi suæ tempestive suppetias missurum. Interim vero Gallici exercitus Duces ingenti pompa die vigesima nona Junii in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli Burdegalam ingressi sunt.

Sæcul. XV. A.C. 1451.

§. LXXVII.

Pacta privata cum Buchii Dynasta inita.

Joan. Chart. Hist. Car. VII. anno 1451.

Privatæ quoque pacis conditiones cum Gastone de Fuxo Bucchii promontorii Dynasta initæ fuere. Datum id Viri nobilitati, cui aliunde, utpote Periscelidis Ordinis Equiti, integrum erat Angliam repetere: prout non solum plena redeundi data est ei facultas, sed etiam concessum, ut secum, si vellet, vehere posset omnia sua bona, suppellectilem, aurum, argentum, vasa, ceteraque omnia, traditis insuper publicæ securitatis literis. Neque hic generosus Regis animus stetit; sed inter eos convenit, ut Candaliæ Dominus Gastonis Filius nonnisi tres annos natus, omnes terras, toparchias, arces, & castra, quæ Pater suus in Aquitannia possederat, jure Dominii servaret, & immobilia bona a Filio ad suos posteros transirent, Fuxensi Comiti Patruo ejus usque ad legitimam Candaliæ Domini ætatem, horum bonorum administratione relicta; Hic tamen prius clientelare obsequium Regi usitata forma præstare tenebatur, Vasalli vero ejusdem Domini in verba Regiorum Ministrorum jubebantur jurare, se semper Gallis fide, & obsequio addictos fore: cum autem juvenis

Gasto

Gasto præpediente ætatis vitio deliberandi copiam non haberet, amplum ei a Rege datum est temporis spatium, quo judicii maturitatem assecutus, decerneret, an Gallorum partibus adhærere vellet. Hæ conditiones die tertia decima Junii, quæ erat dominica, utrinque conclusæ, ac proprio chirographo munitæ fuerunt. Secul. XV. A.C 1451.

§. LXXVIII.

Rex Talleburgi.

Cum Urbs Bajonna pactis per Burdegalenses initis accedere, ac comprehendi pertinacius reluctaretur. Rex Turonia discedens, per Aquitanniam Talleburgum usque processit, ubi mediam exercitus partem a se dimisit, ut militiæ laboribus fractas restauraret vires, alteram vero ad hujus urbis obsidionem impendit, Dunensis autem, & Fuxensis Comites, quibus Bajonnam oppugnandi datum est negotium, die sexta Augusti militem admoverunt, simulque valla, in quibus locarentur tormenta, erigi jusserunt.

§. LXXIX.

Bajonna a Gallis capta.

Mox obsessi infestis armis in Gallos erumpunt, ac Bernardum de Bearnia in crure vulnerant. Altera die Galli auctis

Sæcul. XV. A.C. 1451.

ctis animis aggressionem instaurant, pluribus in locis tormenta constituunt, ac primum quidem suburbium occupant, cum vero propius mœnibus imminerent, obsessi urbem vi tandem expugnatum iri pertimescentes, die vigesima Mensis Augusti feria sexta deditionem flagitant, re insolita tam repentinum consilium suggerente; quippe eodem die, orto vix sole, & cœlo sereno ac nebulis vacuo, urbi in aere impendentem observabant candidi coloris crucem, omnium oculis dimidia horæ parte conspicuam. Bajonnenses Phœnomenon in Religionem vertentes, hac cruce sibi annuntiari credebant, Dei voluntatem esse, ut signis Anglorum, quæ rubram Crucem præferebant, eversis, Gallorum vexilla cruce alba insignita defigerent, hoc igitur portento seu vero seu imaginario perterriti Bajonnenses Gallis manus dederunt, Joanne Bellmontio urbis Præfecto, omnique præsidiario milite jure belli in captivitatem abstracto. Urbs quoque in pertinaciæ, qua deditionem primo oblatam respuit, pœnam ad quadraginta millium aureorum mulctam exsolvendam damnata est.

Jo. Chart. & Matth. Coucy Hist. Carol. VII.

§. LXXX.

Angli propriæ ruinæ caussa.

Ita Rex Galliæ spatio duorum mensium necdum

necdum emenſo duas Provincias, Normanniam, & Aquitanniam, imo univerſum Regnum, in ſuam redegit poteſtatem, Caleto & ſolo Guinæ Comitatu in Bononienſi agro Anglis relicto. Tam ſtupenda, tamque repentina fortunæ viciſſitudo Anglis adeo exitioſa ortum duxit, non ſolum ex propria eorum incuria, qua urbes & arces tam milite, quam munitionibus ſatis firmare neglexerant, ſed etiam ex nimium imperioſa ac ſuperba dominandi ratione, qua omnium nationum invidiam ſibi accerſiverant. Ex adverſo mira erat Gallorum concordia, invictum totius Nobilitatis omniumque belli Præfectorum vincendi ſtudium, exacta militum diſciplina, atque ad leges compoſitus ordo; Maximus præterea tormentorum, omnisque rei militaris apparatus, urbes foſſis, aggeribusque ſuis muniendi ſollicitudo, nova Anglis ignotas arces aggrediendi methodus. Præcipue vero Anglorum ruinam promovebant inteſtinæ in ipſorum Regno diſſenſiones; Cum enim illi Regimen Margarithæ Reginæ, quæ ex Galliis orta erat, pertæſi eſſent, Richardus Eboracenſis Dux fatali hac temporis viciſſitudine opportune uſus, medias inter turbas, ad regni ſolium planam ſibi ſternere viam meditabatur, potiori jure ſibi, quam Henrico, coronam deberi ratus, eoquod ipſe, quantum-

Sæcul. XV. A.C.1451.

Sæcul. XV. A.C 1451.

vis materno duntaxat genere a Lionnelo Clarentiæ Duce, secundo Eduardi III. Regis Filio descendissет, Richardus tamen nonnisi a tertio genito ejusdem Regis Filio Joanne Lancastriæ Duce Proavo suo paterno genus suum traheret. Hæc diversa de Regno contendentium studia successu temporis Angliam innumeris implicarunt malis.

§. LXXXI.

Propositiones juribus Parochorum adversæ damnatæ.

Hoc anno Facultas Parisiensis plures damnavit propositiones, quibus Joannes Bartholomæus Ordinis Fratrum Minorum in quodam sermone Rothomagi pronuntiato Parochorum jura lacessivit, præcipue circa confessiones excipiendas. Inter alias edixerat, Parochianos nec petita Parochorum licentia, sua peccata libere Religiosis Mendicantibus confiteri posse. Jubebat Archiepiscopi Promotor in illum inquiri: ast delata ad Parisiensem Academiam caussa, die quarta Decembris hujus anni ipsemet coram pleno Doctorum consessu comparere haud dubitavit. Cum autem ibidem pertinaciter negaret, Parochianos semel in anno ad deponendam Parochis suis confessionem obstrictos esse, in pervicaciæ suæ pœnam per

Dupin. Bibl. Auct. to. 12. p. 146.

Argentr. Collect judic. tom. 1. & p. 251.

per universitatis sententiam Licentiatus gradu dejectus est, summa quæstionis ad Theologicam æque, ac juridicam Facultatem devoluta. Quinto demum anno eadem hæc causſa recruduit, cui ansſam præbuit quædam Nicolai V. Constitutio in favorem Mendicantium edita. Sæcul. XV. A.C.1452.

§. LXXXII.

Fridericus Imperator Italiam petit, coronam Imperii recepturus.

Hoc anno prima Januarii Fridericus Cæsar in Italiam profectus, Romam petebat, ut Imperii coronam de manu Pontificis acciperet. Ducebat secum Ladislaum pupillum, Hungariæ, & Bohemiæ Regem, Albertum fratrem suum, spendidumque Nobilitatis comitatum, sed pacificum, & inermem, nequid terroris inferret Italis, quorum mentibus alte adhuc inhærebant Prædecessorum Imperatorum exempla Romanis oppido acerba. Nihilominus sola Cæsaris præsentia haud paucis terrori fuit; ipse quoque summus Pontifex, cum esset natura timidus, Friderici adventum suspectum habuit, ejusque occasione populi tumultum veritus, Capitolium, arcemque S. Angeli valido milite instrui, turresque, ac mœnia propugnaculis muniri jussit. Nec tamen adeo obstitit metus, quin Imperator An. 1452.

Naucler. generat. 49. p. 434 Platin. in vita Nicol. V.

Sæcul. XV. A.C. 1452.

rator ubique honorificentiſſime juxta ac lautiſſime exciperetur. Recenſeamus memorabile factum, quod ei, cum Venetiis moraretur, accidiſſe refert Dubravius, *Veneti*, inquit ille, *inde diſceſſuro Imperatori Abacum ex vitro elegantiſſimo concinnatum, exornatumque donaturi erant, illumque inter alias ex auro, gemmisque divitias ſepoſuerant: annuit Fridericus morioni ſuo, ut menſam reponendis vitris appoſitam commoveret, qua commota provolvuntur vitra, & confringuntur, arridente ad id Cæſare, atque dicente: nunquam aurea vel argentea vaſa ad tam levem caſum ita fuiſſent comminuta.* Quo dicto Venetis ſignificare voluit, ſibi fragile adeo donum minime probari, ſed dignioribus muneribus Cæſaream Majeſtatem honorandam.

Dubrav. l. 28

§. LXXXIII.

Imperator Venetiis Florentias, Piſas &c. profectus.

Cæſar Venetiis Ferrariam petiit, inde Bononiam, ubi a Beſſarione Cardinale ſummo honore exceptus, atque a Nicolao Perroto eleganti oratione in ejus laudem dicta ſalutatus eſt, quem Cæſar idcirco lauro coronavit. Ceterum Legatis Franciſci Sfortiæ, utpote cui jam a longo tempore infenſus erat, diſſimilem ſe exhibuit. His enim rogantibus, ut Medio-

Naucler. gener. 49. p. 474

Mediolanum ad ferream coronam de more suscipiendam peteret, repulsam dedit, prætexens, nolle se pestis ibidem grassantis periculum subire. Sæcul. XV. A.C. 1452.

§. LXXXIV.

Imperator Romam ingressus.

Florentia postmodum Senas profectus sponsam suam Eleonoram e Lusitania deductam excepit, quacum Romam pergens, duobus stipatus Cardinalibus, quos Florentiæ nomine summi Pontificis obvios habuit, die nona Martii juxta Platinam, juxta alios vero decima quarta aut decima septima ejusdem Mensis Urbem ingressus est, tredecim Cardinalibus, toto Clero, ac urbis Magistratibus obviam euntibus. Tandem vero ab illis sub umbraculo splendide ornato ad gradus Basilicæ S. Petri deductus est, ubi eum Pontifex in cathedra eburnea considens, & Pontificalibus indutus præstolabatur. Marescallo nudum ensem præferente, Cæsar summi Pontificis pedes osculatus, auri massam de more eidem obtulit, atque Æneas Sylvius, qui Cæsarem comitabatur, ejus nomine sermonem ad Pontificem habuit, quem insecutus Ladislaus puer osculo item Papæ pedibus infixo Orationem latinam, a suo tamen Moderatore compositam recitavit de laudibus *Addit. Ciacon. in Nicol. V.*

Sæcul. XV. A. C. 1452.

dibus Nicolai Papæ, cujus obsequio se, regnaque sua obtulit, ejusque præsidio commendavit. Juvenis hujus Regis orationem de verbo ad verbum Hussitarum Historiæ Cochlæus inseruit.

Æn. Sylv. comm. l. 1. Cochl. Hist. Hussit. l. 11.

§. LXXXV.

Fridericus a Papa coronatus.

Coronationis solemnia, (si Platinæ calculo fidimus) celebrata sunt die quinta decima Martii. Hæc antequam fierent, Fridericus Papam rogabat, ut præprimis de plenitudine potestatis, ac auctoritatis suæ ipsi coronam impertiretur Regni Longobardorum; præstitit id quidem Papa apud summum altare Basilicæ S. Petri, nihilominus, cum moris semper esset, hanc coronam accipere Mediolani, jura, & consuetudines Regni Longobardiæ & Archiepiscopi Mediolanensis confirmavit. Eodem tempore Eleonora Regina per Oratores Cæsareos jam antea Friderico desponsata, inter Missarum solemnia de novo publice eidem devincta fuit. His celebratis die decima nona Martii, quam fuisse proximam Dominicam probat Nicolai Papæ constitutio ea die signata, idem Fridericus Imperator homagium de more Pontifici præstitit, ac alba indutus in Canonicum sancti Petri receptus, unctus, & solemni

solemni ritu coronatus est in Imperatorem Romanorum, necnon insignitus pallio, ense, sceptro, pomo, & corona Caroli magni, quæ ex Norimbergensi civitate hunc in finem delata fuerant. Imperatrix quoque post Cæsarem ex manibus Pontificis suscepit coronam, quæ olim a Martino V. Sigismundi conjugi imposita fuerat. His peractis Fridericus Pontifici a Vaticana ad Sanctæ Mariæ Ecclesiam, quam Transpontinam vocant, equitanti stratoris officium exhibuit, indeque Papa ad Palatium redeunte, Imperator Albertum fratrem suum, pluresque Duces ac Comites ad Equestris ordinis honores promovit. Demum Nicolaus ad Lateranum se conferens, splendido ibidem convivio Imperatorem excepit. Sæcul. XV. A. C. 1452.

§. LXXXVI.

Imperator Neapolim petit Alphonsum invisurus.

Altera post coronationem die Imperator unacum Conjuge sua Neapolin petiit, Alphonsum Regem Imperatricis avunculum salutaturus, ubi etiam præter hebdomadam sanctam toto Paschate diversatus est. Rex Neapolitanus, ut honori sibi exhibito vices redderet, nullum erga Cæsarem liberalitatis officium prætermisit, eundemque magnificentia vere *Naucler. generation 49. p. 474 color. 2.*

Sæcul. XV. A C. 1452.

vere Regia excepit. Friderico dein Romam redeunte, Æneas Sylvius elegantissima oratione nomine Imperatoris summo Pontifici gratias egit. Alia quoque ad Cardinales habita gratitudinis pensum exsolvit ob maxima ab eis recepta beneficia. Tandem tertia omnes Principes ad sacrum bellum adversus Turcas hortatus est. Denique Imperator mense Aprili Roma discedens, Ferrariam contendit, ubi Borsium Marchionem Estensem, (erat is Nicolai Marchionis Estensis Filius naturalis) ob copiosa illius merita ac heroici animi virtutem Mutinæ ac Regii Ducem, & Rhodinii Comitem creavit, eique concessit, ut gentilitio suo scuto Imperialem Aquilam insereret. Dedit quoque Paulus II, a quo anno supra millesimum quadringentesimo septuagesimo Ferrariæ Dux nominatus est, ut insignibus suis claves S. Petri adderet. Hic idem Borsius, ne quid inde legitimis Patris sui Filiis decederet, nunquam matrimonium inire voluit, quocirca eo defuncto Hercules Estensis legitimo thoro ex Nicolao III. Duce, & Richardæ Salutiarum Marchionis Filia parentibus Anno 1433. susceptus, in hæreditatem paternam successit.

Naucler. pag. 475.

§. LXXXVII.

Sæcul. XV.
A.C.1452.

§. LXXXVII.

Fridericus ex Italia in Germaniam redux.

Fridericus Ferrariæ adhucdum moratus, Galeatium Franciſci Sfortiæ Mediolanenſis Ducis Filium cum ingenti apparatu nomine Patris ſui obvium habuit, & magnificis, quibus ab eo auctus erat, muneribus placatus, Franciſcum denuo in gratiam recepit, ejusque Filium aurei velleris Equitem creavit. Id nempe Friderico, cetera laudatiſſimo, vitio vertitur, quod munerum illecebris expugnatus, nimia facilitate exorari ſe pateretur, atque idcirco modicam etiam ſui exiſtimationem in Italia relinqueret, eoquod bonæ quidem indolis Princeps, pacis tamen conſervandæ, quam belli gerendi ſtudioſior haberetur. Nec abs re id erat; quippe ædificiis, hortisque unice delectabatur, ac pretioſa quæque accumulare undique ſatagebat, majoris habens imperii tranquillitatem, quam nominis ſui gloriam. Ita Æneas Sylvius, qui ei a ſecretis erat, de illo ſentit, nihilominus hic idem raras hujus Imperatoris animi dotes magnifice extollit, dicens: *Multa ſunt in hoc Cæſare, quæ laudare poſſis: Corpus egregium, & ſpecies Imperatore digna, animus ſedatus, & tranquillus, ingenium perſpicax &* *Æn. Sylv. de Europ. c. 22. ad finem.*

Sæcul. XV. A. C. 1452.

memoria tenacior, religionis ardens zelus, ſingularem virtutem in quovis homine diligit, dignamque præmio ducit. Hæc Sylvius. Sanctus Antoninus, Florentiæ Archiepiſcopus illius vitia haud ſilentio præteriens refert, ſe eum cum toto ſuo clero excepiſſe, ac cum illo collocutum fuiſſe, *nihil autem* (ſunt Antonini verba) *Imperialis Majeſtatis viſum eſt in eo, nec liberalitas, nec ſapientia, cum quaſi ſemper per alium loquebatur: ſed multa cupiditas, cum munera honeſte quæreret, & libenter acciperet.* (*)

Antonin. tit. 22. cap. 12 §. 3.

Impe-

(*) *Non miramur, Fridericum Principem pietate, prudentia, omnique virtutum genere excultum quorumdam exterorum cenſuram effugere haud potuiſſe; nam non paucis ſolenne eſt, in Principibus etiam virtutes carpere, hinc ipſemet Fridericus probroſa contra ſe dici inaudiens.* An neſcitis, *inquit*, Principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? Turres quidem fulmina prælta feriunt, humilia tecta prætereunt: at nobiſcum bene agitur, ſi verbis tantum impetimur. *Fateamur illum bella horruiſſe, pacis otium coluiſſe;* ſed laudabile otium, unde quies eſt populo, & ut ait Philo, *pax vel magno conjuncta damno eſt bello ſemper utilior*, nec turpe eſt munera ſponte oblata una manu accipere, & alia in bonum publicum erogare, quod & fecit Fridericus, qui adeo liberalis

Imperator demum per Venetias in Germaniam rediens, ibidem denuo per-honorifice exceptus, pluribusque muneribus honoratus est. Sæcul. XV. A.C.1452.

§. LXXXVIII.

Fridericus Ladislaum puerum a se dimittere compulsus.

Redeuntem ex Italia Cæsarem Hungari adeunt, Regem suum Ladislaum puerum petentes. Hic ipsus in Italia sæpius, licet irrito semper conatu, fugam tentaverat. Fridericus enim adeo nobilem captivum plurimi habens, ejus libertatem sollicitantes rejecit, hac tamen repulsa Austriacos tam graviter offendit, ut Cæsarem intra novæ Civitatis mœnia obsiderent. Verum cum juvenem Principem a se ultra detineri haud posse videret, hinc Fridericus eidem abeundi suorumque regnorum possessionem adeundi facultatem concessit. Ladislaus in libertatem assertus, cum præ ætate nondum aptus esset suis regnis administrandis, alieno arbitrio ea commendavit, & quidem Hungariam Hunladi, Bohemiam

beralis erat, ut dicere soleret, *etsi decem millia quotidie adversus Imperatorem ingrati sint, tamen Imperatori quotidie benefaciendum.*

Sæcul. XV. A.C. 1452.

miam Podiebracio, Auſtriam vero Ulrico Cilliæ Comiti Avunculo ſuo commiſit. Diſplicuit Cæſari, ejusque fautoribus Cillejenſis Comitis adminiſtratio, quocirca eum a gubernandi munere removit, cauſſatus, quod Regem quaſi in ſua poteſtate habens, cuncta pro arbitrio gereret.

§. LXXXIX.

Papa Ladislai literis pro non impedienda ejus libertate interpellatus.

Papa Friderici partes tuebatur, nilque intentatum relinquebat, ut eidem Ladislai pueri tutelam denuo aſſereret, intentatis quoque minis prohibens, nequis hac ſuper re Cæſarem impediret. Verum Viennenſis Academiæ, quæ tunc temporis Auſtriacis favebat, ſententia deciſum eſt, per appellationem ad futurum Concilium ſuſpendi poſſe Romani Pontificis mandata. Ipſe quoque Ladislaus, ſuadente Caſparo ejus Moderatore, qui ejusdem erat opinionis, ad ſummum Pontificem literas dedit, his pene verbis:

Æn. Sylv. Hiſt. Boh. c. 60. & 61. Europ. c. 22. & epiſt. 404.

„ Percepi Sanctitatem tuam adverſus
„ eos, qui pro mea in Auſtria liberatio-
„ ne laborant, nonnullos proceſſus de-
„ creviſſe. Precor ut eos revoces; Id
„ enim erit officii tui, cum ſcriptum ſit,
„ pupillo & Orphano adſtabis. Id niſi
„ fece-

„ feceris, compelles me ad majores Ju- Sæcul. XV.
„ dices appellare. „ Igitur Ladislaus, A.C.1452.
præterhabitis Friderici querelis, & Pontificis comminationibus, ſuam conſervavit libertatem, Comes quoque Cillejenſis eodem ferme tempore Auſtriæ adminiſtrationi reſtitutus eſt.

§. XC.

Pariſienſis Univerſitas ab Eſtoutevilla Cardinale reſtaurata.

Anno præcedenti Nicolaus Papa Eſtoutevillam Cardinalem Legatum in Gallias decreverat, ut pacem Henricum inter, & Carolum VII. conciliaret. Aſt cum Henricus bello, quod tamen Anglis infauſtum fuit, obſirmato animo inſiſteret, Legatio ſucceſſu ſuo fruſtrabatur. Nihilominus Cardinalis omnem ſuam, Galliarum Regis juſſu, operam in id impendit, ut a Pariſienſi Academia abuſus omnes, quibus tunc obfuſcabatur, penitus eliminaret, quod & feliciter confecit, dum eam optimis, quæ adhuc in intimo Academiæ tabulario aſſervantur, legibus inſtruxit, cunctosque, qui decretorum a ſe conditorum transgreſſores exiſterent, anathematis pœnæ obnoxios fore, die prima Junii declaravit. Porro hujus Purpurati Pater erat Joannes ſecundus ejusdem nominis Princeps de E-

Gaguin. l. 10

Monſtrelet vol. 3.

Sæcul. XV. A C. 1452.

ſtoutevilla Franciæ Archi-Pincerna, Mater vero Margarita Comitis Harcurtii filia, & Longevillæ Domina. Poſtea renuntiatus fuit Sacri Cardinalium Collegii Decanus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius. A Rege autem Archiepiſcopatum Rothomagenſem accepit, cum jam prius præter Prioratus S. Martini de Campis, Grammontanum, & Bellomontanum in Algia, etiam Abbatias Rothomagi S. Ovani, Montis S. Michaelis, & Monteburgenſem obtinuiſſet. Ab Eugenio IV. Romano Pontifice Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, ſeu juxta alios, trigeſimo nono die decima octava Decembris adſcriptus eſt inter Cardinales Presbyteros titulo S. Martini in Montibus, hunc tamen titulum ad Portuenſem Inſulam promotus commutavit; dein autem translatus fuit ad Eccleſiam Oſtienſem, & Veliternam. Vir erat invicti animi robore præditus, ac rigidiſſimus juſtitiæ cultor; quondam enim (ut fertur) Romanus Apparitorum Dux, quem Itali Barigellum appellitant, furem a ſe comprehenſum absque ulteriore mora a jure conceſſa capite plectendum decernebat, & abſente carnifice Presbyterum quemdam Gallum, forte ibi præſentem, infame hoc officium ſubire compellebat: Verum Cardinalis re comperta Barigellum protinus vocari, in rem inquiri,

inquiri, atque facinoris convictum ante fenestras domus suæ laqueo suspendi jussit. Sæcul. XV. A.C.1452.

§. XCI.

Franciæ Episcoporum Conventus Bituricensis ob Sanctionem Pragmaticam ab eodem Cardinale convocatus.

Idem Cardinalis, ubi in Franciam venerat, Biturigibus Episcopos Regni convocavit, qui de opportunis pragmaticam sanctionem exequendi mediis deliberarent. Plurimum quidem sese Burdegalensis Ecclesiæ Delegati, ac Petrus eorum Archiepiscopus horum consiliis opponebant, summo Pontifici plenam auctoritatem esse conservandam contendentes; nihil tamen evincere poterant, nec alius quisquam, præter Eliam Petrocoriensem Episcopum, eorum partibus accessit.

§. XCII.

Idem pacem inter Galliæ Regem, & Sabaudiæ Ducem conciliare conatus.

Eodem tempore Carolus VII. Biturigibus agens, Sabaudiæ Duci bellum indixit, eoquod in confinia Regni persæpe incursasset, & inconsulto Galliarum

Secul. XV. A. C. 1452

Rege Carolinam filiam suam adhuc infantem Delphino despondisset, connubii pactis Mense Februario hujus anni Genevæ erectis. Cardinalis Estoutevilla, cum jamjam Romam reverti vellet, rei certior factus, mox in Galliam pedem referre constituit, ut discordiam inter hosce duos Principes inde subortam componeret. Adibat utrumque, tamque singulari prudentia unius commoda sine alterius detrimento promovit, ut brevi temporis spatio in Foro Segusianorum ad sylvam inter eos optata pax concluderetur. Eadem occasione quosdam Sabaudiæ Optimates, qui in Joannem Compesium Ducis Ministrum conjuraverant, in fidem, obsequiumque Principis sui reduxit; ejusdemque consiliis firmatum est connubium Jolandæ Galliarum Regis filiæ cum Pedemontii Principe primogenito Sabaudiæ Ducis Filio. Pacis hujus maturandæ potissima erat caussa inopinatum, quod Rex acceperat, nuntium, ex quo intellexit, quod Burdegalenses tributorum onere sese opprimi conquererentur, atque Angli ab ejusdem urbis civibus acciti jamjam Burdegalæ excensionem facerent.

Feurs en Forets

Joa. Chart. Hist. Car. VII. p. 260.

§. XCIII.

Sæcul. XV.
A.C.1452.

§. XCIII.

Burdegalenſes Anglis adhærere parati.

Præcipui hujus rebellionis Auctores erant Duraſius, Eſparrus, Roſanus, Landius, Langladius, & Monſerrandus unacum aliis quibusdam Civium primoribus. Hos inter duo poſtremi in Angliam profecti ſignificabant, Burdegalenſes Francicum imperium libenter excuſſuros, dummodo Angli eis ſubſidium ferrent. Placuit Regi conſilium, datumque eſt Talboto Belliduci negotium, ut rupta omni mora cum quatuor Anglorum millibus Burdegalam contenderet. Hic ad Medulos exſcenſione facta quasdam urbes occupaverat, inde Angli Burdegalam die vigeſima tertia Octobris proceſſerunt, clam a civibus in urbem admiſſi; horum enim nonnulli ſeditionem moverant in Olivarium Cotinium Aquitanniæ Seneſcallum, qui rebellium furori exigua militum manu reſiſtendo impar, unacum toto Gallorum præſidio captus eſt.

§. XCIV.

Regis copiæ in Aquitanniam miſſæ.

Rex, ubi ſiniſtrum hunc caſum ſummo animi mœrore compererat, confeſtim

Sæcul. XV. A.C. 1452.

Jalognio Mareſcallo, Orvallio, Joachimo Rouantio, pluribusque aliis belli Præfectis commiſit, ut cum ſexcentis Lanceariis, ſuisque Sagittariis accurrerent, urbesque Burdegalæ vicinas tuerentur, & Claromontii Comitis, hujus Provinciæ Præfecti juſſis obtemperarent, donec ad futurum bellum major fieret apparatus. Interea vero Angli, quatuor millium armatorum ſuppetiis, quas Talboti filius adduxerat, necnon octoginta qua majoribus, qua minoribus navibus, omni armorum genere inſtructis augentur, ac primo victoriæ curſu Caſtillonium, Cadillacum, Liburniam, Fronſacum, multaque alia exigui nominis oppida, & caſtra occupant, inter quæ tamen Fronſacum, cui Gamachius præerat, ceteris longe validiſſimum erat.

§. XCV.

Græcorum tumultus adverſus unionis decretum.

Nec majori tranquillitate fruebantur Græci, utpote circa unionis decretum in partes diviſi. Huic malo inſuper acceſſit, quod foris quoque gravius inſtarent Mahometis II. molimina, qui totus in eo erat, ut urbem, imperiumque ſuæ ſubjiceret poteſtati. Tunc temporis equidem Conſtantinus Iſidorum Cardina-

Cardinalem, ſedisque Apoſtolicæ Legatum ſat benigno dignabatur alloquio, eumque ampla lactabat unionis ſpe: nihilominus cum in templo S. Sophiæ liturgia celebraretur, atque ex Diptychis nomina Romani Pontificis, ac Gregorii Patriarchæ recitarentur, urbs tota in ſeditionem concitata eſt, turmatimque Græci ad Gennadium Monachum convolabant, ab eo conſilium petituri. Hic verbis reſpondere detrectans, ad cellulæ ſuæ fores ſcriptam affixit ſchedam, in qua omnibus *impium* (ut calumniabatur) unionis decretum Florentiæ cum Latinis confectum acceptantibus extremas calamitates vaticinatus eſt. Quibus vix lectis Sacerdotes, Abbates, Monachi, Moniales, Milites, Cives, una omnes denique, exceptis Senatorum, Aulicorum, & Clericorum, qui Imperatoris partes ſequebantur, pauciſſimis, vociferabantur: *Anathema omnibus Latinorum unionem amplectentibus.* Nec ultra in S. Sophiæ Eccleſiam, quam pollutam proclamabant, ingredi licitum erat, & omnes, quotquot præſentibus Latinis Liturgiæ intererant, velut excommunicationis vinculo irretitos vitabant, eosdemque abſolutionis beneficio, & Eccleſiarum aditu arcebant. Sæcul. XV. A.C. 1452.

Nulli tamen alii, teſte Duca, furioſius tumultuari, atrociusque in Latinos odium prodere viſi ſunt, quam Viri pene ad ſuperſti- *Ducas c. 34.*

Sæcul. XV. A.C. 1452.

perſtitionem devoti, quibus ſeſe junxerunt mulieres Religioſæ, quarum conſcientiam moderabatur Gennadius factionis in Romanæ Eccleſiæ excidium conjurantis caput. Hæ ipſæ, quæ alias innocentis vitæ, ac purioris in Deum religionis fama apud vulgus clarebant, eo ſuperbiæ, ac temeritatis progreſſæ ſunt, ut audacter anathema dicerent omnibus, qui Decretum unionis vel approbaſſent, vel impoſterum approbaturi eſſent. Unde præfatus Scriptor infert, nullum ex Græcis Schiſmaticis, imo ne ipſum quidem Imperatorem Florentino decreto ſincera mente ſubſcripſiſſe, in quo tamen manifeſte fallitur, cum omnino exploratum ſit, nonnullos ſaltem optima fide unionem profeſſos.

Phranz. l. 3. cap. 7.

§. XCVI.

Mahometis II. molimina de Conſtantinopolis obſidione.

Interea cum Schiſmatici quaſi ad ſupremum pertinaciæ gradum veniſſent, Deus vindex Mahometem Sultanum ſibi elegit in juſtitiæ ſuæ Miniſtrum, atque flagellum. Hic enim validiſſimo exercitu, quem nullis ſchiſmaticorum viribus ſuperari poſſe confidebat, Græcos toto impetu obruere moliebatur. Hunc in finem prius Caromanniæ Principem in Aſia ſub-

subegit, qui sui Victoris arbitrio cedere compulsus est; postea Sultanus in Europa cum Huniade Hungarici Regni administratore triennales paciscebatur inducias, ac demum Mense Majo ad finem vergente ejusdem anni ad arctiores Bosphori fauces, quæ Europam spectant, propugnaculum exstrui jussit, ex quo naves ex Ponto Euxino ad Regiam urbem advehi impediret, Turcis vero ex Asia in Europam facilem trajectum pararet, sibique de asylo adversus sinistræ fortunæ casus opportuno necessitatis ingenio prospiceret: Confecerat hoc propugnaculum intra unius quadrimestris angustias, operariis supremam manum imponere, numero & alacritate certantibus. Hæc ipsa arx e regione propugnaculi, quod olim Avus illius in Asia construxerat, erecta hodiedum castrum Dardanellarum appellatur, atque Ottomanici imperii Optimatibus carceris loco habetur. Totum Autumnum atque hyemem belli apparatu insumpsit Mahometes, proximo Vere Constantinopolitanam urbem expugnaturus, prout etiam die secunda Aprilis anno sequenti infaustum consilium suum effectui dedit.

sæcul. XV. A.C. 1452.

§. XCVII.

Sæcul. XV. A.C 1452.

§. XCVII.

Concilium Colonienſe, in quo de expoſitione SS. Sacramenti actum.

Hoc anno Nicolaus de Cuſa Cardinalis, & Nicolai V. Papæ Legatus *a latere* per Germaniam, Concilium Provinciale Coloniæ celebravit, comprobante Theodorico ejusdem urbis Archiepiſcopo. Hæc Synodus omnium prima decretum edidit de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, cujus in ſuperioribus Conciliis nullum omnino exſtat veſtigium. Statuit igitur, *ut ad majorem honorem Sacramenti deinceps ipſum ſanctiſſimum Sacramentum nullatenus viſibiliter in quibuscunque monſtrantiis ponatur, aut deferatur, niſi in ſanctiſſimo feſto Corporis Chriſti cum ſuis Octavis ſemel in anno in qualibet civitate, aut oppido, ſeu parochia: vel ex ſingulari indulto Ordinarii, aut alias pro pace, aut alia neceſſitate imminente ex indiſpoſitione Rempublicam prægravante: & tunc cum ſumma reverentia atque devotione.* Ex his verbis ſatis non liquet, quænam Sanctiſſimi Sacramenti expoſitio hoc Concilii decreto ſpeciatim reſtringatur. Krantzius, Caſſander, & Spondanus cenſent, a Legato fuiſſe ſuppreſſam conſuetudinem, qua tunc publice *ſingulis feriis quintis per anni circulum*

Krantz in Metrop. lib. 11. cap. 39. Caſſand. in Conſult. art. 22. tit de circumgeſt. Euchar. Strond ad ann. 1451. n. 8

circulum ſacratiſſima Euchariſtia expoſita circumferebatur, hinc decretum, ut deinceps bis tantum ſolemni ritu SS. Euchariſtia exponeretur, ac publice circumferretur, nimirum in feſto Corporis Chriſti, & illius octava die, ut ejusmodi devotionum uſu minus frequenti aſſiſtentium pietas, atque fides augeretur. Sæcul. XV. A.C.1452.

§. XCVIII.

Amadæi Obitus.

Hoc item anno die decima ſeptima Januarii Genevæ Amadæus Sabaudiæ Dux in Concilio Baſileenſi Papa electus, & Felix V. appellatus, ſexageſimo octavo ætatis ſuæ anno cum opinione ſanctitatis deceſſit. Hic ſchiſmate ad quadrageſimum annum & amplius (*) protracto ſe Pontificatu abdicavit, quo facto tam clarum pietatis exhibuit ſpecimen, ut ubique pro more illius ævi verſus iſte decan- *Æn. Sylv. comm. Pii II. l. 7.*

(*) *Nimio Felicem Antipapam extollendi ſtudio abreptus Continuator noſter dictorum ſuorum oblitus fuiſſe videtur, dum in libro CV. § XLIII. ſchiſma extinctum fuiſſe ſcripſit anno MCCCCXXIX. nunc vero jam aliud QUADRAGINTA annos duraſſe memoret, cum tamen præſens ſchiſma duntaxat a die intruſi Amadæi epocham ſuam agnoſcat, ſcilicet ab anno 1439. quodque finitum eſt anno 1449.*

Sæcul. XV. A. C. 1452.

decantari auditus fuerit: *Fulsit lux mundo, cessit Felix Nicolao.* Corpus ejus Ripaliæ primo humatum, dein Taurinum in Ecclesiam S. Joannis translatum est. Uxorem habuit Margaritam de Burgundia, cujus Pater erat Philippus cognomento audax, Burgundiæ Dux, Mater vero Margarita Flandriæ Comitissa. Ex hoc connubio plures suscepit liberos, scilicet Amadæum Pedemontii Principem, cui anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo primo obeunti successit Ludovicus; Præter hos ei nati sunt Philippus Genevæ Comes, qui anno supra millesimum quadringentesimo quinquagesimo secundo sine prole defunctus; denique duo gemelli, quorum primus Antonius nomine Anno millesimo quadringentesimo octavo, alter ejusdem nominis sequenti anno præmatura morte vivis erepti sunt. Filias habuit quatuor, ex quibus Maria anno salutis millesimo quadringentesimo vigesimo septimo Philippo de Vicecomitibus, seu Visconti, Mediolanensium Duci matrimonio juncta, post Mariti sui fata in cœnobio ad S. Claram Taurini sacrum habitum induit, & usque ad annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum octavum ibidem religiose vixit. Altera erat Bonna, quæ Joannis Britanniæ Ducis Filio desponsata, Anno Domini millesimo quadringentesimo

tesimo vigesimo septimo fatis functa est; Tertia fuit Margarita, quæ innupta decessit Anno millesimo quadringentesimo decimo octavo; & altera Margarita primo copulata Ludovico III. Andegavensium Duci, qui Neapolis ac Siciliæ Rex nuncupabatur, postea Anno post Christum natum quadringentesimo quadragesimo quarto supra millesimum Ludovico Electori Palatino, post cujus obitum, qui contigit Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, tandem Ulrico Leucoreæ Comiti tertiis nuptiis juncta. Hic Margaritæ conjugi suæ, quæ Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo humanis rebus erepta est, superstes vixit.

Sæcul. XV. A.C. 1452.

§. XCIX.

Græcorum cæcitas ad Mahometis molimina.

Quamvis Mahometes conceptum Constantinopolitanæ urbis obsidendæ consilium nonnisi pauciſſimis familiarium suorum detexisset, nihilominus Græcorum Imperator ex insolito apparatu, quo instruendo Mahometes integrum annum insumpserat, infausta quæque sibi ominabatur: quocirca ut ejus consilia, quantum posset, everteret, omni ope & opera contendit, nilque intentatum reliquit, ut

Phranz. l. 3. cap. 8. & 17. Chalcond. l. 8 Leunclav. in Pand. num. 128.

Sæcul. XV. A C. 1453.

arcis, quam Sultanus, ut supra memoravimus, ad Bosphori fauces erigere cæpit, perficiendæ studia prohiberet. Verum provido Imperatoris consilio obsistebant cives, veriti, ne Mahometis iram sibi vehementius accerserent; quinimo eo cæcitatis prolapsi sunt, ut ipsimet propugnaculo citius conficiendo suam locarent operam, ac necessaria quæque suppeditarent, stulta virium suarum jactantia persuasi, se hanc molem, si ipsis molesta foret, nullo negotio eversuros. Aliorum tamen Scriptorum testimonio discimus, Græcos suis viribus diffidentes, ad Nicolaum Pontificem confugisse, suppetias petituros; Papam vero justa indignatione in eos concitatum opem negasse. Platina hanc in rem ita scribit: *Ipsi Pontifici in animo fuit, classe, & milite Constantinopolitanos juvare; Verum adeo repente urbs illa capta est, ut vix de mittendo auxilio cogitare licuerit.* Æneas Sylvius classem a Venetis, ac Genuensibus, & Catalanis instructam fuisse testatur.

Turco-græc. lib. 1.

Antonin. T. 14.

Æn. Sylv. epist. 155.

Platin. in Nic. V.

Æn. Sylv. ut supra.

§. C.

Constantinopolis a Mahomete duplici exercitu cincta.

Ann. 1453. *Chalcond. l. 8*

Adveniente igitur Vere præsentis anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi tertii, Mahometes immensas tam ex

ex Europa, quam Asia collegit copias, certus nihil sibi timendum esse a Principibus Christianis, utpote quos undique bellis implicitos noverat. Præmisit igitur partem exercitus sui, quo turres omnes, atque munitiones, quæ extra urbem erant, everteret; Ipse vero secunda Augusti die cum gemino, eoque numerosissimo exercitu adveniens nobilissimam hanc urbem terra marique obsedit. Terrestres ipsius copias ad trecenta millia, maritimas vero, collecta tota classe ad centum & amplius triremes, ac naves minores centum triginta ascendisse ferunt. Duplici itaque exercitu urbs cincta est, cujus ambitus tum ad tredecim milliaria protendebatur, gemino validissimorum mœnium circuitu, fossisque profundissimis munitus. Tentabant primo Turcæ urbem terra expugnare; hinc diu noctuque omni armorum genere, ac continuato tormentorum impetu muros concutere aggrediebantur, ad omnem strenue gerendæ rei dexteritatem intenti. Nec segnius Cives Turcarum impetus retundere nitebantur, ex ea urbis parte, quæ mare respiciebat, ab hostili furore hucusque securi, eoquod catena ferrea eximiæ longitudinis ad sinus angustias extensa portum occluderet, indeque Turcarum classem arceret, ac præterea intra catenæ ambitum aliquæ essent armatæ

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Chalcondyl. l. 8.

Sæcul. XV. A. C. 1453.

tæ naves, quæ hoſtium incurſum prohiberent.

§. CI.

Turcarum naves terreſtri itinere adductæ.

Phranz. l. 5. c. 10. *Chalcon. l. 8.*

Ubi autem alia, quæ priori longe validior erat, Turcarum claſſis advenerat, ſtupendum facinus Turcæ moliti ſunt, ut referunt Scriptores; rem enim non noſtra, ſed aliena fide deſcribimus. Fertur, quod Turcæ diverſas adhibendo Machinas in elevatum terræ locum ſeptuaginta naves adduxiſſent, easque per declivia in portum tanta ſolertia devoliſſent, ut intra unius noctis anguſtias octo millium paſſuum iter conficerent, ipſis etiam ſtupentibus Græcis, ac de rebus ſuis tum maxime deſperare incipientibus, cum mox pontem a Turcis conſtructum viderent, ex quo tormentis urbs quateretur.

§. CII.

Exiguus urbem propugnantium numerus.

Sic urbe omni ex parte cincta, Imperator milites ſuos in plures copias ad eam propugnandam diſtribuere compulſus eſt. Phranzes, in hac obſidione rerum geſtarum teſtis, memoriæ proditum reliquit,

reliquit, quod Virorum armis aptorum numerus in urbe, præter bis mille extraneos, quinque tam Monachorum quam laicorum millia haud excesserit. Unde sat mirari non possumus, quod Constantinus, cui a longo tempore bellica Mahometis consilia probe comperta erant, in tam ampla, tamque frequenti urbe haud potuerit colligere numerosum magis exercitum, quo Turcis dubiam saltem redderet victoriam. Cum vero Historici referant, quod quadraginta hominum millia in civitate a Turcis necata fuerint, & sexaginta millia capta, certe ad horum censum vocari debebit multitudo incolarum inutilis, ac gerendis armis inepta. Ceterum non desunt, qui numerum dimicantium augentes, sex millia Græcorum, tria exterorum, qua Venetorum, qua Genuensium exstitisse scribunt. Sed quid demum hoc ad tantam Turcarum copiam, quorum numerum trecenta, aut omnino quadringenta armatorum millia, & trecenta ac amplius belli navigia confeciſſe, Chalcondyles testatur. Nihilominus hostium numerus, atque potentia civium animos superare non potuisset, quinimo haud dubie Turcarum conatibus tardior obsidionis successus colluſiſſet, nisi Mahometes suas inter copias quemdam numerasset Hungarum, qui non solum mira dexteritate explodere

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Phranz. l. 3. cap. 17.

Chalcond. l. 8

Sæcul. XV. A. C. 1453.

noverat, sed etiam tam raræ longitudinis atque crassitudinis tormenta fundere, ut hæc ducentarum librarum lapideos globos facile excuterent. Fertur quoque, eundem Pyrobolarium inter ceteras Mahometi adeo proceram construxisse machinam, ut ei trahendæ adhiberi debuerint septuaginta juga boum, & Viri bis mille, ejusque tonitru finitima regio usque ad quinque millia passuum circumcirca concuteretur; lapis vero, quem tormentum illud novem pedibus ore patens vibrabat, mille ducentas libras ponderasse scribitur. Attamen adeo stupendæ rei fides merito nobis suspecta est, utpote a Græcis relatæ, qui semper facta, quæ narrant, immodice efferre solent. Ceterum hujus tormenti artifex Religioni Christianæ addictus erat, ac primo militare suum obsequium Græcorum Imperatori obtulit, a quo tamen minus benigne exceptus, Mahometem adiit; hic eum illico magnis muneribus auxit, ac successu temporis ampliores spes ei fecit. Verum magna ista bombarda, cum explooderetur, in frusta diffiliens, inter plurimos alios misere enecatos, proprium suum inventorem discerpsit. Sultanus eandem denuo fundi jussit, ceteras omnes interea machinas muris dejiciendis tanto adnisu admovens, ut globorum ac flammæ tempestate die noctuque

que continuata, brevique omnibus urbis propugnaculis penitus everſis, amplæ ubique ad irrumpendum ruinæ paterent. Sæcul. XV. A C. 1453.

§. CIII.

Conſtantinopolis ingenti furore a Turcis oppugnata.

Eodem tempore Mahometes undique foſſas impleri juſſit, ipſusque hortatu ſuo laborantium ſolertiam ſtimulabat, felici adeo ſucceſſu, ut Turcæ Principis ſui præſentia accenſi, tanto ardore opus aggrederentur, ut plurimi tumultuarie concurrentes ob mutuam compreſſionem pedibus conculcati, aut terra obruti perirent. Paulopoſt horrenda admodum ſagittarum, lapidum, & globorum tempeſtas omni ex parte obſeſſorum impetebat capita; ejusmodi enim furore Turcæ Chriſtianos diſpergere, ac ſuis ſtationibus, quas tuebantur, propulſare conabantur.

§. CIV.

Suppetiæ a Genuenſibus, Juſtiniano duce Græcis latæ.

Genuenſes, cum tam arcem quam Galatam, ſive Peram, oppidum ſat exiguum e regione portus ſitum occupaſſent, propriæ utilitatis ſtudio animati, Conſtantinopolitanam urbem tueri ſta-

Sæcul. XV. A.C. 1453.

tuebant; quapropter navem bellicam quingentis selectioris militiæ juvenibus instructam submiserunt, ut ea, quæ hucusque possederant, conservare valerent, jamque ipso obsidionis initio Joannem Justinianum itidem patria Genuensem, unacum duabus prægrandibus navibus Constantinopolim decreverant, cui Imperator comperta Viri hujus fortitudine, ac rara rei militaris experientia, exercitus sui supremum commisit imperium. Tam strenui Ducis præsentia, atque exemplo, Græci antehac ignavia torpentes jam veluti totidem leones furore accensi, novos animos sumere, ac omni ex parte hostium impetus retundere cæperunt; cum interea confusam illam Turcarum ad fossam tumultuarie accurrentium multitudinem disruptum illud tormentum promiscua cæde fædaret. Græci insuper opportuno admodum tempore in Infidelium turmas urbe erumpunt, bellicas eorum machinas non paucas incendio vastant, ac cujusdam Germani, qui rei tormentariæ apprime gnarus sub Justiniano militabat, industria usi, quosdam Turcarum cuniculos in aera raptant; cum vero tota die hostium insultus invicta prorsus animi fortitudine sustinuissent, postea de noctu ea, quæ Turcæ ad implendam fossam congesserant, magna ex parte rursum extraxerunt, ac murorum ruinas

ruinas tanta celeritate repararunt, ut aliquando Sultanus, qui altera die oppugnationem redintegrare intenderat, conspecto Græcorum opere plusquam humano, stupens exclamaverit: etiamsi multæ Prophetarum chiliades mihi prænuntiassent, quod in una nocte a Græcis factum video, fidem illis minime habuissem. Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CV.

Quatuor naves ex Chio in subsidium urbis advectæ.

Verum longe magis obsessorum animus, ac robur crevit quatuor navium appulsu, quæ ex Chio insula in subsidium urbis advenerant, quas inter altera erat Imperatoris, frumentum ex Sicilia advehens. Turcarum classis hasce naves ingenti furore adoritur, sed tandem turpiter fugatur, & naves in libertatem assertæ, Mense Aprili ad finem vergente victoriose Constantinopolis portum ingrediuntur. Vix fama hujus certaminis in urbem perlata est, cum illico ea ex parte, quam Turcæ ob anguſtias loci murum & mare dividentis invadere haud poterant, omnes urbis incolæ ad aggeres suos, atque valla concurrunt, prælii fortunam avidissime præstolantes. Turcarum quoque equestres copiæ in aciem instructæ ad maris litora subsistebant, ipso Mahomete *Ducas c.* 38. *Phranz. l.* 3. *c.* 10.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

mete, suisque belli præfectis, quos *Bassas* vocant, primum agmen ducentibus.

§. CVI.

Navale prælium Turcas inter & quatuor illas naves.

Mare navibus quaquaversum dispositis ferme intumescere credebatur, adeo tamen ingrata repente torpebat malacia, ut quatuor illæ naves salo hærentes, nec velis propelli, nec remis reduci possent; hinc succidentium ventorum inclementia adactæ, prælium in potissimam diei partem protractum inire compellebantur. Turcæ Sultani præsentia stimulati exultant, ipse quoque Mahometes incondita voce conclamat, vel quatuor istas naves sibi adveherent, vel eas in fundum demergerent. Attamen, cum Christiani in summo navigii tabulatu collocati tormenta sua, nullo globo impune cadente, ex alto in Turcas humiliore situ ad maris oram dispositos exploderent, hi ingenti jam clade protriti pedem referre, ac tumultuariam fugam arripere cæperunt. Mahometes hanc suorum ignaviam, ac plurimorum cædem adeo ægre tulit, ut iram, furoremque spirans, subditis equo suo calcaribus præ rabie in pelagus cæco impetu sese præcipitem ageret, tantum non undis absorptus. Præfectum

ctum quoque classis palo transfigere cogitabat, indubie consilium executurus, nisi primorum Aulæ precibus placatus fuisset. Secul. XV. A. C. 1453.

§. CVII.

Naves victoriose portum ingressæ.

Nihilominus Mahometes summa animi sui indignatione has naves portum subire spectabat; cum enim opportuna esset maris tranquillitas, ac sol ad vesperam declinaret, Auster navibus hisce secundus adspiravit, unde Chienses expansis pleno sinu velis sese Turcarum navibus, nullo ordine dispersis ac metu fractis subduxerunt, & Christianorum navigia paulopost cunctis præ gaudio festive acclamantibus Urbis portu excepta fuerunt. Victoriæ hujus felicitas non parum inde aucta est, quod nullo penitus ex Victoribus amisso, pauci admodum Genuenses vulnerati essent, qui etiam post aliquot dies decesserunt: cum tamen ex Turcis, proprio eorum testimonio, supra duodecim millia desiderati fuerint. Mahometes impotenti in suos iracundia excandescens, in superos quoque sexcentas evomuit blasphemias; maxime autem infausto obsidionis successu fractus erat, ubi summo animi sui mœrore urbis muros a ruinis citius redintegratos, quam læsos *Phranz. l. 3. cap. 10.*

Sæcul. XV. A.C. 1453.

læsos, fossasque tam celeriter purgatas, quam impletas fuisse conspiceret; quapropter Justinianum, cujus virtus sibi adeo infesta erat, auro corrumpere tentabat; verum spe sua delusus, pacem exoptare simulabat, oblatis tamen ejusmodi conditionibus, quas a Græcis nunquam acceptandas prænoverat.

§. CVIII.

Pax Græcis a Mahomete oblata.

Igitur missis ad Constantinum Fecialibus petiit, ut sibi urbem imperialem cederet, & in ejus locum Peleponnesum acciperet, pollicitus, se fratribus ejus in damni compensationem alias terras libere possidendas daturum. Verum his conditionibus, quibus Mahometes unice Constantinopolitanæ urbis dominium sibi asserere intenderat, confestim rejectis, Græcorum Imperator jam desperata pace fortiter decrevit, se urbem, si illam conservare non posset, saltem nonnisi cum propriæ suæ vitæ dispendio amissurum, & qua Imperatorem moriturum.

§. CIX.

Turcæ falso rumore territi obsidionem solvere parati.

Phranz l. 3. cap. 13. & 14.

Vix non generosum hoc Imperatoris consilium Felix faustusque coronas-

set

set eventus; cum enim rumor ad Mahometis exercitum pervasisset, validam Christianorum Principum classem ad opem urbi laboranti ferendam advenire, & Joannem Huniadem ex Hungaria novo cum exercitu accurrere, Turcæ tanto timore inde perculsi sunt, ut sine mora obsidionem solvi peterent, in ipsum quoque Mahometem maledicta jacientes, utpote qui, ut ajebant, certa ipsorum pernicie secreta cum Christianis consilia foveret. Ipse quoque Mahometes, quantumvis alias intrepidi animi esset, pejora seditionis hujus fata veritus jamjam tumultuantibus cedere statuit, consilium sibi ab Halibassa supremo Senatus sui Præfecto datum secuturus. Hic enim olim Mahometis Moderator, cum clam Christianis bene affectus esset, constanter urbis obsidionem Sultano dissuasit. Verum Zagan Bassa Mahometis animum erexit, eidemque ob oculos posuit, rumores de nova hac classe, atque exitu falsos esse, brevique dissipandos non sine magno turcici exercitus stupore, qui vel unquam turpis adeo fugæ consilia fovisse erubesceret. His Sultanus in concepta animi sententia obfirmatus, urbem toto impetu oppugnare decernit, opulentissimæ hujus civitatis deprædatione militibus suis concessa, necnon promissa illi, qui primus murum conscenderet, nobilissima Regni Præfectura.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CX.

Sæcul. XV.
A.C. 1453.

§. CX.

Mahometis milites ad ultimam expugnationem urbis instructi.

Juſſit Mahometes toto ante triduo exercitum ſuum jejunare a ſummo mane usque ad noctem, lumina, facesque accendere, & preces ad Deum publicas pro victoria fundere. Janiſſaros ſuos adhortatus dixit, bellum jamjam ad gloriæ ſummam perveniſſe, non niſi ad colligendos illius fructus, & ad laboris præmium, quod in hac urbe undique jam aperta nullo negotio acquirere valerent, ultimos adhibendos eſſe conatus, ſe omnes Conſtantinopolitanæ urbis divitias ſuis militibus penitus relinquere, nil ſibi præter murorum ambitum, & domos, quas etiam parta victoria ad eorum habitacula paratas teneret, reſervaturum. Addebat, lumen illud, quod e cœlo ſuper urbem demiſſum ad tertiam noctem viſum eſſet, certum fore excidii urbis portentum, indiciumque, Deum, qui hucusque urbem protexiſſet, jam illam deſerturum, voluntate ejus viſibili hoc ſigno clarius manifeſtata. Hæc Sultani oratio, ac præprimis opimæ prædæ ſpes adeo omnem militum timorem abſterſit, ut cuncti ulterioris moræ impatientes ad urbis irruptionem educi uno ore peterent; hinc Maho-

Mahometes paulo post missso Feciali Constantinum jam ultimo ad urbis deditionem invitavit, veniam vitæ, libertatemque pollicitus; quod si renueret, facile armorum vi consensum extorsurus esset. Accepto Constantini responso, Turcarum castra die sanctissimæ Triadi sacro id est, vigesimo septimo Maji facibus ubique accensis resplenduerunt, eoquod Mahometani ad jejunii a Sultano indicti solemnia sese accingerent. Cum vero Constantinus Imperator ab Halibassa clam certior fieret, quod proximo biduo Turcæ terra marique urbem aggressuri essent, ad sustinendos hostium impulsus necessaria dedit imperia, sollicitudinem stimulante hujus Bassiæ nuntio, significantis, brevi obsidionem esse solvendam, si Græci hunc ultimum impetum obfirmato resistendi animo eluderent. Solemnes pariter supplicationes decrevit Imperator, & in augustissimo S. Sophiæ, id est, Sapientiæ templo unacum pluribus aliis sacrosanctam Eucharistiam percepit. Die autem vigesima octava ejusdem Mensis omnes copiarum Præfectos ad se vocatos adhortabatur, omnique rationum pondere Viros jam sponte sua ad vincendum vel moriendum paratos excitabat, ut rem in hoc discriminis articulo strenue gererent. Tum ipsus arma sumebat, & quosdam ex militum robore delectos ducens, omnes

Sæcul. XV. A. C. 1453.

Phranz. Chronic. c. 14

Sæcul. XV. A.C.1453. omnes castri stationes ac militum ordines obibat, si quid deesset, in tempore provisurus; denique, cum Turcas jamjam castra movere, ac ad pugnam accingi cognosceret, ipsus stricto gladio ad muri ruinas se locavit, hostem excepturus. Sultanus vero medius inter decem Janissarorum millia generoso vectus equo centena millia Equitum duxit, qui tamen a tergo Sultani haud multum distantes longo ordine murorum ambitum dimetiebantur, peditum copias, qui idem loci spatium ad latus Sultani occupabant, defensuri.

§. CXI.

Oppugnatio extrema Urbis Constantinopolitanæ.

Cunctis ita dispositis, & tormentis jamjam ad munimentorum cornu admotis, die vigesima nona Maji tertia diei hora antelucana per minus idoneos, magisque infirmos Turcas cæpta est urbis oppugnatio, ut eis debellandis Christiani lassati, facilius a recens supervenientibus Turcarum copiis superarentur, ac hi super horum cadaverum strues planiore gressu incederent. Jam alteram horam prima hæc velitatio tenuit, & fossæ inter prima murorum sepia, corporibus infelicis hujus Turcarum fæcis, quos fustibus &

& gladiis crudelem in modum protrudebant, fere omnes repletæ erant. Denique Mahometes Christianos certaminis laboribus fessos, fractosque existimans, classicum canere, ac tormenta explodere jubet, eos, qui muros tuebantur, dispersurus. Eodem temporis articulo milites validi, ac bello exercitatissimi terra marique urbem oppugnant, omnesque eo die sive metu sive spe, vel ipsa gloriæ cupiditate animati stupenda fortitudinis suæ specimina edunt, quorum tamen insultus Christiani haud inferiore animi robore sustinebant. Imperator ipse atque Justinianus, genuina Heroum soboles, solidas duas horas assiduo labore, tantaque animi fortitudine dimicabant, ut Turcæ omnino pedem referre cogerentur, nil proficientibus Sultani tum monitis, tum minis. Sæcul. XV. A. C. 1453.

§. CXII.

Turpis Justiniani fuga.

Accurrunt itaque Janissarii cedentibus opem laturi, qui horum auxilio animati in medios ignes, sagittas, atque lapides super sociorum cadavera in acervum congesta irruunt, tandemque turres, ac muros transcendunt, nil morante hostium reprimentium robore. Primus omnium ex Janissaris unus murum superavit, ac

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Turcicum vexillum vallo infixit, quem continuo triginta alii secuti sunt, victoriæ spe accensi. Nec feliciori Marte prælium navale in portu commissum est, postquam turris, quam Turcæ aggressi erant, in eorum potestatem redacta fuit. Tandem vero belli fortuna a Græcorum partibus prorsus deficere visa est, dum Justinianus in crure dextro sagitta, & in manu bombardæ globo saucius per summam ignaviam stationem suam deseruit, & nemine alio in exercitus Ducem in sui vicem subrogato penitus e castris excessit.

Constantinus, qui majori discrimine pressis opem laturus quaquaversum cursitabat, casu advenit, dum Justinianus fugam parabat. Irrito prorsus conatu fugienti expositi Imperator, Urbis, cujus defensionem suscepisset, salutem ab ipsius unius constantia dependere, nec exiguam turpi hac fuga honori suo labem inurendam, nomenque suum æterna ignominia maculandum. Verum Justinianus his nihil motus, urbe relicta Peram trajecit, atque inde in Chiensem Insulam navigavit, ubi aut dolore vulnerum, aut forte pudore fugæ inglorius obiit, quem immortali gloria dignum celebrassent omnes, si inter ipsas urbis Constantinopolitanæ ruinas cecidisset.

§. CXIII.

Sæcul. XV.
A.C.1453.

§. CXIII.

Græci ex Justiniani fuga animis fracti.

Milites, cum Justiniani fuga turbati, suoque Duce in ultimo rerum articulo destituti versarentur, unice in id, quo propriæ suæ saluti prospicerent, intenti erant. Ex adverso Turcæ fati hujus opportunitate usi, suorumque sociorum jamjam in propugnaculis dimicantium constantia animati, toto agmine dejectorum murorum ruinas, ipsaque mœnia transcendunt; unde Janissari modico temporis intervallo omnes urbis Regiones, quas Mahometes oppugnabat, & Justinianus tuendas susceperat, expugnarunt. Mox Ottomanorum Vexillum erigitur, & omnibus altum conclamantibus, *Victoria, Victoria, urbs est nostra!* tanto terrore concutiuntur Græci, ut abjectis armis, per vallorum fastigia sese præcipites agerent, ceteris urbis incolis per portas interioris ambitus fugam arripientibus. Ast fugitivi, cum illos Turcæ presso pede insequerentur, ita sese invicem compresserunt, tamque promiscua cæde perierunt, ut ea ex parte urbis portas brevi obstruerent eorum cadavera; nam toto studio concurrentes, mutua

Phranz. l. 3. c. 16.

Sæcul. XV. A. C. 1453.

collisione præcipites acti, qua protriti, qua compressi misere occubuerunt.

§. CXIV.

Constantinus Imperator in prælio occisus.

Ducas c. 39. Phranz. l. 3. c. 18. Naucler. gener. 49. p 478 Sagredo in Mahom. II Chalcond. l. 8

Nihilominus Constantinus Imperator, Theophilo Palæologo, Francisco Comneno, Demetrio Cantacuzeno, Joanne a Dalmatia, aliisque pluribus stipatus, intra duo murorum septa extremos, licet irritos, adhibuit conatus, ut Turcas per mœniorum ruinas rapidi fluminis instar irrumpentes retunderet. Jam vigesimo insultu in medias Barbarorum phalanges, stricto ense irruit; sed nimia hostium turba oppressus, ac secundum tempora cæsim, femurque punctim saucius obiit, gladio tamen in manu retento.

Chalcondyles refert, Imperatorem ex vulnere in humero accepto expirasse: Leonardus vero ait, ipsum, cum rem desperatam cerneret, ac vivus in manus infidelium incidere pertimesceret, flebili voce exclamasse: *Ergo Christianorum nullus accurrit, qui me proprio ense confodiat, ne Cæsaris Majestas Turcarum irrisui ac ludibrio exponatur.* Verum hæc a Constantino potius ideo dicta fuisse, observat præfatus Scriptor, ut vel suos periculi, quocum luctabatur, acerbitate in hostem

hostem animaret, vel quia primo animi motu abreptus esset, cui refrænando desperationis violentia in ejusmodi eventibus impar est. Sæcul. XV. A. C. 1453.

Addit Ducas, quod quidam Turca Constantino, quem haud noverat, primo vultum acinace suo, demum repetito ictu occipitium dissecuerit, atque ex eo vulnere Cæsar super suorum, hostiumque cadavera mortuus ceciderit. Ceterum Constantinus hujus nominis decimus quintus erat Græcorum Imperator, ac ultimus Orientalis imperii, quod a Constantino Magno, qui in quarto sæculo die decima nona Maji Anno Christi trecentesimo tertio Constantinopolitanam Urbem condidit, supra mille centum viginti tres annos tenuit. Vixit Constantinus, ut Phranzes testatur, annos quadraginta novem, menses tres, dies viginti. Occisi corpus Mahometes quam studiosissime inquiri jussit, quod etiam, cum inventum esset, summis honoribus imperatoria Majestate dignis sepeliri curavit.

§. CXV.

Constantinopolis a Turcis capta.

Imperatore fatis functo Christiani in urbe arma posuerunt, & Turcæ ex illa parte, quæ portum respicit, eodem tempore civitatem ingressi sunt, quo ceteri terra per por- *Æn. Sylv. de Europ. c. 7. & epist. 131. 155. 162. Naucler. gener. 49. p. 477*

Sæcul. XV. A.C. 1453. portas irruentes, & Græcorum reliquiis a tergo instantes, immanem cædem fecerunt. Tumultuabantur Turcæ solido triduo in Christianos indomita prorsus, ac abominanda crudelitate, nec corporibus quidem mulierum vis ac libido parcebat; nec ulla facies mali deerat, cum per omnes ordines, ætatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur, unoque interitu sacra profanis miscerentur, nec habito conditionis aut status discrimine urbis incolæ, ut quemque casus & sors objecisset, trucidarentur. Verbo, Barbari in primo suo furore plusquam quadraginta Christianorum millia peremerunt, ac demum Græcorum sanguine satiati, ut avaritiam quoque suam explerent, sexaginta hominum millia & amplius in captivitatem abstraxerunt, & modico pretio velut mancipia vendiderunt, quorum tamen plures postea auro libertatem suam redemere. Nil reliquum erat immani Barbarorum sævitiæ, quam ut ipsam quoque urbem in cineres redigerent, id tamen, ne attentarent, severissime prohibuit Mahometes, qui urbe integra, & non ruinis tantum potiri volebat.

§. CXVI.

Secul. XV. A. C. 1453.

§. CXVI.

Isidorus Cardinalis captus.

Inter captivos potissimus erat Isidorus Cardinalis, qui, ut alibi meminimus, a Nicolao V. Pontifice Constantinopolim ablegatus est, ut decretum unionis ibidem promoveret. Idem re licet minus prospere gesta, noluit Imperatorem deserere, sed Constantinopoli remansit usque ad urbis expugnationem, spe fretus, Græcos tandem ad unionem Ecclesiæ reversuros. Cum vero urbem undique expugnari cerneret, mutato habitu, & vilibus vestibus indutus fugientium turmis sese immiscuit, & Peram se duci curavit, ubi tanquam ignobilis, & obscuræ sortis homo vili pretio libertatem suam a Turcis Cardinalitiam illius dignitatem ignorantibus obtinere sperabat. Refert Chalcondyles, quod Isidorus, quis esset, haud agnitus a Turcis captus fuerit, ac Peræ venditus, inde recuperata libertate in Peloponesum profugerit. Sylvius vero rem sigillatim recensens ait, quod Cardinalis inter occisorum acervos cuidam, quem sibi consimilem viderat, vestimenta abstulerit, illudque cadaver Cardinalitio suo cultu induerit, rubro galero supra mortuum temere demisso; Turcæ autem hoc errore decepti, huic cadaveri

Chalcond. l. 8 Antonin. tit. 22. c. 13. §. 14.

Æn. Sylv. comment.

Sæcul. XV. A.C. 1453. caput abſciderint, illudque haſtæ infixum unacum pileo per urbem circumtulerint, clamante præcone, id Iſidori Cardinalis caput eſſe. Juxta aliorum vero relationem Iſidorus quinquaginta aureis libertatem ſuam Peræ emit, inde vero in Perſiam cum Turcarum triremi trajecit, atque finxit ſe pauperem captivum eſſe, & pecunias colligere, quibus filios ſuos itidem Conſtantinopoli captos redimere valeret; Cum autem inde iter ageret, a quibusdam Genuenſibus agnitus eſt, ac ne proderetur, veritus, parvam cymbam conſcendit, qua vectus primo in Inſulam Chium, inde Cretam, ac demum Romam ad ſummum Pontificem pervenit.

§. CXVII.

Notaræ magni Ducis Conſtantinopolitani exitium.

Multo iniquior fuit Notaræ Ducis fortuna. Erat ille ex ſpectatiſſimis Senatoribus primus, ſupremus claſſis Præfectus, ac ſummæ auctoritatis Vir. Verum Latinos, unaque unionis decretum tam inſano inſectabatur odio, ut urbem *Ducas c. 37.* ob innumeras Sultani copias ingenti terrore perculſam comperiens, inſolenter adhuc exclamaret, malle ſe Turcicum pileum, quam alicujus Cardinalis latini galerum urbi Conſtantinopolitanæ dominantem

nantem conſpicere. Hic opportune ſeſe primo militum furori ſubducturus, ipſus Mahometem adibat unacum duobus filiis ſuis, opulentum eidem offerens theſaurum gemmarum, auri, & unionum, quem in ſuo palatio abſconditum ſervabat. Demum ad tantam prolapſus eſt perfidiam, ut ſecretam etiam Halibaſſæ cum Conſtantino amicitiam Mahometi detegeret, Sultani gratiam eo flagitio aucupaturus, ac filiis ſuis ampliſſima munia conciliaturus. Verum Mahometes perfidiam eidem duris verbis exprobrabat, dicens: qua fronte hunc theſaurum mihi offerre præſumis, quem armorum jure jam antea mihi deberi noveras, aut ſaltem Conſtantino Imperatori ad belli ſumptus exhibere debuiſſes. His dictis eum unacum duobus filiis ſuis in magno urbis foro capite plecti, Halibaſſam vero carceri, ubi & mortuus eſt, mandari juſſit.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Phranz. l. 3. cap. 18.

§. CXVIII.

Pera urbs Mahometi a Genuenſibus tradita.

Eodem die, quo capta eſt Conſtantinopolis, feria tertia poſt feſtum Sanctiſmæ Trinitatis vigeſima nona Maji die, Genuenſes Peram, quod oppidum e regione Conſtantinopolitanæ urbis ſitum, ac egregie munitum a multo tempore

Ducas c. 39.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

possidebant, Mahometi cesserunt, ab eo nequidem desuper interpellati, sicque ex Christianorum fœderatis Turcarum mancipia ac tributarii evaseruut. His quoque crimini datur, quod longe potentiori auxilio, si voluissent, Constantinopolitanæ urbi succurrere potuissent. Jam vero Pera ab eis Mahometi tradita, profugorum bona fisco addicta, multorum aliorum direpta, & fœminæ, puerique turpiter prostituti fuere; turres insuper, ac muri diruti; ex campanis bombardæ conflatæ; ac demum Turca urbis Rector constitutus est, qui turrim, in cujus summitate signum Crucis eminebat, e fundamentis everti præcepit. Aliorum tamen Auctorum testimonio discimus, quod Mahometes Genuensibus Peræ incolis bona reliquerit, ac secundum patrias leges vivendi licentiam, necnon cum extraneis mercaturam exercendi libertatem concesserit, adjecta tamen hac conditione, ut solitum Turcis tributum penderent, nec campanis uterentur, aut novas Ecclesias construerent.

§. CXIX.

De Phranzis fato in hac obsidione.

Phranz l. 3. c. 18. in fin.

Phranzes sive Georgius Phranza, qui apud Imperatores Constantinopoli vestiarii Præfectus, ac oculatus direptæ urbis

bis testis erat, propriæ suæ calamitatis haud oblitus narrat, se quoque cum ceteris in potestatem hostium venisse, omnesque duræ servitutis conditiones expertum, postremo venditum, ac Spartam esse perductum, ibidemque redemptum inter Thomæ Principis, defuncti Imperatoris Constantini fratris domesticos cooptatum fuisse, accepta ab eodem quadam ditione; postea vero ejusdem nomine varias legationes obiisse. His addit, uxorem quoque suam captam fuisse unacum liberis nimirum Filio, atque Filia, eosdemque a Turcis venditos uni apud Mahometem stabuli Præfecto, qui illos ob formæ, ac morum præstantiam ingenti pecunia emptos abduxerat, postea tamen filium propria sua manu jugulaverat, Filiam autem in palatio mortuam ex pestilentia, uxorem tandem auro redemptam fuisse ait. Hic idem Phranzes, urgentibus nonnullis Corcyræ Nobilibus, rerum sui ævi memoratu digniorum chronicon conscripsit, in quo ea duntaxat, quæ proprii oculi testimonio comprobata habuit, recenset, suamque historiam ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum primum producit. Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CXX.

Mahometes Christianis placatus.

Mahometes, cum ex una parte probe intelligo-

Secul. XV. A.C 1453.

telligeret, armorum potentiaam, suumque ærarium ex Christianorum subsidiis plurimum auctum iri; ex altera vero urbem propemodum incolis vacuam cerneret, cunctis ferme aut fuga dilapsis, aut gladio peremptis; hinc publico edicto omnes, majores juxta ac minores, qui sese occuluerant, prodire jussit, addita plenissima securitatis, atque immunitatis sponsione. Pari modo & eos, qui ex urbe profugerant, undique accersiri voluit. Ut vero plures ad urbem alliceret, Constantinopolin multis egregiis ædificiis ornavit, illamque Imperii sui Sedem constituit.

§. CXXI.

Novus Patriarcha Constantinopoli Mahometis jussu electus.

Cum interim Constantinopolitana Sedes ob spontaneam Georgii Protosyncelli Patriarchæ abdicationem, ejusque Romam discessum vacaret, Mahometes novum Patriarcham, qui Constantinopoli resideret, subrogari voluit. Ut vero in hoc quoque negotio sese Imperatorem gereret, electionem eadem, quæ antehac apud priores Imperatores in usu erat, solemnitate fieri præcepit. Hi enim plurium suorum Prædecessorum exempla secuti, nec veterum Canonum disciplinam,

nam, qua plena electionum libertas præ- Sæcul. XV.
scribebatur, attendebant, nec a mul- A.C. 1453.
tis retro sæculis inveteratam obser-
vabant consuetudinem, vi cujus Imperatori tres, ex quibus unum seligeret, nominabantur; Hisce autem temporibus ipsimet Imperatores pro libitu suo aliquem designabant, qui postea specie tenus ac duntaxat, ut exterior servaretur ritus, eligebatur. Mahometes igitur hanc consuetudinem imitatus, quosdam Episcopos, qui forte prope Constantinopolim substiterant, paucosque de Clero ibidem existentes, ac civium primores convocavit, qui ad ejus imperium celeberrimum Senatorem Georgium Scholarium elegerunt, illum ipsum, qui in Concilio Florentino unionis causſam adeo strenue promoverat, Vir sua ætate Græcos inter scientiæ laude facile princeps.

§. CXXII.

Mahometes neo-electo Patriarchæ possessionem Patriarchatus consueto more tradit.

Scholarius mutato nomine Gennadius vocari voluit. Cum vero pro more veteri Imperatoris esset, ut neo-electum Patriarcham ad munus suum introduceret, ac Sedis suæ possessionem eidem ex formula traderet, Mahometes quoque juxta

Turco-Græc. lib. 1. & 2.

Sæcul. XV. A.C.1453. juxta eundem ritum ea omnia præstare voluit Gennadio, qui peracta sui electione, ab electoribus ad ampliſſimam imperialis palatii aulam, sumptuosissime ornatam ductus est, ibidemque Sultanus regio habitu insignis e cubili suo egressus, ad tabulatum prægrandi purpurei coloris tapete stratum sese demisit. Tum Neoelectus sedem suam e regione Imperatoris occupans, ad Mahometem ducitur, qui solemni ritu Pedum, sive virgam pastoralem tradens, alta voce hæc pronuntiavit verba: *Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, auctoritate, quam ab ea accepi, te in Archiepiscopum novæ Romæ, & Patriarcham Oecumenicum eligit.* Nec his contentus Gennadium ad extremam usque Palatii portam comitatus est. Cum autem sibi templum S. Sophiæ in primariam Moschæam, seu Turcarum fanum reservasset Mahometes, Gennadio Ecclesiam duodecim Apostolorum in Patriarchalem sedem designavit, eumque illuc solemni pompa deduci præcepit; quod & factum est; quippe Mahometis jussu omnes ejus Proceres, quos *Veziros* vocant, omnesque *Bassæ* seu Belliduces Patriarcham generoso, alboque equo splendide ornato vectum ad præfatam Ecclesiam per mediam urbem pedestres comitabantur.

§. CXXIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1453.

§. CXXIII.

Gregorius Scholarius Patriarcha novus a Mahomete ſalutatus.

Patriarcha paulo poſt, Mahomete conſentiente, habitationem ſuam tranſtulit ab æde Apoſtolorum ad Eccleſiam Beatiſſimæ Virginis, quæ *Pammarchiſta* appellari conſuevit. Ibidem Mahometes Patriarcham non ita pridem electum obſequioſa ſalutatione dignatus eſt, eumque rogavit, ut ſibi præcipua Chriſtianæ fidei dogmata explanaret. Scholarius hac occaſione uſus, tanto rationum pondere, ac verborum vi datum exequitur negotium, ut Mahometes veritati victas manus dediſſe viſus, non ſolum ab eo tempore Græcis proniorem ſeſe exhibuerit, ſed etiam ipſam Patriarchæ de articulis fidei diſſertationem ſibi ſcriptam dari petierit. Hæc exſtat in Bibliotheca Patrum, in duas diviſa partes, quarum prima eſt dialogus Chriſtianum inter & Mahometanum, in quo Scholarius totus eſt in eo, ut infidelem myſterium S. Trinitatis edoceret, variis hanc in rem ſimilitudinibus adductis, quas a ſole, igne, & anima petierat. Altera pars viginti capitulis diſtincta, cetera principaliora Religionis myſteria complectitur. Carpitur a nonnullis, quod in prima operis ſui parte

Concil. Turco Græc. lib. 2

Bibl. Patr. edit. Lugd. tom 26. p. 556. & ſeq.

Sæcul. XV. A C. 1453.

parte tres Sanctiſſimæ Triadis Perſonas verbis minus propriis indigitaverit, easdemque appellaverit *idiomata*, ſive *proprietates*; Aſt *fortaſſis Auctor eſt excuſandus*, inquit Poſſevinus, *quod ei cum Tyranno res eſſet, qui hoc myſterium aliter expoſitum exſibilaſſet*, credens, Chriſtianos tres adorare Deos.

Poſſevin. in Apparat. Verb. Gennadius.

§. CXXIV.

Neo-electi Patriarchæ ſeceſſus in Monaſterium; Ejusdem opera.

Neo-electus Patriarcha nulli pepercit labori, ut populum ſuum ad Eccleſiæ Catholicæ obſequium reduceret, atque ad acceptandum unionis decretum permoveret. Hunc in finem luculentam concinnavit apologiam de articulis decreti Florentini, cumque mox poſt captam Conſtantinopolim ſcripſiſſet, inde occaſionem nactus vivis admodum coloribus atque inſigni eloquentia urbis hujus calamitates, & miſerias depinxit. Attamen, cum inſuperhabito ſtudio ſuo, Græcos identidem Spiritui ſancto pervicaciter reſiſtere cerneret, poſt quinquennales labores in vanum impenſos Eccleſiæ adeo rebellis regimini nuntium miſit, & in Monaſterium quoddam Macedoniæ ſeceſſit, ubi reliquos vitæ ſuæ dies quiete tranſegit.

Bibliot. PP. l. c. p. 560. & ſeq.

Præter

Præter hæc duo opera mox laudata, plura alia e calamo ſuo profluxere, quorum nonnulla typis impreſſa, cetera adhuc manuſcripta aſſervantur: præcipua vero ſunt; Epiſtola ad Græciæ Epiſcopos de unione; tres orationes in Concilio Florentino habitæ *de mediis procurandi unionem dogmaticam;* Tractatus de proceſſione Spiritus ſancti adverſus Marcum Ephesinum, quem tamen non abſolvit; item tractatus de prædeſtinatione inſcriptus Joſepho Monacho Theſſalonicenſi; plures orationes, & homiliæ, & inter ceteras una de Euchariſtia, præter orationem Sanctiſſimæ Trinitati nuncupatam, & plura alia opuſcula, quæ ſigillatim recenſet Renedotius. Sæcul. XV. A.C. 1453. *Labbe Conc. Gener. to 13. p. 1543* *Appendix ad op. S Baſilii p. 217.* *Gennad. homil.* *Bibl. PP. l. cit p 608.* *Genn. hom.*

§. CXXV.

S. Sindonis translatio Conſtantinopoli in Sabaudiam.

Nonnullorum Auctorum opinio fert, quod ſacram Sindonem, quæ Taurini aſſervatur, hoc eodem anno Margaritha Carna, ab avita Regum Jeroſolymitanorum ſtirpe orta, in Sabaudiam tranſtulerit, ac Ludovico Sabaudiæ Duci, & Carolinæ Cypriæ ejus conjugi reliquerit, atque ambo poſtea ſacro huic theſauro digne recondendo ſacellum marmore veſtitum Camberii exſtruxerint. Nec de- *Spond. contin. ad ann. 1453.* *Gualt. chronol. l. 15.*

Sæcul. XV. A.C 1453.

sunt coæva numismata, in quibus una ex parte impressa cernitur S. Sindon ab Angelo trophæi ad instar deportata cum hac epigraphe: *Sancta Sindon D. N. Jesu Christi*, subjuncto inferius Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio. Altera vero pars præsefert imaginem Ducis cum hac inscriptione in orbem extensa: *Ludovicus D. G. Dux Sabaudiæ Max. in Italia.* Nihilominus Camusatus narrat, sacras hasce reliquias jam ab anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo per Godefridum de Carni Equitem Burgundia oriundum Ecclesiæ Lireiensi Diœcesis Tricassinæ in Campania dono datas esse, inde vero succedentibus annis Camberium translatas ob turbas, quas in Galliis Joannes Burgundiæ Dux suscitasset; his tamen sedatis, denuo Lireiensi Ecclesiæ redditas, & usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium ibidem asservatas esse, quo denique anno Margaritha Carna easdem Sabaudiæ Duci donavit. Taurinum delatæ dicuntur anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, dubiæ vero fidei innituntur cetera, quibus easdem Constantinopoli durante obsidione extractas contendunt Auctores; quippe P. Adornius Societatis Jesu natione Genuensis testatur, quod Magnus Rhodiorum Magister Amadæo Sabaudiæ

Camus prompt. sacr. antiq. Tricass. diæces.

Lirey

Sabaudiæ Duci, dum huic Insulæ a Turcis obsessæ opem laturus eo venisset, has reliquias dono dederit, ut eidem ob præstita Equestri huic Ordini auxilia gratitudinis suæ monumentum relinqueret. Bailletus fusiore calamo hanc translationem prosequitur; verum ex cunctis ab eo relatis minime apparet, sacram Sindonem Constantinopoli anno, quo urbs capta est, ereptam fuisse, eoquod Godefridus de Carni, qui thesaurum hunc jam antea possederat, eundem in Ecclesia Lireiensi, quam anno salutis supra millesimum trecentesimo quinquagesimo tertio extruxerat, deposuisset, ut voti a se nuncupati religionem exsolveret. Idem suis Canonicis significasse dicitur, se hunc thesaurum ab Infidelibus jure belli acquisivisse, qui quamprimum publicæ fidelium devotioni exponebatur, confestim ad hanc Ecclesiam ingentem populi multitudinem atraxit. Verum Henricus Pictaviensis, Episcopus Tricassinus, de veritate harum reliquiarum necdum satis firmo edoctus argumento, eas exponi prohibuit; nihilominus Godefridus de Carni junior, primi Fundatoris Filius a Legato (*) Clementis VII. impetravit, ut

Sæcul. XV. A. C. 1453.

Baillet. Vit. Sanct. in fest. mobil. ad fer. sext. in Parasc.

(*) *Hic erat Petrus Torcy Cardinalis tit. S. Susannæ.*

Sæcul. XV. A.C.1453.

ut sacræ huic Sindoni consentiente Episcopo publici tantæ rei debiti deferrentur honores; quapropter Canonici sacras hasce reliquias, quas viginti quatuor annis inclusas servabant, illico publicæ fidelium venerationi magno cereorum, aliorumque ornamentorum apparatu exposuerunt. Cum vero Petrus ab Arciers eo tempore Episcopus Tricassinus edito libello impostoras, quibus fideles deciperentur, detegens, (*) hanc expositionem prohibuisset, Canonici ad Clementem VII, qui tum Avenione residebat, recurerunt: Papa hujus Antistitis rationibus aures præbens, Apostolicis literis die sexta Januarii Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo datis S. Sindonem exponi permisit, absque tamen ornamentis, atque cereis, affixa quoque inscriptione, qua illam non esse genuinum Christi Domini sudarium, sed illius duntaxat effigiem, sicut ceteræ essent imagines, significaretur. Canonici hac Pontificis sententia moti, sacras hasce reliquias denuo inclusas servabant: quæita fide-

(*) *N. P. Honoratus a S. Maria Carm. Dist. in suis animadversionibus in Regulas Criticas tom. 3. lib. 5. Dissert. 6. artic. XI. Bailletum refutat, ac harum reliquiarum veritatem vindicat, quapropter eximium hunc Criticum præ ceteris consulendum existimamus.*

fidelium oculis subductæ usque ad annum millesimum quadringentesimum decimum octavum permanserunt, quo illas iidem Canonici civilibus exortis dissidiis, apud Humbertum de Rupe Comitem, ac Villeriæ-Sessellii Dominum deposuerunt. Hujus conjux Margarita Carna sacram Sindonem retinuit, insuperhabita sententia a Senatu Dolæ in Burgundia pronuntiata, qua eandem restituere jubebatur, etiamsi jam antea alio decreto nobilis hæc femina has reliquias Lireiensibus Canonicis, data pecuniarum summa, solidis tribus adhuc annis retinendi facultatem obtinuisset. Dum hæc Dolæ gerebantur, ipsa anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo Camberium profecta reliquias suas Annæ Cypriæ-Lusignani Sabaudiæ Ducissæ dono dedit, erecto donationis instrumento die vigesima secunda Martii, eademque occasione Ludovicus Sabaudiæ Dux illa numismata, quorum supra meminimus, cudi curavit. Canonici Lireienses, comperta reliquiarum donatione, Margaritam Carnam in jus vocarunt apud Bisuntinum sacri fori Judicem, quem *officialem* vulgo vocant. Hic anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo eam excommunicationis sententia affecit, quæ tamen idcirco donationem nequaquam revocavit, donec tandem Sabaudiæ Dux

Sæcul. XV. A.C.1453.

Act. app. Chiffler. pag. 105.

Sæcul. XV. A C. 1453. anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto Lutetias veniens, re cum Canonicis compoſuiſſet, atque illis quinquaginta libras auri minoris ponderis in annuos reditus dare pollicitus eſſet, ſalvo ſibi ſacram Sindonem retinendi jure. Amatus Dux, ejusdem Filius in illius honorem Camberii in arce ſacellum exſtruxit, quod Paulus II. anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo in Eccleſiam Collegiatam erexit. Poſtea ſacrum hoc Sudarium primo translatum eſt Vercellas, inde Nicæam, ac denuo Vercellas, tandemque vigeſimo ſexto poſt anno, nimirum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Camberium reportatum eſt. Denique Emanuel Philippus Sabaudiæ Dux, ne S. Carolus ſacras haſce reliquias veneraturus pedeſtri itinere Camberium usque progredi compelleretur, easdem Taurinum transportari curavit, ubi ad noſtra usque tempora in Eccleſia metropolitana aſſervantur.

§. CXXVI.

Mahometis fœdus cum Peloponneſi Principibus.

Ut nihil memoratu dignum, quod Conſtantinopolitanam cladem attinet, omittamus, referre adhuc oportet id, quod Chalcondyles literis proditum reliquit, ex

ex cujus relatione discimus, quod Principes Peloponnesi, Demetrius & Thomas Constantini Imperatoris fratres, cognita urbis hujus amplissimæ deprædatione, in Italiam cum Græcorum clarissimis auffugere voluerint, sed a Mahomete in fœdus, & amicitiam recepti, mutato consilio substiterint, quinimo ab eodem etiam suppetias acceperint, ut harum ope Manuelem Cantacuzenum, quem rebelles eorum subditi sibi Principem constituerant, ad obsequium cogerent. Hæc Phranzes refert, ad sequens tamen biennium rejicit. Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CXXVII.

Æneæ Sylvii exhortatio ad Principes adversus Turcas.

Cuncti Principes Christiani, præcipue vero, qui Sultani ditionibus viciniores erant, aut imminentibus Ecclesiæ malis commoti, aut de rebus suis potissimum solliciti, ad Constantinopolitanæ urbis excidium vehementer doluerunt. Nicolaus Papa, qui hactenus, licet irrito conatu, auctoritatem suam sæpius interposuerat, quo pax inter Principes componeretur, nunc id instantius urgere cæpit. Ipse quoque Fridericus Imperator diversos ea de re habuit conventus, tam Pontificis sollicitationibus, quam Æneæ *Æn. Sylv. epist.* 155. & 163.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Sylvii Senensis Episcopi hortationibus stimulatus, qui pariter ad Nicolaum Cardinalem S. Petri die vigesima prima Julii scribens, eundem rogavit, quatenus summum Pontificem, atque universum Cardinalium Collegium induceret, ut in tantis rerum angustiis omnes vires colligerent, neque labori, neque sumptibus parcerent, quo gravi adeo malo remedium quærerent. Inde hortabatur, ut Reges, ac Principes ad quemdam vocarentur locum, illisque mala, quibus modo Religio pressa ingemisceret, exponerentur, ut de opportunis solidæ pacis inter Principes stabiliendæ mediis deliberatio fieret, tandemque sacram ubique militiam denunciandi necessitas ob oculos poneretur; cum omni ope, & opera in id incumbere jam oporteret, ut infensissimi Ecclesiæ hostes ab ejus gremio ejicerentur. Addebat, egisse jam sese hac super re cum Imperatore, illiusque animum æque ac ceterorum Germaniæ Principum ad suscipiendam ejusmodi expeditionem oppido propensum inveniisse, nec dubitandum, quin in aliorum quoque Principum cordibus idem ferveret studium; ad id enim Hungaros, Bohemos, atque Polonos ipsa loci, hostis, ac proin etiam periculi vicinitate admonitum iri; cum ergo Christiani Turcis longe superiores forent, de cetero, quo minus

nus in eos arma verterent, nihil obstare, nisi eorum vel socordiam, vel dissensionem; utraque ergo rejecta, si non auri, vel inanis gloriæ cupiditate stimulati, sed unice Fratrum suorum salutem, ac fidei Christianæ incrementum procurandi studio accensi arma sumerent, Deum quoque abs dubio potenti ope præsto futurum, suamque Ecclesiam defensurum. Sæcul. XV. A. C. 1453.

§. CXXVIII.

Vehemens Epistola Æneæ Sylvii ad Papam.

Misit quoque Æneas Sylvius literas ad ipsummet Papam, in quibus eidem ob oculos ponebat, ipsi præ reliquis Constantinopolitanæ urbis excidium magis esse deplorandum; si vero omnibus viribus Turcas propulsare, urbemque illis eripere negligeret, eundem nomini suo turpissimam inusturum maculam; nihil enim Pontificia dignitate indignius fore, quam si in fastis ejus referretur, sub Pontificatu Nicolai V. urbem Constantinopolitanam a Turcis fuisse captam, licet ipse miseræ civitati opem ferre, omni contentione studuisset, sicque famam ejus absque propria culpa obscurandam. Hortabatur demum Papam, ut ea sedulo exequeretur, quæ per Cardinalem S. Petri proposuisset Imperator; hunc enim, Syl-

Sæcul. XV. A.C. 1453.

vius dicebat paratum ad omne id exequendum, quicquid Sanctitas sua pro communi utilitate opportunum judicaret. Alteram adhuc epistolam Dionysius Carthusianus tum ad ipsummet Papam, tum ad Principes, Episcopos, atque Magnates perscripsit, in qua significabat, Deum peccata Christianorum urbis Constantinopolitanæ excidio castigasse, vitam proinde emendarent, omnique studio recens illatam Ecclesiæ injuriam vindicarent.

§. CXXIX.

Mahometis bellum in Scanderbegum.

Scanderbegus sub Mahometis II. imperio variis bellis septem aut omnino octo exercitus, quibus eum Turcæ obruere moliebantur, jam vincere assuetus profligavit, nec aliquando, ut fama fert, ullo vulnere saucius, quamvis propria manu duo millia Turcarum & amplius trucidasset. Sultanus hanc cladem ulturus, capta Constantinopoli, totam belli vim adversus Scanderbegum exonerabat, urbemque Sphetiam in potestatem suam redegit, an vero ipse Mahometes bello præsens fuerit, incertum est; quippe, Barletio teste, Mahometes ipse non adiit Albaniam; intelligendum igitur hoc de ipsius belli Ducibus, quos frequenti admodum clade Scanderbegus protriverat, adjutus

adjutus copiis Regis Alphonsi, quocum arctam amicitiam contraxerat. Ast, cum præcipuus ipsius Bellidux, qui Moyses vocabatur, seditionem moveret, regnum ejus ad extremas pene anguſtias redactum fuisset, nisi Scanderbegi prudentia turbas sedasset, cum ipsum perduellium caput non modo ad officium reduxisset, sed etiam in pristinam amicitiam, ac humanitatis officia rara prorsus magnanimitate eundem recepisset. Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CXXX.

Conjuratio in Nicolaum Papam a Stephano Porcario mota.

Nicolaus V. sub prima Pontificatus sui auspicia certum quemdam, nomine Stephanum Porcarium, qui statum Ecclesiæ turbare tentaverat, Bononiam relegabat, cum mandato, ut singulis quibusque diebus Bessarioni Cardinali, qui tum urbis Gubernator erat, sese sisteret: Verum Stephanus simulata ægritudine Cardinalem studiose circumveniens, clam Romam rediit, ubi sese eorum factioni adjunxit, qui cum illo conspiraverant, & nonnisi opportunam populum concitandi occasionem avide præstolabantur. Hos inter decretum erat, ut solemni Epiphaniæ die populum Romanum ad libertatem expetendam sumptis armis incita-

Antonin. tit. 22. cap. 12 §. 4.

Æn. Sylv. Europ. c. 54.

Platin in Nicol. V.

Sæcul. XV. A.C. 1453

incitarent, simulque Pontificem, ejusque Cardinales eodem die in æde D. Pauli sacra facturos caperent; hunc in finem etiam catenam auream paraverant, qua Pontificem vincirent, non quidem, ut mox neci darent, sed, ut inquiebant, tamdiu captum detinerent, donec ipsi arcem S. Angeli occupassent. Papa accepto conjurationis hujus nuncio, Porcarium Romæ quam diligentissime conquiri, atque ex quadam cista, cui sese incluserat, extractum comprehendi, confessumque ad mortem condemnari jussit, qui proin ad muros arcis S. Angeli suspensus est. Complices quoque partim in eadem, ubi convenerant, domo, partim in præfata arce, partim in Capitolio idem supplicii genus subierunt, ex quibus unus Baptista Sciarra per medias Pontificis cohortes viam gladio sibi aperiens effugit, nec ultra unquam comprehendi valuit.

§. CXXXI.

Alvari Lunæ infelix exitus.

Marian. lib. 22. c. 12. & 13

Hoc eodem anno Alvarus Luna Joanni Castellæ Regi amicissimus meritas scelerum pœnas dedit. Mariana hunc Virum describens ait: Fuit in eo ardens ingenium, aptus sermo, sed cum aculeo facetus, profunda calliditas, atque simulatio, audacia, superbia, & ambitio, ex quibus

quibus veluti, unaque ex fraudibus compositus videbatur. His acceſſit aliorum vilipenſio, & difficilis ipſum adeundi facultas. Præterea adeo immoderatis iracundiæ motibus ſe abripi patiebatur, ut nulli ſuorum inimicorum unquam parcere ſolitus eſſet. Ex quadraginta quinque annis, quos in Aula duxit, per triginta circiter ſumma, tantaque in omnes poteſtate uſus eſt, ut cuncta ad ejus imperium gererentur, adeo, ut ne veſtes quidem Rex, aut famulos, aut aulæ miniſteria niſi ex ejus voluntate mutare poſſet. Paucis, nihil illi ad regnum præter Regis nomen deerat, cum ceteroquin ad arbitrium ſuum omnes Regni urbes, & arces, aurique & argenti immenſam vim, & profuſa liberalitate ſua omnium civium ſtudia ſibi devincta teneret. Haud equidem latebant Regem Alvari, quem in paucis carum habebat, vitia ; ſed nil contra movere audebat. Tandem vero indies creſcente ejus faſtu ad Regem deferebatur, eum in Regno bellorum incendia ſuſcitaſſe, præterea aliorum ſpoliis divitem ſe reddidiſſe, atque auro corruptum obſtitiſſe, ne Granatenſis urbs Mauris eriperetur. Igitur horum criminum convictus, die quinta Aprilis in ædibus ſuis manu armata obſeſſus, ſecuritate a Rege promiſſa nihil eum per injuriam paſſurum, ſemetipſum tradidit. Cum

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Sæcul. XV. A.C.1453. Cum autem juſtitiæ leges promiſſi fidem ſervare prohiberent, quinta Julii Valliſoleti ſententia mortis in eum lata capite truncatus eſt, quod ubi amputatum fuerat, haſtæ infixum, corporis vero truncus tribus omnino diebus in ferali pegmate expoſitus manſit, cui pelvis apponebatur, ut a fidelibus ſtips colligeretur, unde ſepeliri poſſet; triſti prorſus tanti Viri fato, qui triginta annorum decurſu tantas ſibi divitias corraſit, ut paulo ante Regum ferme potentiam æquaret.

§. CXXXII.

Ladislaus juvenis coronatus Rex Bohemiæ.

Cochl. Hiſt. Huſſit. l. 11. Labente eodem anno Ladislaus Juvenis tredecim circiter annos natus Bohemiam petiit, ubi Pragæ ſummo honore *Dubrav. l. 29* exceptus, a Joanne Epiſcopo Olomucenſi, ſeu juxta alios, a Dionyſio Cardinale, & Archiepiſcopo Strigonienſi regni coronam accepit in feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ die vigeſima octava Octobris. Celebrabantur ſolemnia ritu Catholico, quamvis Podiebracius urbis Præfectus Huſſitarum ſectæ addictus eſſet, & Rochiſana horum hæreticorum princeps Archiepiſcopalem ſedem uſurparet, cujus tamen Rex juvenis nullam rationem habuit, nec unquam cum iis, qui

qui se ab Ecclesiæ doctrina segregarunt, societatem inire voluit, ita ut eorum sacella, quamvis instanter rogatus, intrare constantissime recusaret. Quinimo cum aliquando a Rochisana quidam Sacerdos Hussita in arcem immissus esset, ut coram Rege Rem divinam perageret, is adeo rem detestabatur, ut misso protinus satellitum suorum Præfecto, profanum hunc sacerdotem, nisi mox abiret, ejici extra sacellum, & de proxima arcis rupe præcipitem agi præciperet. Cum etiam Rochisana quondam sacram Eucharistiam solemni ritu per urbem deferret, Rex nullum reverentiæ signum exhibuit, percunctantibusque aulicis suis, quid rei subesset, respondisse fertur: *Mihi cavendum, ne dum Christum Deum manibus hæretici delatum adoro, sacrilegum presbyterum popularibus approbasse videar, quorum plerumque mores ex Principe pendent. Nec illi me Deum contempsisse putabunt, cujus sacratissimum Corpus in Catholici Presbyteri manu summis semper honoribus prosecutum viderunt.* Hanc ob rem, cum Ladislaus ad anni hujus finem Austriam repetere meditaretur, ex Hussitarum nemo unus eum urbe excedere lætabatur.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CXXXIII.

Secul. XV. A.C.1453.

§. CXXXIII.

Rex Galliæ Angeriacum petit Burdegalam expugnaturus.

Joa. Chart. Hist. Carol. VII.

S. Jean. d'Angely.

Chalais.

Ineunte Vere Galliarum Rex exercitum ſuum educens, primo Luſignanum in Pictavia, dein Angeriacum petiit, Burdegalam recuperaturus. Hunc in finem Jacobus Chabannius Regii Palatii Præfectus, & Pentiverius Comes expeditioni initium dabant ab obſidione Caleti, qua urbe expugnata præſidiarius miles captus, vitæ tamen gratiam obtinuit, exceptis octoginta civibus, qui ſeditionem ſuam capite luerunt. Parta hac victoria exercitus Duranio amne vectus Caſtillonium usque proceſſit, urbem expugnaturus. Aſt Talbotus Anglorum Bellidux comperto Gallorum itinere conſeſtim eductis Burdegala quinque peditum millibus die decima ſeptima Julii Gallis occurrit, ac primo quidem Abbatiam prope Caſtillonium adoritur, quam etſi Gamachius illius Gubernator ſtrenue tueretur, hoſtibus tamen ſeſe imparem videns, ſervatis ordinibus, pugnaque continuata pedem retulit, ubi circiter centum viginti ſuorum amiſit, licet ipſemet prope in captivitatem incidiſſet.

§. CXXXIV.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CXXXIV.

Prælium Gallorum cum Anglis. Talboti obitus.

Talbotus hiſce victoriæ auſpiciis haud contentus, ut ardore militis ſui primo ſucceſſu elati opportune uteretur, ipſa caſtra Gallorum adoriri ſtatuit, falſo incenſus rumore, quo a Caſtillonenſibus percepit, Gallos jamjam fugam meditari; verum haud parum obſtupuit, cum Gallorum caſtra adeo munita, eosque hoſtem ſuum intrepido pede excipere paratos inſpectabat. Nihilominus in eos irruit Talbotus, equo parvo inſidens, ex quo toto prælio nunquam præ ſenio deſcendit. Jam ſolidam horam acerrime dimicatur, cunctis magno utrinque robore ac virtute de palma certantibus; ſed cum prima Gallorum acies pugnæ laboribus nimium fracta eſſet, opportune illis Britanniæ Ducis copiæ, quas Hunaldega & Montalbanus duxerant, ſufficiuntur, quæ tanto impetu in hoſtem irruunt, ut Angli tandem terga vertentes celeri fuga ſe ſubducerent. Talbotus, primum equo ſuo amiſſo & ipſe demum tormenti globo ictus obiit. Hic fuit exitus illuſtriſſimi hujus Anglorum Belliducis, qui diu præ ceteris omnibus majorem Gallis terrorem incuſſit. Fortu-

Joa. Chart. loc. cit. p. 264.

Sæcul. XV. A.C.1453.

næ suæ socios habuit Filium suum, Insulam nomine, nec non alios plusquam triginta Anglos Equites, qui cum quingentis, aut ferme suorum sexcentis in prælio occubuerunt. Altera die Castellonium deditionem fecit, mille quingentis præsidiariis militibus captis: ceteræ quoque urbes paulo post in obsequium Regis rediere; vix enim conspectis Gallorum copiis fanum S. Milionis, S. Marcarii castrum, Liburna, Langonia, Villandrasia, Fronsacum, & Castellio apud Medulos Victoribus cesserunt: quas inter tamen postrema civitas quindecim dierum obsidionem sustinuit. Cadillacum quoque præ ceteris omnibus pertinaciore audacia usque ad mensem Octobrem obsidionis impetus elusit, qua die tamen urbs Regis potestati vindicata, ac præsidiarius miles jure belli in captivitatem abductus est, urbis vero Præfectus, Gallardetus nomine, capitis amputatione rebellionis suæ pœnas luit.

§. CXXXV.

Burdegalæ obsidio, & deditionis articuli.

Victoriæ cursum sola sistebat Burdegala, quæ urbs alterum jam mensem terra, marique cingebatur. Urbis hujus Præfectum pro Anglis agebat Cadmus, qui

qui ex natione sua præsidiarios numerabat quater mille, & amplius, ex indigenis vero totidem, aut forte plures. Jubebat præprimis naves omnes toto velorum, remorumque apparatu spoliari, ac funes etiam abscindi, ut milites suos prærepta omnis effugii spe eo facilius in officio contineret. Cum vero obsidio a prima Augusti ad decimam septimam Octobris diem protraheretur, atque præter commeatus penuriam Angli etiam suppetias sibi mittendas desperarent, obsessi, cum vicinas urbes jamjam subactas comperissent, & ipsi ditionem urbis offerebant. Sæcul. XV. A. C. 1453.

Rex eorum postulatis eo faciliores præbuit aures, quo grassantis pestilentiæ vis majorem stragem Regiis copiis intulerat. Igitur sanciuntur deditionis articuli, quibus statutum, ut Burdegala Regi traderetur, omnesque illius incolæ deinceps eidem fidem præstarent, sacramento etiam dicto, se nunquam ultra quicquam contra Carolum Franciæ Regem moturos, sed eum tanquam unicum ac supremum Principem suspecturos; Angli vero vel in Patriam suam, vel Caletum redeant; Rex demum ex hujus Provinciæ Nobilibus viginti seligat, qui Regno exulare jubeantur. Hos inter erant Espartius, Durasius, aliique nonnulli. Ceterum Petrus Bellovacus, & Ja-

Sæcul. XV. A.C.1453.

cobus Chabannius ipso obsidionis tempore occubuerunt, non sine ingenti ceterorum luctu. His peractis suprema Aquitanniæ Præfectura nomine Regis commissa est Claromontio, cujus imperio simul adjecta est validissima militum manus, qua omne seditionis periculum præverteret, turbasque sedaret. Cum vero hæc urbs non modo commercii opportunitate, sed etiam conjugiorum frequentia arctiorem cum Anglis teneret societatem, ideo Rex ad continendam animorum inconstantiam duas arces, seu propugnacula anno sequenti erexit, quorum unum extremæ urbis parti, alterum flumini adjacet.

§. CXXXVI.

Sententia adversus Joannem Cordis.

Joa. Chart. Hist. Car. VII. p. 281.

Die decima nona Maji Cancellarius Franciæ, Rege præsente sententiam pronuntiavit adversus Joannem Cordis, his articulis comprehensam: Illius bona Fisco adjiciantur; vitæ gratia ei fiat, sed Christianum adolescentem, quem Saracenis tradiderat, ex ipsorum manibus, si id adhuc fieri possit, quoviscunque demum pretio redimat; sin minus, alium Christianum ex Turcarum servitute soluto lytro liberet; ob pecunias a Regiis subditis

Monstrelet. vol. 3.

tis exactas centenis aureorum millibus mulctetur, reliquis suis quibuscunque bonis ærario Regis addictis. Insuper omnibus honoribus, atque muniis privetur, & ad quæcunque imposterum obeunda incapax, perpetua etiam exilii pœna ex tota Francia ejiciatur; ac denique pedibus, & capite nudus manu facem decem librarum gestet, veniamque roget. Nihilominus mense Augusto Anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi septimi a Rege quorumdum bonorum suorum restitutionem impetravit, quibus mox divenditis in Orientem profugit, ubi vitam suam adversus fidei Christianæ hostes profudit, ut constare videtur ex illis verbis, quæ in Ecclesiæ Bituricensis Sacristia, sumptibus ejus extructa, insculpta leguntur: *Dominus Jacobus Cordis miles, Ecclesiæ Capitaneus generalis contra Infideles &c.* Unus ex Filiis ejus erat Joannes Archiepiscopus Bituricensis, Vir insigni pietate, & doctrina, atque in Ecclesias suæ Diœcesis munificentia celebris.

Sæcul. XV. A.C. 1453.

Gaguin. l. 10

§. CXXXVII.

Theologus de veneficio delatus, ac damnatus.

Sub hæc etiam Guilielmus Edelinus Theologiæ Doctor Prior ad S. Germanum de Laja quondam Ordinis S. Augu-

Chart. loc. cit. p. 281.

Sæcul. XV. A C. 1453.

ſtini Alumnus condemnatus eſt, eoquod dæmonem ipſum, ut illuſtris fœminæ amorem ſibi conciliaret, in opem vocare, atque ad Magorum conventus ſeſe conferre non dubitaſſet. Quapropter apud Ebroicas die vigeſima tertia Decembris, quæ erat Dominica, in eum lata eſt ſententia, ut perpetuo carceri incluſus, ſolo pane, & aqua victitaret. Haud equidem inficiamur, laſcivum hujus amorem digna prorſus pœna fuiſſe mulctatum; Magiam vero, de qua accuſabatur, quod attinet, merito cum celebri quodam prioris ſæculi Scriptore afferere poſſumus, perſæpe ejusmodi conventicula nonniſi a læſæ Phantaſiæ, vel atræ bilis vi ortum ducere. *Multi*, inquit ille, *ſæpe extiterunt ſortiarii ſinceri, hoc eſt, qui ſe revera tales exiſtimabant, qui omnibus ingenue nunciabant, ſe Sabbathum frequentare, idque tam alte imbiberant, ut quamvis multi, poſtquam prope illos pernoctaſſent, affirmarent ipſos e lecto non egreſſos fuiſſe, ab illa tamen opinione dimoveri non poſſent.* Plurimorum quoque ſæculorum experientia comprobatum habemus, quod capitalibus ſuppliciis Magorum numerus nullatenus decreſcat, ſed quo ſæpius judicia contra Sagas inſtituerentur, eo magis quoque ſuperſtitioſa credendi facilitas, ac mala inde promanantia augeantur. Hac de cauſa abs dubio Pariſienſe Parlamentum

P. Mallebrancius lib 2. de inquiſ veritatis cap. ult.

mentum cunctos, qui de Magia accusantur, innoxios dimittit, nisi simul veneni propinati convincantur; si vero quosdam alios capitis damnat, solerter cavet, ne quid sententiæ capitalis tabulis inferatur, quo plebs in sua de incantationum vi, nocturnisque congressibus, in quibus diabolum adorari credunt, opinione firmari posset. Sæcul. XV. A.C. 1453.

§. CXXXVIII.

Seditio a Brugensibus & Gandavensibus mota.

Nec Burgundiæ Dux in Flandria ab adversa Fortuna penitus immunis permansit; Brugenses quippe antehac rebelles Ducem suum denuo in urbem receperant, ut seditionis culpam saltem specietenus repararent. Ast Duce vix urbem ingresso, in ejus milites irruunt, & plusquam centum trucidant, quos inter etiam Liladamus numerabatur. Ipse quoque Dux extremo vitæ periculo expositus, ægerrime eorum manus per portas civitatis effugit. Tum seditiosi prospero hoc successu elati, in totam quaquaversus regionem prædatum excurrebant. Verum cum aliæ urbes eorum temeritatem redarguerent, ipseque Dux cum validis copiis ad urbem expugnandam adventaret, illorum furor deferbuit. Inde Ducis clementiam implorabant,

Sæcul. XV. A. C. 1453.

veniamque rogabant, quam tamen nonnisi duris admodum conditionibus impetrarunt; ducenta quippe aureorum millia pendere compulsi, ac compluribus urbis immunitatibus spoliati sunt; præterea duodecim aut quindecim præcipui seditionis incentores capite plexi.

Neque hic infesta Ducis fortuna stetit, sed aliam longe atrociorem in ejus caput tempestatem concitarunt complures Gandavensium seditiones, inter quas tamen maximi discriminis erat ea, quæ ineunte hoc anno fuit conflata. Duxenim in Flandria stabili lege ex salis commercio vectigal imponere moliebatur, & pro quolibet cado salis viginti quatuor sextarios monetæ vulgaris pendi præcipiebat. Gandavenses potius extrema quæque perpeti, mortemque oppetere, quam ejusmodi oneri subjacere decreverant, Galliarum Regis præsidio confisi, qui etiam pro tuenda Gandavensium caussa ad Burgundiæ Ducem acres admodum literas dedit. Cum vero Burgundus acriori adhuc calamo rescripsisset, Rex extraneo cum Anglis bello nondum expeditus, intestino sese implicare haud consultum censuit. Nec tamen propterea Gandavenses animo conciderant, sed quinque sexve præliis devicti ob ipsosmet hosce infaustos belli succes-

sus

sus vehementiori vindictæ studio exar- Sæcul. XV.
serunt. A.C. 1453.

§. CXXXIX.

Gandavenses puniti.

Cum autem primo Ripelmundæ, ac demum Graviæ desideratis suorum viginti millibus gemina clade profligati essent, adeo viribus contriti permanserunt, ut deditionem eflagitare compellerentur. Igitur duo millia hominum nudis pedibus, detectoque capite, omnesque urbis Senatores, Consules, atque Ministri, nonnisi interulam indati, solidam leucam Duci, ejusque filio obviam progressi, utriusque clementiam exorabant; quam quidem a Duce impetrarunt, ea tamen lege, ut illam urbis portam, qua ad Ripelmundanum prælium egressi sunt, muro in perpetuum obstruerent; quadringenta millia Ducatorum penderent; cunctaque vexilla Duci offerrent, ejusdem arbitrio committenda; denique suas consuetudines ac privilegia immutari paterentur.

§. CXL.

Fœdus Galliarum Regis cum Helvetiis.

Anno ad mensem Aprilem vergente, Galliarum Rex ab omni Anglorum metu solutus, cum Helvetiis fœdus sanxit, *Jo. Chart. Hist. Car. VII.*

Sæcul. XV. A.C. 1453.

xit, comprehenso quoque pago Tigurino, qui a tractatu Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto inito excluſus erat, eoquod illo tempore adverſus reliquas Helvetiæ tribus cum Duce Auſtriaco amicitiæ vinculo junctus eſſet. P .ctionis hujus capita non equidem mutuam defenſionis, atque offenſionis neceſſitatem imponebant, ſed Helvetii duntaxat fidem dabant, ſe cunctis Franciæ inimicis per omnes eorum pagos tranſitum intercluſuros, Gallis vero liberam negotiandi, ac tranſeundi facultatem conceſſuros. Rex vero pro ſe ſuisque ſucceſſoribus pollicebatur, ſe nunquam Helvetiæ hoſtibus opem laturum, nec ſubditis ſuis, ut contra ipſos arma ſumerent, permiſſurum; de cetero autem eisdem omnem commercii, & aditus libertatem ad totum Franciæ regnum conceſſurum.

§. CXLI.

Principum Conventus Ratisbonenſis.

Cum Nicolaus Papa iteratis precibus cunctos Chriſtiani orbis Monarchas ad reprimendos Turcarum ſucceſſus ſollicitaret, Germaniæ Principes ex mandato Friderici Cæſaris Ratisbonæ ad Danubium convenerunt, ut ibidem de bello ſacro tractantes ſummo Pontifici ſatisfacerent, rebusque propriis melius proſpice-

spicerent; quippe Mahometis potentia, utpote hostis adeo vicini, communem omnium occupabat sollicitudinem. Adfuit quoque Philippus Burgundiæ Dux, domitis Gandavensibus otium nactus; Cæsar vero, quamvis spem feciſſet sui adventus, in Austria permansit, bello Hungarico implicitus: duos tamen Barones, totidemque Episcopos, scilicet Ulricum, & Æneam Sylvium præter Nicolaum Cardinalem S. Petri ablegavit. A Nicolao Pontifice missus est Joannes Episcopus Papiensis, per quem Papa in tantis angustiis Christianæ Religioni adeo funestis omnem opem, & operam offerebat. Æneas in primo consessu ad Principes orationem habuit tanta verborum gravitate, ut nullus omnino fuerit, qui non expeditionem in Turcas adornandam censeret. Ceterum inter omnes zelo fidei eminuit Burgundiæ Dux, qui præter facultates vitam quoque ipsam expositurum se ajebat, si modo Princeps alius ad bella gerenda idoneus, cui comes esse posset, itineri sese accingeret. Placuit insuper exquirere auxilia Francorum, & Italorum, quorum isti Equitum phalanges mitterent, hi vero validam classem, quam ceteroquin nullo ferme negotio instruere valerent. Decernebatur postea alius Conventus apud Francofordiam ad diem vigesimam nonam Septembris cogendus,

Sæcul. XV. A. C. 1454.

Sæcul. XV. A C. 1454. gendus, in quo delectus militum fieret, & ad alendas copias neceſſariæ perquirerentur expenſæ.

§. CXLII.

Burgundiæ Dux minus liberaliter habitus ab Imperatore.

Æn. Sylv. epiſt. 162. & comm. l. 2. Scriptorum nonnulli, quemadmodum zelum ac magnanimitatem Ducis Burgundiæ pluribus deprædicant, ita Imperatorem ſuggillare non dubitant, cum expenſarum metu a bello in Turcas movendo abſtinendum cenſeret; cujus avaritia (*) eo manifeſtius apparuit, cum Philippum Burgundiæ Ducem ad ſua redeuntem excipere recuſaret, miſſis in ejus occurſum, qui Cæſarem infirmitate detentum nuntiarent, ubi vel ideo morbum obtendiſſe videtur, ut ſumptibus pro recipiendo tanto Principe tamque liberali atque magnifico, qualis erat Burgundiæ Dux, parceret. Ceterum Philip-

(*) *Avarum ne dixeris, qui, ut neceſſariis provideat, ſuperflua reſecat; quam gravibus bellis Fridericus domi forisque oppreſſus fuerit, in Auſtriacis Annalibus peregrinus ſit, qui neſciat. Excuſabilis igitur eſt Fridericus ab hoc tenacitatis vitio; ſi forte adfuit. Maluit enim parcus videri, quam populi ſui ſumptibus in ejusmodi ſolemnitatibus magnificus haberi.*

Philippus vix a Nicolao Papa de Constantinopolitana clade edoctus, antequam iter in Germaniam susciperet, e vestigio quatuor triremes ad Papam misit, paulo post validiora adhuc pollicitus auxilia. Nec desunt, qui Philippum voto sese adstrinxisse referant, se habita Regis Francorum Domini sui venia, & ditionibus suis in quiete constitutis, castra adversus Infideles moturum. An id omnino Religionis amore præstiterit, dubitat Æneas, quin & insinuat, quod sese Turcarum nomini adeo infensum ostenderit, sive Patrem suum ulturus, quem Turcæ olim captum multo auro vendiderant, sive populi rumores aucupandi desiderio incitatus, cui vitio, inquit Æneas, pars maxima Principum inservit. Unde idem, se haud meliorem de Francofordiensi, quam Ratisbonensi Conventu spem concipere, concludit. Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CXLIII.

Pax in Italia a Monacho conciliata.

Sub idem tempus Monachus quidam Simonetus nomine, Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini, Vir prudentia, quam doctrina clarior, ad conciliandos tamen animos summe idoneus, eo Italos permovit, ut de mutua pace ac concordia

Secul. XV. A.C. 1454.

cordia agerent. Hanc ut eo certius procuraret, ultro citroque curſitabat, jam Venetos & Florentinos, jam Franciſcum Sfortiam convenit, tandemque tanta verborum vi cunctos ad concordiam permovit, ut pacem inter ſe ad principium Aprilis ſtabilirent. Viſum eſt omnibus res prodigio ſimilis, quod Vir vitæ quidem integritate, ac prudentia probatus, obſcuri tamen nominis, ignotus, omnique auxilio deſtitutus rem perficere potuiſſet, quam Pontifex ipſe cum univerſo Senatu Apoſtolico fruſtra molitus eſſet.

§. CXLIV.

Genuenſes ab hac concordia excluſi.

Igitur concordiæ leges ita pactæ fuere, ut ad præſtitutam diem omnes convenirent, pacemque ratam haberent. Ei Alphonſus ſubſcribere recuſabat, eoquod, inquiebat ille, ſe inſcio ac non ſine Regiæ auctoritatis contemptu facta eſſet. Miſſi ſunt itaque ad eum Legati, quos inter Cardinalis S. Crucis a Nicolao Papa decretus tanta dexteritate ac prudentia rem egit, ut pax illa, paucis quibusdam in Regis honorem mutatis, cum illo quoque in annos viginti quinque confirmata fuerit. Omnes Italiæ Principes in eam concordiæ ſententiam ivere, ſi Genuenſes exceperis, qui ab hiſce conventis excluſi fuere.

fuere. Enimvero Cardinalis S. Crucis, ceterique Legati nihil reliquum fecere, ut Alphonso ob oculos ponerent, Genuenses inter Italiæ Principes, qui mari pollerent, non in postremis habendos, eorumque cum ceteris unionem ad bellum in Turcas necessariam esse. His tamen Rex difficilem se præbuit, eosque ad concordiæ leges admittere recusavit, nisi certis subjacerent conditionibus, quæ tamen tales erant, quales ipsi acceptare omnino renuerent. Petiit enim ab eis, ut a quarumdam navium, quæ ipsis interceptæ fuerant, repetitione desisterent, & ad eum deferrent promissam olim pelvim auream, quam ab aliquot annis pendere ex eo intermiserant, quod non eam Rex privatim muneris instar, sed ut tributum publice, suisque Aulicis præsentibus accipere vellet. Nec deerant adhuc alia, quibus Rex permotus, pacem cum Genuensibus sancire noluit: Scilicet tam alte inhæserant Regis animo & captivitas sua, & clades in Corsicana Insula ab eis illata, ut nunquam ultra cessaret usque ad obitum terra marique eos vexare, etiam postquam ii Regis Francorum tutellæ sese commiserant.

Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CXLV.

Sæcul. XV. A C. 1454.

§. CXLV.

Joannis Caſtellæ Regis obitus.

Mariana l. 22. c. 14. & 15.

Joannes Caſtellæ Rex ſublato Alvaro luna, cujus tamdiu fuerat mancipium, die vigeſima Julii currentis anni lento morbo conſumptus, Valliſoleti obiit, cum quinquageſimum ætatis ſuæ annum necdum expleſſet, regnum tamen per quadraginta octo annos gubernaſſet; Elegit ſibi ſepulturam in Cœnobio Burgenſi, quod a Patre ſuo extructum Carthuſianis ipſe Monachis dederat: Regni autem & vitiorum ſimul hæredem habuit Henricum hujus nominis quartum, Filium ſuum triginta annos natum. Hic Blancam Regis Navarræ Filiam, quam ſibi uxorem duxerat, poſt decimum quartum annum, eoquod conjugalis in eam amor refriguiſſet, repudiavit, quam divortii ſententiam primum Adminiſtrator Segobienſis Eccleſiæ pronuntiavit, Archiepiſcopus vero Toletanus confirmavit, cum id ipſum permitteret Nicolaus Papa, non ſine totius terrarum orbis ſtupore. Senſerat illum Joannes Parens plurimum ſibi adverſantem; hinc Alphonſum alterum Filium ſuum potius ſibi ſucceſſorem nominare moliebatur; cum vero nonniſi ſeptem menſes natus eſſet, imbecillis ejus ætas & majorum turbarum metus Patris

conſi-

consilio obstiterat. Ceterum Henricus antiqua pacis fœdera cum Carolo VII Francorum Rege inita, & a Joanne Patre suo paulo ante mortem redintegrata firmavit. Sæcul. XV. A. C. 1454.

§. CXLVI.

Æneæ Sylvii Epistola de rerum statu illius temporis.

Æneas Sylvius die quinta Julii Epistolam scripsit, in qua sigillatim Principum Christianorum res, quo statu eo tempore fuerint, enarrat. Nos præcipuos tantum delibabimus articulos, ex quibus illius ætatis ratio luculentius perspici possit. Data est hæc epistola ad Leonardum, qui Æneam instanter rogaverat, ut omne studium, auctoritatemque impenderet ad sollicitanda Principum auxilia adversus Turcas. Æneas ad ea, quæ Leonardus de Italiæ rebus pariter perscripserat, respondit; res, inquit, in Conventu Francofordiensi tractanda ingentis sane molis est; pax autem illa, quæ summis Pontificum, ac Cardinalium curis præcipue vero vehementibus Simoneti Monachi hortationibus inter Italiæ Principes jam inchoata est, brevi plene perfici poterit; hos enim Principes bellum sat diuturnum fatigavit; hinc sibi persuasum habent, concordiam rebus suis esse sum- *Æn Sylv. ep. 49. & 58.*

Secul. XV. A C 1454.

mopere neceſſariam. Aſt Turcarum negotium, ne dicam perfectum, ſed pene intactum eſt, nec Galliarum Rex atque Imperator ſatis proſpiciunt, quid ſua demum interſit, ut contra Turcas arma moveant; cum ille ab inimico adeo remoto nil ſibi timendum exiſtimet, Cæſar vero ad pacem potius, quam ad bellum inclinet.

§. CXLVII.

Exigua ſpes Sylvii judicio de Francofordienſi conventu concipienda.

His præmiſſis Æneas Sylvius ſuas ſic literas proſequitur: felix fauſtusque Francofordienſis congreſſus non a ſolis Germaniæ Principibus dependet, ad eundem pariter vocandi ſunt Arragonum Rex, Genuenſes, Florentini, Senenſes, Lucenſes, quin & ipſe Franciſcus Sfortia Comes, licet necdum Mediolanenſi Ducatu inauguratus ſit. Præter hos accerſeri quoque debent Mutinæ Dux, Mantuæ, Montisferrati, & Saluciarum Marchiones; ad Reges vero Franciæ, Angliæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueviæ, Norvegiæ, & Scotiæ exarrentur literæ, ut & ipſi Legatos ſaltem ſuos ad comitia decernant: Equidem, ſubjungit Sylvius, adſunt Principes Germaniæ,

niæ,& jussi sunt Imperii status, ut suos mit- Sæcul. XV.
tant Oratores; nil tamen boni ex hoc A.C.1451.
conventu quantumcunque solemni speran-
dum; cum Christianis desit exercitus Dux, cui omnes parere vellent; nec summo Pontifici, neque Imperatori debita exhibebunt obsequia; illi ambo quidem sunt suprema velut capita: aut cum omni auctoritate destituantur, nil nisi nudum Nomen præseferre videntur. Præterea quælibet civitas suum habet Regem, totque sunt Principes, quot Nobiles; ex tot Ducibus in diversa studia, atque commoda privata abreptis nullus reperietur, ad cujus imperium ceteri arma sumere vellent; nec inter tot Reges vel ullus erit, cui suprema Christiani exercitus cura demandari poterit; atque ideo nonnisi confusio circa ordinem, militarem disciplinam, ac imperata exequendi studium orietur, imo & ipsa idiomatum diversitas, totque variarum Nationum indoles prospero armorum successui oberit. Insuper quis tam immensos suppeditabit sumptus? Nec minor occurrit difficultas de medio, quo præprimis Galli cum Anglis, Genuenses cum Arragonibus, Germani cum Hungaris, atque Bohemis concilientur. Denique si pauci contra Turcas ducentur, nullo ferme negotio profligabuntur, ingentique clade delebuntur; si multi, ac formidandus confletur exercitus, no-

Sæcul. XV. A.C.1454.

va exurget inter eos confusio. Porro alia adhuc erat causſa, ob quam Æneas optatum desperabat belli exitum, quod nempe nec Italia pace integra frueretur; cum, sancito jam fœdere, inter Arragonum Regem, & Genuenses adhuc belli flammæ glisicerent.

§. CXLVIII.

Pax Venetorum cum Turcis.

His obstaculis Æneas addit aliud ex eo ortum, quod Veneti comperta Constantinopolis expugnatione mox fœdus cum Turcis paciscerentur. Legarunt quippe ii Bartholomæum Marcellum ad Mahometem, qui nomine Reipublicæ cives captivos, eorumque bona bello erepta repeteret; quæ omnia perbenigne Venetis reddita fuere. Idem quoque refert, Marcellum novam cum Turcis pacem sanxisſe, ea tamen lege, ut ipsis quoque Venetis arma sumere, ac pro tuenda fide vires suas jungere liberum esſet, si Christiani Principes bellum Mahometi nunciarent. Ex quo, inquit Æneas, palam fit, quod Venetos omnino vocare, ac rogare, imo & urgere oporteat, ut fœdus cum Turcis initum dissolvant; alias succisa cadit omnis spes de felici expeditionis successu; cum enim maxima suadeat necessitas, ut infideles terra, mariquo

rique bello premantur, jam autem, si Itali deficiunt, nulla navalis belli spes supererit; Veneti enim ob fœdus cum Turcis sancitum opem ferre recusabunt; Genuenses vero Turcis omnino tributum pendere, atque aliunde ab Alphonso, ne bellum moverent, præpediri dicuntur. Præter hæc cum Arragonum Rex solus bello navali gerendo impar, & summi Pontificis classis haud numerosa sit, maritimæ expeditionis feliciter suscipiendæ spes penitus succisa est. Si autem terra Turcis bellum inferatur, Mahometes quieto Hellesponto innumeras propemodum copias ex Asia in Græciam nullo ferme negotio traducet: His accedit, quod Castellæ, Arragoniæ, Navarræ, & Lusitaniæ Reges voluntate & opinione inter se dispares sint. Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CXLIX.

Contentiones inter Joannem Navarræ Regem, ejusque Filium.

Videbantur equidem dissidia inter Castellæ & Arragoniæ regna quodammodo composita: ast acriore adhuc contentione collidebatur Navarræ Regnum, ubi nimirum Joannes Rex, & Carolus Vianæ Princeps ejusdem Filius capitales inter se inimicitias fovebant. Carolus a potissima Procerum parte maximi habebatur, *Mariana lib. 22. c. 15. & 19.*

Sæcul. XV. A.C. 1451.

bebatur, favebatque eidem Soror ejus Blanca, tanta Patris indignatione, ut eo, legitimo licet hærede, excluso Regnum in Comitem Fuxensem generum suum transferre cogitaret. Adeo autem Navarrensibus displicuit hoc consilium, ut illud elusuri, Carolum Pampelonis Regem proclamarent, etsi itinere ad Patruum suum Alphonsum in Italiam suscepto tunc abesset. Hæc non levia quoque erant Turcici belli obstacula; nec minus oberat bellum ab Henrico neo-electo Castellæ Rege adversus Mauros susceptum, propter quod ingentes collegit copias, quibus tamen nil nisi agrorum vastationes, ac incendia intulit, nec unicam urbem recuperavit, tanto Castellanorum dolore, atque pudore, ut ipsum Regem captivitati tradere molirentur, quæ tamen consilia ipse festino ad tutiora recessu elusit. Ceterum Alphonsus Italici soli amœnitate adeo delectabatur, ut nunquam in Hispaniam redire voluerit, quamvis plurimorum votis exoptatus, ejusque præsentia oppido necessaria esset, ut Navarræ Regem fratrem suum cum Nepote conciliaret.

§. CL.

Classis a Rege Lusitaniæ contra Turcas in Italiam missa.

Rex Lusitaniæ ceteris Religionis zelo arden-

ardentior validam classem destinavit in Italiam, quam reliquorum Principum navigiis jungere parabat. Verum hæ suppetiæ suo frustrabantur successu; plurimum enim in Italiæ Principibus fervens Turcas aggrediendi studium remittebat, ac præterea novæ succrescebant turbæ inter Senenses & Genuenses. Lusitani etiam, duce Henrico Alphonsi Regis Patruo, annuis navigationibus usque ad Promontorium bonæ spei, quod ad extima Africæ litora situm est, procurrebant, Christianæ Religionis studio, aut magis forte ibidem mercaturæ exercendæ desiderio accensi. Tentabat Joannes Castellæ Rex negotium istud impedire, eo obtentu usus, quod illa Africæ litora suarum ditionum pars essent; additis etiam minis, se eidem, ni consilium mutaret, bellum longe atrociſſimum illaturum. Reponebant Lusitani, se nihil contra jus, fasque moliri, proin spe lactari, Castellæ Regem, donec juris controversia maturius discuteretur, contra eos haud arma moturum. Finita tamen est lis per Castellæ Regis obitum, & pax contracto connubio Henricum inter Joannis Filium, & Joannam Regis Lusitaniæ sororem utrique Regno reddita est; aliis tamen diffidiis paulo post exortis bellum acrius erupit.

Secul. XV. A. C. 1454.

Marian. lib. 22. c. 17.

Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CLI.

Expeditio in Turcas ex Anglorum ac Gallorum bellis impedita.

Regi Franciæ, etsi toto regno propulsasset Anglos, militem extra Regnum suum educere, haud consultum videbatur, eoquod maritimas oras adhuc inquietas haberet, & repentinas ex Anglia classes timeret; Angli enim ad omnes concordiæ leges surdas præbebant aures, quamvis & ipsi in patria sua bellis intestinis divisi, ob incuriam Regis rebus exteris vacare haud valerent. Præterea Regni gubernacula usurpabat Richardus Dux Eboracensis, totisque votis, atque nisibus regnum affectabat, hinc Sommersetum, & Gloceſtrensem Duces, Regis propinquos in vincula conjecerat. Henricus temeritate facti commotus, excusso tandem sopore auctoritatis suæ nimium violatæ jura vindicatum ibat, quocirca utrumque Ducem carcere liberat, & Sommerseto administrationem Regni committit, quo munere non sine laude functus est. Hoc Regis imperio perculsus Eboracensis Dux ad sua abire decernit, saluti suæ prospecturus, paulo post tamem armata manu rediens, regno potitus est. Tantus turbarum concursus, addit Æneas, quid aliud ominatur, quam

nec

nec ab Anglis, nec a Gallis auxilia adversus Turcas speranda esse. Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CLII.

Aliud obstaculum ob dissidia Regum Septentrionalium.

Nihil erat, quod Scotos, Suecos, & Norvegios, qui omnes in ultimis quasi orbis finibus sedes suas habebant, & aliunde intestinis dissidiis detinebantur, ad bella extera in tam remotis regionibus gerenda movere posset. Scotorum enim Rex subditis suis rebellibus domandis occupatus erat, quorum caput Comes Duglassius tandem captus, debitas seditionis pœnas luit. Sueciæ ac Daniæ Reges occasione unionis horum regnorum bellis impliciti erant. Exstat præterea Christierni, seu Christiani Daniæ Regis epistola ad Fridericum Imperatorem, in qua literis, quibus ab eo ad conventum Francofordiensem vocatus erat, respondens testatur, nihil sibi gratius accidere, præter oblatam pro Ecclesiæ bono zelum suum probandi occasionem, quam prompte arripere vellet, si modo regnorum suorum res compositæ forent: interea tamen nihil polliceri se posse absque prævia Senatus sui consultatione, quem tamen sine longiori temporis intervallo congregare haud valeret. Se jam

Sæcul. XV. A.C. 1454.

in eo esse ajebat, ut bellum Norvegiæ Regno inferret: hisque remoris impeditum, quominus jam Cæsaris desiderio obsecundaret. Si tamen in præfato Germaniæ Conventu aliqua ad Religionis bonum utilia concluderentur, spopondit, non defuturum se ceterorum studiis, salvis tamen regni sui negotiis. Carolus quoque Suecorum Rex, quem Christiernus altero post anno regno expulit, numeroso exercitu ex Gothis, & Suecis collecto totam fere Daniam inundavit, tantasque in angustias Christiernum redegit, ut auxilia Principum inferioris Germaniæ implorare cogeretur, a quibus tamen exiguam tulit opem.

§. CLIII.

Odium Helvetiorum in Domum Austriacam.

Fabr. hist. Suev. l. 1. Dec. 19. ante fin.

His enarratis Æneas hunc in modum prosequitur: Principes, civitatesque Germaniæ continuis inter se diffidiis colliduntur; Helvetii etiam cum Ducibus Austriæ vetus, idque implacabile odium exercent, hujus populi aversio eo pervenit, ut nequidem nomen Austriacorum amplius audire velint, omnesque, qui illis vel verbo vel opere favent, sine judicii forma e vestigio occidant. Imo quod adhuc plus est, non modo Ducum insignia ex omnibus locis, ubi prius vise-

ban-

bantur, sustulerunt, verum etiam cum Austriæ Ducum insignia pavonis caudam referant, nullam ejusmodi volucrem in tota eorum regione tolerant, eumque, qui forte illius pennas in pileo gestat, mox indicta caussa jugulant. Hæc erant illa futuræ adversus Turcas expeditionis obstacula, quæ Æneas commemoravit, atque ex totius Europæ Principum statu, qui tunc temporis erat, hausit. Sæcul. XV. A.C.1454.

§. CLIV.

Poruſſi ad Regem Poloniæ deficientes.

Poruſſi jam aliquot annis querebantur de jugo haud tolerando, quo ab Equitibus Teutonicis premebantur sub Ludovico Herlihusio, qui jamjam ab anno quadringentesimo quinquagesimo supra milleſimum supremo Magistratu potiebatur; Hoc autem anno Poruſſi adversus eos insurgebant, atque sese Regis Poloniæ imperio subjicere moliebantur. Nicolaus Pontifex seditionem hanc per Legatum suum edoctus, Poruſſos sub anathematis comminatione ad officium reducere studuit; sed ii Papæ mandata flocci habebant. Imperator quoque Equitum caussam susceperat, ac Poruſſos imposita sex millium florenorum mulcta ad obsequium Teutonicorum Equitum redire jussit, qui eam Provinciam, ut inquie- *Æn. Sylv. Europ. c. 29. Krantz. 12.*

Secul. XV. A.C. 1454.

inquiebat ille, e manibus Infidelium tum proprio sanguine tum & dato pretio redemissent. Hac Imperatoris sententia Porussis nuntiata, ita eorum furor exarsit, ut armis arreptis, plures ex equitibus trucidarent, eorum castella everterent, & quinquaginta quinque oppida in potestatem suam redigerent. Sed cum vires suas sine exterorum ope Equitum potentiæ impares probe agnoscerent, anno hoc labente Casimirum Poloniæ Regem in auxilium vocarunt, seque, ac omnem Porussiam, Pomeraniam, Culmam, cunctaque ab Equitibus possessa ei cesserunt. Suspendebant primo Proceres Poloniæ suam hac super re sententiam, quinimo judicabat Sbigneus Cardinalis, Cracovienſis Episcopus, deditionem hanc omnino respuendam.

Porussi comperta Polonorum cunctatione palam professi sunt, se aliunde opem rogaturos; ac a Ladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege ipsis omne auxilii genus sperandum, lætoque animo se esse recipiendos. Itaque Poloni his minis territi, ne tam opportunam ditiones suas amplificandi occasionem e manibus dimitterent, cessionem sibi oblatam acceptarunt, tametsi præviderent bellorum motus, qui inde Poloniam atque Germaniam collisuri essent. Rex Casimirus Porussiam ingressus, Sacramentum fidelitatis,

tatis, atque obsequii accepit, & pleraque vectigalia, atque tributa, quibus se nimium gravari conquerebantur Porussi, remisit; Equitibus vero necessaria ad bellum suppeditavit, eoquod Teutonicorum, & Poloniæ jam communis esset caussa, atque utilitatis ratio. Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CLV.

Nuptiæ Regis Poloniæ cum Ladislai Junioris Sorore.

Cum Casimirus mense Februario præsentis anni Elisabetham sororem Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis, ducere vellet, orta est controversia inter Archiepiscopum Gnesnensem, & Sbigneum Cardinalem de nuptiarum Benedictione, quam jure sibi deberi Gnesnensis contendebat, eoquod Primas Poloniæ esset. Huic & alter jus suum opponebat, quo tanquam Cardinalis, ejusdemque loci Episcopus gauderet. Joannes Capistranus, qui jam anno superiore Cracoviam venerat, litis arbiter rogatus est, atque nuptialis hujus solemnitatis honorem Cardinali, Archiepiscopo vero novam Reginam inungendi, ac diadema eidem imponendi prærogativam detulit.

Sæcul. XV.
A.C. 1454.

§. CLVI.

Turcæ Serviam petunt, Georgium aggressuri.

Chalcondyl. l. 8. *Æn. Sylv. de Europ. c. 5.*

Hoc anno Mahometes Serviam seu Rascíam invasit, & Novogradum, (alii Neophrygum appellant) urbem metallorum venis celebrem jam olim a se captam, denuo occupavit. Georgius Serviæ Despota sive Princeps, cum audisset, quod Turcæ capta Constantinopoli suas ditiones invaderent, altera jam vice auxilium ab Hungaris petiit, & in Austriam usque profectus, Ladislaum Regem ibi agentem adiit. Vir hic ætate venerabilis, sed Græcorum erroribus adeo pertinaciter addictus erat, ut post longius colloquium cum Joanne Capistrano de Romanæ Ecclesiæ fide habitum, tandem respondéret: „ Annis nonaginta vitam traxi, nec „ alia mihi Religio nota est præter eam, „ quam a Majoribus recepi (*) Capistra-

„ nus

(*) *Tam futili quoque argumento Protestantes non raro agnitæ veritati resistunt, non perpendentes, Religionis veritatem non ab erroris vetustate auctoritatem mutuare; nec parum in eo hallucinantur, quod errorem nonnisi ducentos annos & paulo amplius senem ob Majorum suorum reverentiam deserere detractent,*

cum

„ nus vero in id jam unice incumbit, ut Sæcul. XV.
„ me ætate profectum ad amentiam re- A. C. 1454.
„ digat: Aſt malo vitam amittere, quam
„ mentem mutare. „ His dictis Capiſtranum dimiſit, ad ſua reverſus.

§. CLVII.

Georgii Serviæ Deſpotis obitus.

Georgius domum rediens, Michaelem Zigalium Huniadis avunculum, qui fines Hungariæ tegebat, intercipere conabatur, ſed paucis poſt diebus ab eodem Michaele ad ripam Danubii captus, cum ſe gladio defendens duos digitos dexteræ amiſiſſet, magna auri vi libertatem ſuam redimere coactus eſt: Non tamen diu ſupervixit, eoquod ſanguis ex truncata manu profluens nunquam ſiſti potuerit. Succeſſorem in Principatu ſuo habuit Ladislaum juniorem, cum natu majores ab Amurate oculis orbati fuiſſent. Ex quadam tamen Æneæ epiſtola diſcimus, quod Georgius ante finem anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi

cum tamen iidem Majorum ſuorum Religionem jam mille quingentos ſexaginta octo annos vetuſtam ob unius impudici Apoſtatæ auctoritatem deſerere, mutilare, & corrumpere non erubuerint.

Secul. XV. A. C. 1454.

gesimi sexti non expiraverit, ejusque filii ad Turcas defecerint.

§. CLVIII.

Principum Germaniæ Conventus Francofordiensis.

Æn. Sylv. comment. Pii II. lib. I.

Præstituta die vigesima nona Septembris Francofordiæ conventus celebratur, cui interfuere Æneas Sylvius Friderici Legatus, Marchio Brandeburgensis, Gurcensis Episcopus, Theodoricus Moguntinus, & Jacobus Trevirensis Archiepiscopi, necnon Legati ex tota ferme Germania, unacum Nuntiis Apostolicis, & Marchionum Estensis, & Mantuani Oratoribus: Alphonsi vero & Venetorum Legati nonnisi absoluto Conventu Germaniam ingressi fuere. Aderant quoque Hungarorum, & Burgundiæ Ducis Oratores; illi quidem ut suppetias peterent, hi vero, ut eas offerrent, quibuscum Joannes Capistranus, quem ubique veluti Prophetam suspiciebant, pariter advenit.

§. CLIX.

Æneæ suasionibus bellum contra Turcas decretum.

Idem comm. lib. I. & epist. 131.

Quamvis initio minime audirentur ii, qui expeditionem adversus Turcas suadebant, & Ratisbonensis Conventus decre-

decretum, quo bellum hoc concluſum fuerat, penitus rejiceretur, nihilominus cum Æneam ſolidas duas horas perorantem ſumma attentione percepiſſent, omnium repente animi ad priſtina belli ſtudia incaluere, decretumque Ratisbonenſe de expeditione ineunda innovatum eſt, Hungaris quoque auxilium Equitum decem millium, peditumque triginta duorum promittebatur. Statutum præterea, ut ad Cæſarem Electores Imperii, ceterique Germaniæ Principes ſeſe conferrent, ac ea, quæ reliqua eſſent, decernerent. Sæcul. XV. A. C. 1454.

§. CLX.

Supplicium Eſparri capite truncati.

Hoc anno Carolus Caroliæ Comes, Ducis Burgundi Filius uxorem ſibi duxit Iſabellam Borboniam, Caroli Borbonii Ducis filiam. Eodem quoque tempore Eſparrus in jus vocatus eſt, qui olim ex Aquitannia exul, Pictavium ſeceſſit. Rex haud ignorabat, proditorem hunc moliri, ut ſecretis conſiliis Anglos in Gallias revocaret, ac altera vice eisdem Burdegalam urbem traderet, hinc eum comprehendi juſſit, qui cum interrogatus, crimenque confeſſus eſſet, capite plectitur, ac corpus ejus in ſex partes diſſectum in diverſis patibulis expoſitum eſt. *Joa Chart. hiſt. Car. VII*

§. CLXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1454.

§. CLXI.

Auſchiorum Archiepiſcopi poſſeſſio ab Armeniaco Comite turbata.

Monſtrelet vol. 3.
Bellefort. d. cap. 56.

Joannes V. Comes Armeniacus, illius Filius, qui a Delphino in Inſula Jordani captus, Regis vero gratia ſuis bonis reſtitutus eſt, quemdam ad Archiepiſcopatum Auguſtæ Auſchiorum promotum, ab illius poſſeſſione præpedire moliebatur, ut Joannem de Leſcuna Fratrem ſuum Nothum, quem a Capituli factione ſuis partibus adhærente eligi curavit, intruderet. Rex Claromontium Comitem, Loheacium Mareſcallum, aliosque in Armeniacenſem Comitatum: Comitem vero Dammartinum, & Ebroici Præfectum cum valido exercitu Lactoram deſtinavit, dato negotio, ut hanc urbem cingerent, quæ tamen, ſicut & cetera hujus Comitis oppida mox deditionem fecere. Hæc agendi ratio non modice afflixit Pontificis animum, eoquod ipſe eum, qui primo electus, & defuncti Archiepiſcopi Nepos erat, confirmaſſet. Interea tamen Armeniacus Comes ſuis bonis fiſco addictis in Arragoniam, ubi adhuc quasdam arces reliquas habuit, profugere coactus eſt.

§. CLXII.

Sæcul. XV.
A.C. 1454.

§. CLXII.

Incæstus Armeniaci cum sorore sua.

Verum idem Comes pejori adhuc exemplo pias fidelium mentes offendit, cum commercium longe turpissimum cum una ex sororibus suis (Isabella dicebatur) instituere haud dubitaret. Agebat illa vigesimum secundum ætatis annum, tantaque eminebat forma, ut nulli secunda esset; Hanc itaque Comes insano amore deperibat, nec illa nefandis amplexibus cedere abhorruit. Nicolaus Papa V, criminis hujus fama ad ejus aures perlata, Comitem anathemate percellit, qui facti pœnitentia ductus, ad Regis ipsius preces censurarum, quas incurrit, absolutionem impetravit. Verum amoris scintillæ sub cineribus suis latitantes paulopost in novas eruperunt flammas; cogitabat quippe omnino sororem suam matrimonio sibi copulare. Ne tamen hoc facinore offensionem populi incurreret, domesticum suum Sacellanum adiit, eidem falso obtentæ a summo Pontifice dispensationis fidem fecit, atque sorori suæ conjungi postulavit. Sacellanus nimia credulitate ductus, matrimonii solemnia peragit, non sine maximo totius Regni scandalo. Galliarum Rex,

Sæcul. XV. A.C 1454.

acceptis hac de re a summo Pontifice literis, Marchiæ Comitem, & illustrem Feminam Albritiam ad incæstuosum hunc Comitem eorum Nepotem eo consilio mittit, ut illum sublato scandalo ad sanio-ra reducerent; verum hi surdas pulsa-bant aures; quapropter Comes omnibus ditionibus suis exutus, totoque regno ex-ulare jussus est.

§. CLXIII.

Alphonsi Tostati obitus.

Rainerius Bovosius in Præf. oper. Tostat.

Luxit hoc anno Orbis Literarius Alphonsum Tostatum, quem Hispania merito inter præstantissimos Regni sui Viros celebrat. Salmanticæ liberalibus disciplinis deditus, tantam rerum omnium scientiam adeptus est, ut vix duos & viginti annos natus, Philosophiam, ac utriusque Juris prudentiam complexus, id quod paulo antea didicit, perfecte omnium judicio mox docuerit. Hic acutissimo cum esset ingenio, peracrique judicio, necnon memoria perquam tenaci juxta ac felici, omnem liberalium artium cognitionem exhausisse videbatur. Omnium denique scientiarum compendium atque exemplar fuit, ita ut in singulis versatus, uni tantum toto vitæ suæ decursu operam dedisse crederetur. Utramque linguam Græcam, ac hebraicam

Bellarm. de Script. Eccles.

non

non minori peritia ac patriam calluit. Sæcul. XV.
Tot ergo meritorum fama celeberrimus A.C. 1454.
brevi ad ſupremas Eccleſiæ, Regnique dignitates evectus eſt. Baſileenſi quoque Synodo interfuit, paulo poſt in Abulenſis Eccleſiæ Epiſcopum aſſumptus. Obſequiorum, quæ Eccleſiæ ac Reipublicæ præſtitit, memoria adhuc recens in omnium ore verſatur. Inſuper luculenta Sanctitatis ſuæ argumenta, necnon ingens illa voluminum, quæ conſcripſit, moles manifeſte teſtantur, quod nunquam *Rainer. ibid.*
otioſus, ſemper ſingula vitæ ſuæ momenta jam publicis negotiis, jam ſcientiis, jam pietatis operibus æqua parte ſacraverit. Excellentia eorum librorum, quos inſignis ille Vir poſteritati reliquit, Reipublicæ literariæ magis funeſtam reddit jacturam illorum operum, quæ hactenus aut inventa non ſunt, aut nobis eripuit præmatura ejus mors, qua jamjam in quadrageſimo ætatis ſuæ anno e vivis exceſſit. Enimvero vix quis credere poteſt, quod in tam brevi decem & octo annorum ſpatio Alphonſus tanta percurrere, intelligere, dictare, propriaque manu conſcribere valuerit, cum tamen inter tot publica, & privata negotia, quibus diſtinebatur, Regi, populo, & Eccleſiæ deſerviret.

Sæcul. XV. A.C. 1454.

§. CLXIV.

Toſtati Opera.

Toſt. oper. edit. Colon.

Inter præclara ejusdem opera primas ſibi vendicant doctiſſimi Commentarii in omnes fere ſacræ Scripturæ libros; ubi incipiens a Pentateucho Moyſis, hiſtoricos libros percúrrit, & ad novum teſtamentum ſe protendit, quod clare, ac exacte admodum interpretatur. In his minutiſſima quæque in lucem pandit, abdita referat, arcana revelat, ac errores confutat, præcipue vero Rabinorum commenta, quorum ſcripta ſingulari prorſus ſtudio perlegit, ut ſi quæ bona in illis reperiret, excerperet, ac comprobaret, eorum vero ſomnia, atque ſuperſtitiones refelleret: graviſſimo demum ſtylo altas, ſublimesque ſacræ paginæ ſententias explicat, & quamvis in omnibus ſublimis foret, emicuit tamen majori doctrinæ ac judicii ſplendore, dum de ſacris Evangeliis tractat; Ibidem enim non minus inexhauſta ingenii ſui fœcunditas in multitudine quæſtionum, quam ſoliditas ac perſpicuitas in earum ſolutionibus ex æquo certant. Præter hos commentarios ad nos tranſmiſit *defenſorium quarumdam propoſitionum*, ex ſuis theſibus depromptarum; necnon quinque Paradoxa in hoc verbum *Vas*, quod Beatæ Virgini attribui-

Toſtat. oper. XII.

tur,

tur, & qualiter Christus Dominus dicatur leo, Agnus, serpens, & Aquila; opusculum *de SS. Trinitate*, aliud in hæc Isaiæ verba: *Ecce Virgo concipiet*, item *contra Clericos concubinarios*, tractatum de statu animarum post mortem, & alium de optima populum regendi ratione, quem *de optima Politia* inscribit. Cuncta ista opera tredecim tomis in forma majori typis impressa habentur; inter illa autem, quæ perierunt, præcipua sunt, plures de Jurisprudentia tractatus, alius *de Amicitia, de Conciliis Generalibus, item impugnatorium contra errores Alcorani, Sermones nonnulli*, denique, *Commentarius in librum Chronicorum Eusebii*, quem tamen patrio sermone scripsisse dicitur.

Sæcul. XV. A.C. 1455.

Ibid.

In præf. oper. Tost.

§. CLXV.

Laurentii Justiniani Patriarchæ Veneti obitus.

Funesta Ecclesiæ erant Anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi quinti auspicia; in his enim primarium illius lumen Laurentius Justinianus Venetorum Patriarcha defecit, qui pari, qua vixit, sanctitate die octava Januarii humanis rebus ereptus est, annos natus septuaginta tres, sexque menses. In vita erat prophetiæ dono illustris, post mortem vero plurimorum miraculorum testimonio

Ann. 1455.

Palmar. in Chronic.

Sæcul. XV. A. C. 1455.

sanctitas ejus comprobata est. Admortis suæ nuntium tanta fidelium ex omni Natione confluentium frequentia adfuit, ut publicæ veneration corpus ejus per aliquot dies exponere, necesse fuerit: Cum vero de sacri cadaveris sepultura contenderent Canonici Ecclesiæ Patriarchalis cum Monachis S. Georgii, apud quos sepulturam elegerat, durante hac lite, corpus ejus in Ecclesiæ sacrario solidos sexaginta septem dies expositum mansit, nullum tamen corruptionis vestigium per tantum temporis intervallum apparuit. Canonici pro se allegabant sacros Canones, quibus statuitur, ut Prælati in propriis sepeliantur Ecclesiis, Religiosi econtra S. Georgii opponebant ultimam sancti Viri voluntatem, quam sancte servandam ajebant. Vicerunt Canonici, & sacrum Corpus in Ecclesia Patriarchali die decima sexta Martii sepulturæ traditum est.

Baillet. vit. sanct. ad 5. Sept.

§. CLXVI.

Justinianus a Clemente VII. Beatorum fastis adscriptus.

Officiis, ac exequiarum honoribus debite persolutis sepulcrum ejus non minus, quam diuturna corporis ejus expositio miraculis glorioſa exstitit. Sixtus IV. Papa acta de illo in Beatorum numerum referendo instrui, eaque Leo X, &

& Adrianus VI. continuari jusserunt, tandemque Clemens VII illum anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, edito Decreto, Beatis adnumeravit, atque in cunctis Venetæ Reipublicæ Eccleſiis feſtivo ritu ac publico officio ejus memoriam colendam inſtituit; opportuniori autem tempore eundem Sanctorum quoque albo adſcribere cogitavit. Verum res usque ad annum milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum protracta eſt, quo Papa Alexander VIII. eundem in Sanctorum numerum repoſuit. Feſta illius dies quinta Septembris in Breviario Romano ſub ritu feſti *ſemiduplicis* celebratur. Conſcripſit plures aſceticos libellos, ex quibus uberiores ſolidæ virtutis fructus, quam ſcientiæ acquiſitæ ſpecimina colligere fas eſt, cum longe majores progreſſus in Spiritus Sancti ſchola, quam in literatorum Athenæis feciſſe. Ejus vitam a Bernardo Juſtiniano illius Nepote conſcriptam Surius refert. Sæcul. XV. A.C. 1455.

§. CLXVII.

Actum cum Imperatore de bello Turcico.

Bello adverſus Turcas in Francofordienſibus comitiis jam jam decreto, nil aliud ſupereſſe videbatur, quam ut op- *Æn. Sylv. comm. Pii II l. 1.*

Sæcul. XV. A. C. 1455.

portunis mediis Principes ad unionem incitarentur, quilibet neceſſaria ſuppeditaret, ac demum validus conſcriberetur exercitus. Venerant quoque in Auſtriam ad Imperatorem aliquot ex Electoribus, aliisque Germaniæ Principibus, necnon ceterorum Legati, & ex Hungaria Episcopi, ac Barones præcipui. Aderat etiam ex Italia Joannes Epiſcopus Papienſis, Sedis Apoſtolicæ Legatus, una cum Michaele Pitio Alphonſi Siciliæ, & Arragoniæ Regis Oratore. Nec defuit Joannes Capiſtranus, qui aſſiduis prædicationibus populum adverſus Turcas ad arma, ac eleemoſynas pro futuri belli ſumptibus erogandas excitabat. Cum vero omnia propemodum concluſa eſſent, necnon optata ſpes arrideret, æſtate proxima ingentes copias in Chriſtiani nominis hoſtes eductum iri, infauſtus mortis Nicolai Papæ nuntius telam jam longo tempore cæptam uno momento incidit.

§. CLXVIII.

Nicolai Papæ obitus.

Mortuus eſt Nicolaus Papa die vigeſima quarta Martii Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto, poſtquam S. Petri Cathedram octo annos, & novemdecim dies tenuiſſet. Hic poſt pauco-

paucorum dierum luctam e vivis ereptus est, partim ex podagræ doloribus, quibus toto ferme Pontificatus sui tempore graviter laborabat, partim ex febre, qua correptus fuerat. Præter has vero potissima mortis caussa erat animi tædium, quo capta Constantinopoli continuo confectus est. Videbantur copiæ, quas proxime adversus infideles mittere cogitaverat, haud alium in finem collectæ, quam ut funebrem Papæ pompam eo solemniorem redderent. Gesserat Nicolaus felicem faustumque Pontificatum, præsertim post id temporis, quo pacem Italiæ tanto labore peperit. Idem Romanam urbem multis, iisque celeberrimis exornabat ædificiis, quæ tamen morte præventus complere non potuit. Cum ipsus eruditione ac sapientia emineret, ac sacratiorum literarum eximius cultor esset, summe liberalis fuit erga omnes, quos vel ingenii vel doctrinæ præstantia commendabat, eosque qua beneficiis, qua obsequiis Romam accersivit. Bibliothecam suam græcis atque Latinis manuscriptis longe celeberrimis, ac summa cura collectis locupletavit, nec non in tota Græcia libros omnium facultatum, omniumque artium genere præclaros ingentibus sumptibus conquiri, eosque ad se adferri, ac in linguam latinam transferri curavit, magna elargitus præmia illis,

Sæcul. XV. A.C.1455.

Secul. XV. A.C.1455.

illis, qui eos vertebant. Nec minus sollicitus fuit in latinis quoque Auctoribus indagandis. Adeo literarum amor, ac liberalitatis suæ genium ex æquo certarunt, ut ei, qui sibi Evangelium Sancti Matthæi Hebraicum afferret, quinque ducatorum millia pollicitus esset. Ecclesias vasis aureis, atque argenteis, sacerdotalibusque indumentis ac aulæis pretiosissimis munificentissime decoravit. Ab omni avaritiæ specie semper adeo alienus erat, ut nullum officium unquam vendiderit, virgines vero inopes ex iis, quæ sibi subtraxerat, in matrimonium collocaverit.

Platin. in Nicol. V.

Addit. ad Ciacon.

Refert quidem Platina, *eum facilem nonnihil ad iram fuisse;* ast confestim subjungit: *facilis etiam reditu ad benevolentiam erat;* adeo prompte ejus innata virtus vitium illud correxit. Morte occupatus est eodem tempore, quo Sigismundum Austriæ Ducem ad se vocasset, eoquod Cardinalem de Cusa a jurisdictionis exercitio in suo Brixiensi Episcopatu impedire ausus fuisset.

§. CLXIX.

Cardinales Conclave ingressi.

Justis summo Pontifici Nicolao de more persolutis, cunctisque pro civitatis, atque palatii securitate dispositis, Cardinales

les numero quindecim conclave ingrediuntur, ac Missa solemni per Cardinalem Decanum celebrata, aditus Legatis, ac Christianorum Principum Oratoribus patuit, qui hora ad vesperam quinta ad alloquium admissi sunt. Demum Cardinales illi, qui conclavis Principes dicuntur, fores sumptis secum clavibus occludi jusserunt. Sæcul. XV. A.C.1455.

§. CLXX.

Bessarion a quibusdam, aliis reluctantibus, in Papam propositus.

Cardinales conclave ingressi in duas scindebantur partes. Inde factum, ut primæ duæ suffragiorum collectiones incassum peragerentur, in tertia vero Cardinalis Bessarion eligendus proponeretur. Cardinales, qui Bessarioni non favebant, hinc præclara Viri merita, inde sufficientem suffragiorum in eum convenientium numerum considerabant: quapropter collatis cum Cardinale Avenionensi consiliis illius electionem impedire moliebantur. Hos inter Avenionensis acribus verbis suos Collegas in conclavi congregatos increpabat, quod neophytum non ita pridem ab Ecclesia Græca segregatum eligere, & Ecclesiæ Romanæ Græcum Pontificem obtrudere vellent;

Sæcul. XV. A.C. 1455.

vellent; quem tamen non sine timore ad Papatum admittere deberent, cum de sincera ejusdem conversione dubitari possit; ajebat etiam, naviculæ S. Petri regimen non esse committendum illius manibus, qui illam paulo ante submergere, manibus pedibusque laboraſſet; *En paupertas Ecclesiæ latinæ*, pergebat Avenionensis, *quæ virum non reperit summo Apostolatu dignum, nisi ad Græcos recurrat.* Pluribus aliis in unum congestis illos, qui Bessarioni favebant, a sententia dimovere conabatur, tantaque verborum vi, ac rationum pondere differebat, ut facto scrutinio potior pars a Bessarione deficeret.

§. CLXXI.

Alphonsus Borgia in Pontificem electus.

Comment. Pii II. lib. 1.

Cum duæ partes Collegii in unum convenire non possent, præter omnem populi expectationem Pontifex eligitur Alphonsus Borgia Valentiæ in Hispania natus, Cardinalis tituli SS. quatuor Coronatorum. Hic ex nobilissima familia ortus, Vir erat in dijudicandis causis acri judicio præditus, ac in rebus gerendis prudentia eximius, sed jam prope decrepitus; nam annum septuagesimum octavum attigerat. Equidem Nicolao V. fatis

tis functo, singulis se procul dubio futurum Pontificem affirmabat, sed nonnihil tanquam senex delirare credebatur. Sæcul. XV. A.C. 1455.

§. CLXXII.

Callisti III. nomen adoptat.

Igitur celebrato Sacro de Spiritu Sancto, initium datum est scrutinio, cumque solus omnium suffragia tulisset, die octava Aprilis Cardinales de more eum summum Pontificem sub Callisti III. nomine venerati sunt, Cardinale primo Diacono illius electionem populo confestim annuntiante. In Cathedra ad Basilicam sancti Petri delatus, persolutis coram sanctissimo Altaris Sacramento precibus, super aram SS. Apostolorum sedit, ubi omnes Cardinales accesserunt, ejusdem pedes osculaturi. Inde ad suum deferebatur Palatium, & quosdam articulos triduo ante electionem suam a sacro Collegio decretos, jurejurando firmavit. Quibus peractis singuli ad sua reversi sunt.

§. CLXXIII.

Neo-electi Pontificis dotes.

Die vigesima Aprilis neo-electus Papa consuetis solemniis suæ Coronationis insignia suscepit. Jam in *vigesimo sexto* Historiæ nostræ tomo vidimus, quod is olim in extinguendo schismate Munionis,

Sæcul. XV. A. C. 1455.

nis, qui Petri de Luna ſucceſſor erat, egregiam navaverit operam, id jubente Alphonſo Arragoniæ Rege, cui tum a ſecretis erat. Cum adhuc Canonicus eſſet Jlerdenſis, atque Juris utriusque Doctor, a Martino V. ad Epiſcopatum Valentinum evectus, in Italiam venit, ubi Eugenio IV. Pontifici inſignia prudentiæ ſuæ ſpecimina dedit, cum diſſidium feliciter dirimeret, quod Papam inter, & Alphonſum Regem vigebat propter Regnum Neapolitanum; hinc ab eodem creatus eſt Cardinalis Presbyter titulo SS. quatuor Coronatorum. Platina de eo teſtatur, *quod in dicendis in Senatu ſententiis ita gravis habitus ſuerit, ut nihil unquam per adulationem, & gratiam locutus ſit*, additque Ciaconius, quod nunquam, cum Epiſcopus aut Cardinalis eſſet, beneficium aliquod in commendam acceptare voluerit, dicens, ſe una ſponſa, & quidem Virgine contentum vivere, id eſt, Eccleſia ſua Valentina. Suſcepto vix Pontificatu primas eo curas intendit, ut Prædeceſſoris ſui Vota feliciter compleret; hinc omnibus Sacræ Cruciatæ militibus indulgentias conceſſit, atque Legatos ſuos in Franciam, & Hungariam decrevit, qui auxilia contra Turcas impetrarent.

Platin. in Vita Calixt. III.

Ciacon. ibid.

§. CLXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1455.

§. CLXXIV.

Votum de invadendis Turcis a Caliſto emiſſum.

Refert Platina, Caliſtum mox ab electione ſua Turcis bellum indixiſſe, jamque ante Pontificatum votum contra Turcas ſolemni ritu nuncupaſſe, id & in quodam libro ſub eadem formula, ac ſi jam tum Pontifex fuiſſet, his verbis concepiſſet; *Ego Caliſtus PONTIFEX &c.* Tanta erat ejus fiducia, aut potius cupido ad Papatus honorem adipiſcendum. (*) Ante omnia Cardinalem Carvajalum in Hungariam, virosque Apoſtolicos per univerſam Europam decernebat, qui ſacra prædicatione fideles ad ſubſidia contra Turcas ferenda inflammarent. Quinimo ad ipſos quoque Perſarum, Armenorum, ac Tartarorum Reges, Ludovicum de Bononia

Antonin. tit. 22. c. 14.
Æn. Sylv. Europ. c. 58. & comm. l. 1.
Platin. in vita Calixt. III
Ciacon. ibid.

(*) *Ob* fiduciam *commendandus eſt Caliſtus, quæ plane temeraria non erat; cum S. Vincentius Ferrerius popularis ſuus ei Papatum prædixiſſet.* Cupiditas *autem ambitionem ſapit, a qua quantum alienus fuerit, teſtatur Platina, qui certe Pontificibus non adulatur. Continuator hoc epiphonema ex Spondano ad hunc annum defloravit, ſed de ſuo addidit hoc verbum* Cupido.

Sæcul. XV. A. C. 1455.

nonia Ordinis S. Franciſci decrevit cum multis, amplisque muneribus, ut eos contra formidabilem hunc hoſtem excitaret. Verum hi nonniſi ſub Pontificatu Pii II, qui Calliſto ſucceſſerat, Chriſtianorum fœderi acceſſerunt. Interea vero Papa omnium Pontificum primus Romæ portus conſtruxit, atque ex pecuniis pro bello ſacro collectis ſexdecim triremes inſtrui juſſit, eisdemque Ludovicum Patriarcham Aquilejenſem præfecit, qui etiam per tres omnino annos Turcarum claſſes infeſtavit, quasdam Inſulas eisdem eripuit, aliasque de hoſte victorias reportavit. Exhibuerat Alphonſus quoque Rex unacum Duce Burgundiæ primo ingens Religionis ſtudium, quod tamen brevi voluptatum lenocinia enervarunt.

§. CLXXV.

S. Antoninus a Florentinis Orator decretus ad Papam.

Antonin. tit. 22. c. 14.

Æn. Sylv. epiſt. 398.

Florentini comperta Pontificis inauguratione protinus ſuos mittebant Legatos, qui ei felicem, fauſtamque electionem gratulabantur, debitamque obedientiam offerebant. Hujus Legationis Princeps erat S. Antoninus Florentiæ Archiepiſcopus, qui ſui gregis nomine inſignem ad Papam orationem habuit. Legavit itidem Fridericus Imperator Æneam

neam Sylvium, & Joannem Hinderbachium celebrem Juris consultum, quorum primus Cæsaris nomine coram Papa verba fecit, pari applausu cum eo, quem sibi jam in aliis ejusmodi occasionibus conciliaverat. Nec tamen deerant, qui Cæsari suadebant, ne prius ad profitendam Pontifici obedientiam Legatos decerneret, quam ipse conventa pacta cum Eugenio IV. erecta revocaret, ac Natio Germanica libertatem ac privilegia sua circa beneficiorum collationes consequeretur. Sæcul. XV. A.C. 1455.

§. CLXXVI.

Æneæ Sylvii Oratio ad Papam nomine Cæsaris.

Æneas Sylvius ad Papam, & Cardinales orationem habuit, in qua exponebat, necesse esse, ut Turcæ omnibus viribus opprimerentur, atque Hungaria ab eorum invasionibus jamjam regno impendentibus protegeretur. His subjunxit, Christianos armorum potentia Turcis longe prævalere; dummodo Sanctitas sua recto agminum ordini prospiceret; Imperatorem omnem quoque opem appromittere, Alphonsum itidem Arragoniæ Regem ad hoc bellum strenue suscipiendum paratas jam habere copias, nec quicquam Philippo Burgundiæ Duci cordi magis esse, quam arma Turcis inferre.

Sæcul. XV. A. C. 1455.

ferre. Addebat, in Germania plures Principes adverſus Infideles voti etiam religione ſeſe obſtrinxiſſe; Carolum Galliarum Regem a ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis haud receſſurum, nec Anglos operi huic defuturos; a Caſtellanis quoque & Luſitanis, ceterisque nationibus nonniſi tempus expectari, quo ſummus Pontifex pro fidei defenſione pugnam inchoari juberet; reliquum itaque tantummodo eſſe, ut Sanctitas ſua omnium fidelium vota ſecundet, aperiatque Eccleſiæ theſaurum, ac denique Viros mittat, qui meſſem colligant. Verum omnes iſtæ ampliſſimæ Principum pollicitationes caruerunt ſucceſſu, ſolusque Pontifex muneri ſuo ſtrenue intentus erat.

§. CLXXVII.

Simultates Papam inter & Alphonſum.

Æn. Sylv. Europ. c. 58.

Omnium primus promiſſi fidem violavit Alphonſus Arragonum Rex, & Neapolitani Regni poſſeſſor. Hic cum Calliſto haud aliter, ac eſſet ſibi ſimilis, agere, Papamque ſibi quodammodo ſubjectum reddere moliebatur; unde miſſis ad eum Legatis ab illo ſciſcitabatur: an in pace cum eo vivere vellet? Papa nonnihil hoc quæſito commotus reſpondit. *Regna ſua ipſe regat, mihi ſummi Apoſtolatus regimen relinquat.* Ex illo tempore

pore Alphonsus Pontifici offensus, nullam odii ac vindictæ exercendæ opportunitatem prætermisit; ex illis vero, qui sese huic contentioni implicarunt, aliqui Papæ exprobrabant, dicentes, indignum esse, quod a Rege animum suum averteret, cum tamen in ejus ditionibus natus, illius olim domesticus fuisset; ac paulo ante ejus auxilio ad Cardinalitiam dignitatem ascendisset: alii econtra, qui supremo Christi Vicario debitum subtrahi obsequium ægre ferebant, in Alphonsum Arragoniæ Regem culpam rejecere; & forte non immerito, si rationes, quibus Rex se ad tantam arrogantiam incitatum jactitabat, perpendantur. Postulabat enim Alphonsus a summo Pontifice, ut non modo illum, sed etiam Ferdinandum Nothum ejus filium, quem eo ex fine Eugenius, & Nicolaus Pontifices natalibus restituebant, in jure ad Neapolis regnum confirmaret, sed insuper petiit, ut ei Marchiam Anconitanam, pluresque alias urbes, quæ ad Ecclesiæ Patrimonium pertinent, traderet. Sæcul. XV. A C. 1455.

§. CLXXVIII.

Occasiones simultatum inter utrumque.

Nihil tamen acrius Alphonso bilem movit, quam quod Calistus Papa plures urbes recuperasset, pluraque jura a Neapolis *Comment. Pii II. lib. 2. Antonin. tit. 22. §. 1.*

Sæcul. XV. A.C. 1455.

polis ac Siciliæ Regno, quod utrumque licet Sedi Apoſtolicæ obnoxium Rex ſibi arrogaverat, ademiſſet, ac denique ibidem Eccleſiæ jurisdictionem reduxiſſet, ſibi collationem beneficiorum vindicans, eo-quod Rex illa non raro ſubditis ſuis, vel propter ætatem, vel ruditatem, aut morum pravitatem indignis conferri curaſſet, vel ipſus auctoritate ſua contuliſſet, parum ſollicitus, cujus conditionis eſſent, qui ad ejusmodi beneficia ab eo obtinenda ſe ſiſterent, dummodo propriæ ſuæ utilitati ſatis proſpectum eſſet, & pecuniæ offerrentur; Alphonſo enim crimini dabatur, imo communis jamjam rumor erat, quod is beneficium haud ullum eſſet obtenturus, qui non prius aurum Regi dediſſet. En contentionis cauſſas, quæ ſummum Pontificem juſta in Alphonſum indignatione commotum oſtendunt; illi enim vel maxime incumbebat ejusmodi licentiis frænum injicere, ac propudioſam rerum ſacrarum nundinationem abolere.

§. CLXXIX.

Puellæ Aurelianenſis vindiciæ.

Belleforet. Hiſt. Franc. lib. 15. c. 16.

Monſtrelet. vol. 3.

Carolus Galliarum Rex putabat ſe ſui nominis ſtudio adſtrictum, ut famam Aurelianenſis puellæ redintegraret, quæ olim Anglis toto regno pulſis, Rothomagi ad rogum damnata obiit; quocirca Virgi-

Virginis hujus parentibus præcepit, ut a Sede Apoſtolica judices peterent, quibus rei hujus examen committeretur; Calliſtus ad preces eorum negotium demandavit Archiepiſcopo Rhemenſi, necnon Epiſcopis Pariſienſi ac Conſtantienſi in Normannia, qui Rothomagi congregati cauſſam auditis plurimorum teſtimoniis diligentiſſime diſcuſſerunt; ac præprimis edictum vulgarunt, quo omnes, quibus hujus judicii ſeries nota eſſet, ad diem vigeſimam Decembris Rothomagi in aula Archiepiſcopalis Palatii convenire jubebantur, data cuicunque libertate, ut vel prædicto judicio faventia, vel adverſa deferre poſſet. Erant adhuc plurimi ſuperſtites, quibus negotii ſumma ſatis perſpecta erat. Igitur hujus Puellæ vita ad examen revocatur; cum vero cuncti de probata ejus virtute honorificum redderent teſtimonium, ejus innocentia vindicata eſt; omniaque adverſus eam acta, nulla ac irrita declarata fuere, necnon decretum, ut eo ipſo die Rothomagi in foro ſancti Ovani ſolemnis inſtitueretur ſupplicatio, ſequenti vero die alia celebraretur in veteri foro, ubi merces venales exponuntur, & innocens Virgo mortis ſupplicium ſubierat. Erecta eſt ibidem etiam ſtatua, quæ in quadam capſa ſupra fontem hodiedum viſitur, & Puellam muliebri habitu ornatam repræ-

Sæcul. XV. A.C. 1455.

Sæcul. XV. A.C. 1455.

sentat. Haud ulterior instituebatur quæstio contra iniquos hujus Virginis Judices, utpote quorum potissima pars jamjam misero fato vivis erepta fuerat.

§. CLXXX.

Mediolanensium Dux a Delphino adversus Alphonsum defensus.

Delphinus, cum aulam haud amplius repetere constitueret, in Delphinatu ditione sua hæsit; ubi vero in Italia eo tempore bellum fervebat inter Alphonsum Arragoniæ Regem & Venetos ex una, ex altera parte Franciscum Sfortiam inter & Florentinos. Delphinus horum sollicitationibus cedens conscripto milite Renato Andegavensi se junxit, copiasque suas ad Alpes eduxit. Verum pace in Italia, curis & opera summi Pontificis restituta, Delphinus spe sua frustratus est. Hic postquam decennali jamjam pertinacia, iterata ac urgentissima Regis Patris sui mandata, quibus ad aulam redire jubebatur, eluserat, Carolus illum ad obedientiam vi compulsurus, iter ad Borbonienses, ac Avernienses agros simulavit, & copias suas sub Duce Ludovico Antonio Chabannio Dammartini Toparcha in Delphinatum eduxit, dato eidem negotio, ut Delphinum captum ad se adduceret. Hic consilii conscius, Delphinatu

phinatu propugnaculis ac copiis munito se tueri ſtatuit, atque hunc in finem auri, militumque ſubſidia a Sabaudiæ Duce Socero ſuo efflagitavit; Aſt cum Dux nec rebellioni favere, nec Regi adverſari vellet, Delphinus repente in Principatum Aurelianenſem confugit, inde vero in Burgundiam, ac demum in Brabantiam ad Burgundiæ Ducis ditiones, quo tandem Menſe Septembri poſterioris anni pervenit, ſaluti ſuæ conſulturus ſe recepit. Sæcul. XV. A. C. 1455.

§. CLXXXI.

Richardi Eboracenſis Ducis ſeditio adverſus Angliæ Regem.

Richardus Eboracenſis Dux, quem anno ſuperiore regno exceſſiſſe meminimus, haud diu quietus ſubſtitit, ægerrime ferens, Sommerſetum Ducem non modo priſtinis honoribus reſtitutum, ſed & ad primaria Regni ſubſellia elevatum; quare collectis ex Wallia copiis Londinum armatus revertitur, palam conteſtatus, non ſibi rem eſſe adverſus Regem, ſed duntaxat contra ejusdem Miniſtrum. Rex unacum Sommerſeto brevi tempore validum contraxit exercitum, quo non modo Eboracenſem excipere, ſed etiam cum copiis hoſti ſuo haud impariibus eidem usque ad Sancti Albani muros obviam procedere poſſet. *Joa. Chart. Hiſt. Carol. VII. p. 285.* *Naucler. gener. 49. p. 479*

Sæcul. XV. A.C. 1455.

§. CLXXXII.

Sommerſetus Dux in prælio occiſus.

Attamen vix initium pugnæ datum, cum Varicenſis Comes Richardi Filius in Regis copias primo tantoque impetu ſeſe effunderet, ut nec ſupremus Regii exercitus Dux, nec ceteri Belliduces turbatam ubique aciem reſtaurare poſſent; cumque nec ultra obfirmata etiam pugnandi voluntas proficeret, Regis exercitus omnino profligatus eſt, octo eorum millibus deſideratis, quos inter ipſe Sommerſetus Dux, Cliffordienſis Baro, Staffordiæ ac Northumbriæ Duces numerabantur, Bukingamiæ vero Dux, quamvis ſaucius, cum ceteris quibusdam nobilibus fuga elapſus eſt. Rex autem a ſuis derelictus, ad tuguriolum quoddam confugit, ubi tamen brevi concluſus, victoris manibus ſeſe tradere compellebatur. Richardus ſimulata reverentia infortunato huic Monarchæ urbanitatis officia exhibebat, eumque de Miniſtri ſui morte afflictum ſolaturus, Sommerſeti interitu ſolium ſuum magis firmari affirmabat, Regemque equo vectum ipſus Londinum reducebat.

§. CLXXXIII.

§. CLXXXIII.

Sæcul. XV. A.C. 1455.

Epistolæ Calixti Papæ ad Francorum Regem.

Calixtus Papa susceptoPontificatu paulo post ad Galliarum Regem tres dedit Epistolas, in quarum prima die octavo Aprilis ejusdem anni data hæc ad Regem perscripsit: *Venerabiles Fratres nostri nos in summum Pontificem elegerunt, grave onus & nostris viribus impar, nostris humeris imponentes, confisi tamen, ut is, qui elegit humiles, ut fortia confunderet, vota nostra adjuvando prosequatur. Suscepimus onus, ea etiam spe nos hortante, quod tuæ pro nobis ad Altissimum preces auxilium ad regendum apud Salvatorem nostrum impetrabunt.* His præmissis deplorabilem Christianæ Reipublicæ a suis hostibus oppressæ statum exponit, Regemque hortatur, ut sua ceterorum Principum armis jungeret, ac non modo a civitate Constantinopolitana, sed etiam a finibus Europæ Turcas penitus expelleret. Subjungit, *Bullam plumbeam sine impressione nominis nostri esse præsentibus appensam tua sublimitas non miretur, eoquod ipsas literas ante accepta coronationis nostræ insignia duximus transmittendas.* In altera Epistola fidem ac Regis obsequium erga se, & erga ipsam Sedem Apostolicam commendat. In tertia demum, quam die prima

Collect. Conc. Labbe to. 13.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

prima Maji anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto dederat, gratias agit, quod Rex permiſerit, decimam in ſubſidium exercitus contra Turcas in Regno ſuo exigi.

§. CLXXXIV.

Diſſidia inter Sigismundum Auſtriæ Ducem, & Cuſanum Cardinalem.

Dupin. Bibl. Script. to. 12 in 4to.

Dupinus ad hunc annum revocat initia contentionis, quæ inter Sigismundum Auſtriæ Ducem Tyrolis Comitem, & Cuſanum Cardinalem ob jurisdictionis exercitium in Brixienſem Diœceſin huic Cardinali interdictum exorta fuit; nihilominus hanc litem jamjam ineunte hoc anno exarſiſſe affirmamus, cum Ducem a Nicolao V, qui menſe Martio obiit, in jus vocatum ſciamus. Erat autem hæc ſimultatum origo. Vacabat Epiſcopatus Brixienſis in Comitatu Tyrolenſi, unde Eccleſiæ Cathedralis Canonici Epiſcopum crearunt Leonardum Wiſmaierum Sigismundi Tyrolis Comitis Cancellarium. Hunc Nicolaus Pontifex confirmare detrectans, biennio poſt Cardinalem de Cuſa in ejus locum ſubſtituit. Sigismundus nulla Cardinalitiæ dignitatis, nulla etiam Sedis Apoſtolicæ habita ratione Cuſanum per ſatellites ſuos vi abductum

arctæ

arctæ cuſtodiæ mandat. Hinc turbæ, cædiumque pericula exorta, & graviora indies inſtabant; ſed ipſiusmet Cardinalis modeſtia, ac Friderici Imperatoris opera tempeſtive pernicioſa hæc diſſidia ſedabat. Sæcul. XV. A C. 1456.

§. CLXXXV.

Mediolanenſium Dux & Alphonſus plene ſibi conciliati.

Venerat in Italiam Joannes Calabriæ Dux filius natu major Renati Andegavenſis, quem Galli Siciliæ Regem vulgo appellabant. Verum ubi Alphonſus Arragonum Rex non modo Joannem rediiſſe, ſed eundem quoque clandeſtinis conſiliis adverſa moliri comperit, ſatius fore judicabat, ſi pacem cum Sfortia Mediolanenſium Duce antehac ſancitam ratam haberet, ac arctiore amicitiæ vinculo eidem conciliaretur, quamvis hucusque illi ſemper infenſus, apertas jam cum eo ſimultates geſſiſſet. Hæc ipſa concordia magis ſincera, atque perfecta credebatur, utpote duplici nuptiarum fœdere utrinque oblato firmata; nam Hyppolita Maria Ducis Mediolanenſis Filia Alphonſo Ferdinandi, qui Regis Arragoniæ Nothus erat, Filio primogenito deſponſabatur, Eleonora vero ejusdem Ferdinandi Filia ſponſalia fecit cum Maria Sfortiæ Ducis Filio. Nihilominus nuptia-

Sæcul. XV. A.C. 1456.

nuptiales hæ pactiones suo caruere effectu; quippe Eleonora postmodum nupsit Herculi Estensi Ferrariæ Duci, illiusmet Estensis Marchionis Filio, qui nuper Græcis Ferrariam adventantibus Venetias usque obviam processerat.

§. CLXXXVI.

Dissidia Joannis Navarræ Regis cum Filio ejus.

Eodem ferme tempore simultates, quæ totum Navarræ Regnum innumeris calamitatibus involvebant, exordium sumpsere. Blanca enim Regni hujus hæres ex Joanne Arragono Marito suo filium, Carolum nomine, suscepit; cum autem uxor ejus anno supra millesimum quadringentesimo quadragesimo primo fatis functa fuisset, Joannes secundas nuptias cum Isabella a Lusitania iniit, regnumque Navarræ usurpavit, legitimo ejusdem hærede Carolo prætermisso, qui eo tempore trigesimum ætatis annum agens, nonnisi duas sorores superstites habuit, quarum una Gastoni Fuxensi Comiti, altera Henrico Castellæ Infanti nupsit. Hæc ipsa Navarræ regni usurpatio bellum Patrem inter & Filium suscitavit, nec deerant parti utrique fautores longe potentissimi. Grammontenses quippe Patris, Bellomontani vero prioribus haud impares Filii partes pro viribus

bus tuebantur. Caroli quoque Noverca illius opprimendi ſtudio accenſa, non parum diſſenſionum flammas auxit, patrisque animum adverſus eum acrius concitavit, unde implacabile odium, & ſæviſſimum exarſit bellum. Carolus Princeps prælio contra Patrem ſuum inito devictus, captusque eſt; paulo poſt tamen libertati aſſerebatur, Arragonenſibus inter utrumque pacem conciliantibus. Verum haud diu concordia tenuit, novis mox turbis ex nimia Patris cupiditate, & improba Filii indignatione conflatis. Saecul. XV. A.C 1456.

§. CLXXXVII.

Nannetenſis Epiſcopus a Pariſienſi Curia exauctoratus.

Præſens annus luculentum nobis ſuppeditat eximii fervoris ſpecimen, quo Pariſienſis Senatus Eccleſiæ Gallicanæ libertates continuo tueri allaborat. Guilielmus de Maletroito Nannetenſis Episcopus a quodam Caroli VII. edicto Romam provocavit. Senatus poſtulante Procuratore Generali Epiſcopum propter ſuam appellationem temporalibus Episcopatus bonis lata ſententia exuit, cauſſatus, Eccleſiæ Gallicanæ privilegia, ac primarias regni leges violatas eſſe, quæ ejusmodi provocationes penitus inhiberent, eoquod Rex nemini præterquam ſoli

Theſaur. Chronol. P. Romualdi Folietan. ad ann. 1455.

Sæcul. XV. A.C.1456.

soli Deo in temporalibus auctoritatem suam in acceptis referat, nec alium superiorem se in terris agnoscat. Eodem quoque decreto declaratum fuit, minime dubiam esse summi Pontificis auctoritatem, vi cujus idem servata juris forma Regem anathemati subjicere posset, non tamen Papæ datum, ut illum regno privare, illudque primo occupanti conferre, vel subditos fide sibi data liberare valeret. Præterea statutum fuit, quod non in alio tribunali, quam in Regis curia de ejusdem juribus causa dijudicanda foret, ac Episcopis a Regiis decretis atque edictis appellandi, eademque per summos Pontifices irrita ac nulla declarandi adeo nullum competeret jus, ut nequidem inconsulto Rege eis integrum esset, regno excedere, minus vero summis Pontificibus Regis subditos coram se in jus vocare liceret. Talia Procurator Generalis exposuit. Episcopus vero Ecclesia Nannetensi se abdicavit, illamque Nepoti suo cessit, concesso sibi a Pontifice Thessalonicensis Archiepiscopi titulo. Hæc tamen primum sub Pii II. Pontificatu anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo gesta novimus.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXI.

CALLISTUS III. PAPA;
POSTEA PIUS II.
FRIDERICUS III. OCCIDENT. IMPERATOR.

§. I.

Preces publicæ contra Turcas a Papa institutæ.

Callistus III. vix conscenso summi Pontificatus solio, maxime sollicitus erat, ut Christianos Principes adversus Turcas unire, & Mahometis II. Saecul. XV. A. C. 1456.

Sæcul. XV. A. C. 1456.

progressibus obicem ponere valeret. Dum ergo omnes Christi fideles hortabatur, ut contra hunc Imperatorem inito fœdere arma caperent, apparuit in aere cometa crinitus, qui totus igne flammisque succensus videbatur. Vulgus aliunde nimis credulum hoc portento ingentem calamitatem sibi præsagiri timebat, Calixtus quoque summo terrore perculsus, precibus & piorum operum exercitiis vacare necesse duxerat, ut sic saltem, inquiebat, Deus placaretur, atque a malo, si quod gravius Christianis impenderet, eos præservare dignaretur. Quapropter publicas preces ac solemnes supplicationes indixit, nec non quotidie circa prandii horam campanas pulsari præcepit, quarum signo omnes Christi fideles pro avertenda Dei ira preces fundere monerentur; ac insuper eo tempore omnibus orationem Dominicam, & salutationem angelicam ter recitantibus indulgentias concessit. Deus quoque supplicum vota exaudiisse videbatur.

Platina in vita Calixti III.

§. II.

Belgradum a Mahomete obsessum.

Interea Mahometes ex centum quadraginta armatorum millibus, quibus Anno post Christum natum millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto

quarto Constantinopolin occupaverat, suum conflavit exercitum, ac superatis Thraciæ montibus usque ad Danubium flumen penetravit, & in mense Junio Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto urbem Belgradum (ab aliis Alba-Græca nuncupatur) obsidione cinxit. Jam olim Amurates Mahometis Pater hanc eandem urbem septem mensibus oppugnavit, sed turpiter obsidionem solvere coactus est. Verum Mahometes exercitus sui potentia, ac propriæ suæ fortitudinis fiducia elatus, non solum eandem Patris sui sortem sibi nullatenus timendam esse credidit, verum etiam cetera jamjam regna, quæ capta semel hac civitate, subjugaturus esset, spe sua dimensus est, totamque Hungariam, Germaniam, atque Italiam armorum suorum victimam destinavit; Verum Deus in momento cuncta ejus temeraria dissipavit consilia.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

Naucler. vol. 3 gener. 49. p. 479.

Æn. Sylv. Europ. c. 8. & Boh. c. 6.

§. III.

Belgradum per Joannem Huniadem obsidione liberatum.

Huniades, strenuus ille Bellidux, copias suas ad Danubii oram admovet, Belgrado suppetias laturus; Cum vero Turcæ transitum occlusuri accurrerent, res ad pugnæ necessitatem pervenit. A-

Sæcul. XV. A.C. 1456.

cerrimum utrinque prælium committitur, atque infidelibus invicto robore certantibus diu accipiti Marte dimicatur, tandem vero plena penes Huniadem stetit victoria, qui trajecto flumine cum toto suo exercitu, ac Joanne Capistrano Crucesignatorum Prædicatore Victor urbem ingressus est, haud explicabili lætitia ab obsessis exceptus, quorum quivis pro defensione urbis vitam, & sanguinem profundere pollicitus est. Nihilominus Turcæ hac suorum clade nullatenus animo fracti urbem tormentorum ictibus quatere haud desistunt, saltem per eversi muri ruinas ingressum tentaturi; nec sua eos spes fallere videbatur; ampliori enim mœnibus illata strage Turcæ pluribus in locis scalas urbi applicarunt, ut hoc stratagemate obsessos ad copias suas ubique dispertiendas compellerent. Verum tam Christianis quam Turcis par erat resistendi pertinacia, & infracta pugnantium virtus. Utriusque etiam exercitus Duces suorum quisque militum animos verbis & exemplo confirmare certabant, unde ingens utrinque cædes. Postera die Turcæ multo majore furore quam unquam in urbem rursum irruebant, infausto tamen successu; quippe Cazanes Bassa omnium Ottomannorum Belliducum longe præstantissimus, cum Imperatoris sui jussa executurus, incautius longius-

Chalcondyl. Hist Ture. lib. 8.

longiusque in hostium cuneos abripere- Sæcul. XV.
tur, trucidatus occubuit, ipso Sultano A.C. 1456.
proxime inspectante, mortemque sui Bel-
liducis immodico dolore, ac ferme ad de-
sperationem usque deplorante. Maho-
metes ipsemet in crure vulnus accepit,
quod tamen haud lethale existimans, co-
piis suis imperia dare, & ipsus dimicare
non cessavit.

§. IV.

Extrema Turcarum clades.

Certe tanta intrepidi animi virtus Ma *Naucler.*
hometi victoriæ palmam asseruisset, *ibid. p.* 480.
nisi Janissari præcipiti fuga, totoque pe-
dum studio sese ex prælio recepissent. E-
quidem Mahometes omnem impendit o-
peram, ut fugitivos in officio contineret,
sed irrito prorsus conatu; quippe illi tam
precibus, quam minis surdas præbuerunt
aures, quapropter obsidionem solvere
coactus est, desideratis suorum plusquam
quadraginta millibus.

Ladislaus Hungariæ Rex, cum tantam victoriam sibi polliceri minime auderet, quinimo Christianorum vires potentissimis Turcarum copiis resistendo impares censeret, sub venationis obtentu Viennam tanta festinatione sese receperat, ut accepto etiam prosperi hujus prælii nuntio, diffi-

Sæcul. XV. A. C. 1456.

dentiæ ſuæ errorem nondum corrigere poſſet.

§. V.

Invidioſa æmulatio inter Joannem Capiſtranum & Huniadem.

Æn. Sylv. loc. cit.

Spond. hoc ann. num. 3.

Æque Joannes Capiſtranus, quam Huniades ſummum Pontificem, atque Imperatorem datis literis de fauſto ſacri hujus belli ſucceſſu certiores reddiderunt; cum vero uterque ſibi ſoli partæ victoriæ laudem attribueret, inter eos æmulationis certamen exortum eſt: Inane prorſus gloriæ ſtudium utroque Viro indignum, quamvis ceteroquin quilibet eorum ob præclaras dotes pari laude celebratiſſimus eſſet; quippe pro ſua parte Capiſtranus ſuis precibus & adhortationibus, Huniades vero manu, fortitudine, atque prudentia plurimum ad hanc victoriam conferebant, certe ampliori adhuc præconio digniſſimi, ſi quisque gloriæ ſibi debitæ limites non exceſſiſſet.

§. VI.

Feſtivitas transfigurationis Domini ſolemniter celebrata.

Cum Mahometes Belgradenſi obſidioni finem imponere coactus eſſet ſexta Aprilis, (*) qua die jam a pluribus retro

(*) *Verius ex S. Antonino, & Nauclero tenemus,*

retro annis memoria Domini noſtri in monte Thabor transfigurati in quibusdam Eccleſiis celebrari conſueverat, Calliſtus Papa eandem feſtivitatem confirmavit, atque ad omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias extendit, officiumque huic feſto proprium compoſuit, conceſſis pariter ad hanc quoque diem iisdem indulgentiis, quæ feſto Corporis Chriſti alias annexæ erant. Secul. XV. A.C. 1456.

§. VII.

Huniadis Tranſylvaniæ Vaivodæ obitus.

Ceterum hi duo præcipui bellicæ hujus expeditionis Duces haud diu Turcarum cladi ſuperſtites vixerunt. Huniades enim intolerabili hujus belli labore conſumptus in febrim incidit, cujus aſſiduitas, ac violentia illum die decima Septembris in oppido Zemplem vivis eripuit. Tanta erat Viri hujus Religio, ut ſacram *Naucler. generer. 49. p. 480*

tenemus, hanc victoriam jam die 22. Julii S. Mariæ Magdalenæ ſacra reportatam fuiſſe, cujus & ipſum Calliſti diploma de celebratione feſti transfigurationis teſtimonium reddit, in eo enim legitur: die memorabili S. Mariæ Magdalenæ cœleſti præſidio communitus populus Turcam in turpem fugam convertit &c.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

sacram Synaxin ad cubile suum deportari nequaquam pateretur, sed ad sumendum Christi Domini corpus in Ecclesiam se deferri juberet, afferens: quod Rex Regum tanto me honore afficiat, haud sum promeritus, indignumque judico, quod Dominus ad servum suum veniat. Inclyti Herois jacturam universa planxit Europa, & ipsemet Callistus Papa accepto mortis nuntio lacrimis largiter fusis solemnia justa in Basilica sancti Petri fortissimo fidei Christianæ Defensori persolvit. Joannes Capistranus, qui infirmum nunquam sua præsentia destituit, defuncto quoque oratione funebri parentavit, cum ejusdem exequiæ celebrarentur in Templo ab ipsomet Huniade in Transylvania extructo, ad quod corpus suum ante obitum suum transferri jusserat. Duos reliquit Filios, Ladislaum & Matthiam, quorum frequens sermo in progressu Historiæ nostræ redibit. Discimus quorumdam Historicorum fide, quod Turcarum Imperator comperta Huniadis morte exclamaverit: nulla mundi ætas insigni huic Viro parem tulit, meritoque doleo, quod mihi inustam Belgradensi in clade ignominiam ulcisci nequeam, cum orbis universus non amplius habeat ejusmodi Heroem, qui fortitudine Huniadem æquaret.

§. VIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1456.

§. VIII.

Mors ſancti Joannis Capiſtrani.

Tertio ab obitu Huniadis menſe Joannes Capiſtranus quoque, cum in Hungaria adhucdum eſſet, ad Villachium in agro Sirmienſi animam efflavit, ſeptuaginta & unum annos natus, cujus corpus in conventu Fratrum Franciſcanorum terræ mandatum eſt.

§. IX.

Capiſtrani opera.

Sanctus iſte Monachus Capiſtrani, quod Aprutii oppidum eſt prope Aquilam in Regno Neapolitano, primam lucem aſpexit, cum eſſet Annus Chriſti milleſimus trecenteſimus octogeſimus quintus. Patrem habuit Nobilitate generis clarum, nomine Angevinum, qui in Italia uxorem ſibi ſumpſit, & inter Ludovici Andegavenſis Neapolis Regis Proceres numerabatur. Recenſeamus modo libros, quos Capiſtranus poſteritati typis impreſſos reliquit. Scripſit tractatum de poteſtate Papæ & Concilii adverſus conventum Baſileenſem; item alium ſub eodem titulo; Speculum Clericorum ſeu orationem ad Clerum in quadam Synodo Diœceſana Tridenti dictam; inſtructionem pro Presbyteris; Apologiam pro

Secul. XV. A. C. 1456.

tertio Ordine S. Franciſci; tractatum *de illuſtranda conſcientia*, & de pœnis injungendis; alium de Matrimonio, uſuris, & contractibus; de judicio univerſali; de Antichriſto & bello ſpirituali. Tandem etiam edidit nonnullos tractatus de Jure civili. Præterea quædam alia eidem adſcribuntur opera, quæ tamen necdum typis impreſſa exſtant; inter hæc numerantur tractatus de dignitate Eccleſiaſtica ad Nicolaum Papam; de pœnis inferni & purgatorio; de reſtitutione, & contractibus; item commentarii in regulam FF. Minorum, tres libri de cupiditate; ſermo de paſſione Domini; tractatus contra Huſſitas, & denique ſermo adverſus Joannem Rochiſanam. Viri hujus vitæ hiſtoriam Henricus Sedulius Franciſcanus conſcripſit, ex qua non pauca diſcimus, quæ ad ævi hujus Hiſtoriam ſpectare videntur.

Sedul. Wading. Annal. minor. Giry col. 1376.

§. X.

Papæ zelus adverſus Infideles.

Utriusque præclariſſimi hujus Viri obitus ſummi Pontificis ſtudium contra Infideles minime extinxit; quippe Henricum Caſtellæ Regem, ut Mauros bello peteret, impulit, inſignes quoque conceſſit indulgentias omnibus & ſingulis, qui vel ſub vexillis hujus Regis arma ſumerent,

merent, vel eleemosynis ad sustinendos ejusdem belli sumptus concurrerent. Tantam etiam Callistus in Gallorum armis fiduciam posuit, ut dicere solitus esset: haud dubie mihi polliceor integram sectæ Mahometanæ, aliorumque Infidelium extirpationem, dummodo Francia suas ferat suppetias. Nihilominus præclara hæc Pontificis elogia, quibus Gallicam potentiam extulit, Academiam Parisiensem, necnon Rotomagensem Clerum absterrere minime valebant, quominus ab ejusdem Papæ Bulla, qua pro bello sacro subsidiarias adversus infideles decimas Clero Gallicano imponebat, ad futurum Concilium provocarent. Callistus hanc appellationem ægre ferens, Cardinalem Alanum Parisios misit, dato negotio, ut universitatem ad revocandam appellationem induceret. Cardinalis eo facilius postulata obtinuit, quo benignius jam antea Rex Christianissimus, & tota reliqua Ecclesiæ Gallicanæ pars ob instans Christianæ rei discrimen ejusmodi exactionem concesserant. Verum longe acriores adversarios hæc eadem Bulla offendit in Germania; Allemani enim querebantur, hasce decimas ab eis nimia extorqueri violentia, ac modicam concordatorum cum sua Natione erectorum haberi rationem. Papa die trigesima prima Augusti datis hanc in rem ad Fridericum

Sæcul. XV. A.C. 1456.

Odoric. Rayn. ad ann. 1456. *n.* 56. *Collect. Conc. Labb. tom. XXIII. p.* 1393.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

dericum Imperatorem literis objectas rationes diluere conatus est. Æneas quoque Sylvius, cujus haud remissius, quam Papæ erat urgendæ adversus Turcas expeditionis studium, sat luculenter demonstravit, quam immerito summus Pontifex violati pacti cum Germanis sanciti insimularetur.

Æn. Sylv. in Epist. 338.

§. XI.

Dissidia Papam, inter & Alphonsum Arragoniæ Regem.

Callistus, ne sacræ militiæ consilium optato frustraretur successu, sollicite sibi Christianos Principes devincire studuit, eosque omni humanitatis studio prævenit. Ferme omnium ceterorum gratiam sibi certam habebat, solum si excipias Alphonsum, qui cum Pontifice crebras contentiones fovit ex eo, quod Callistus ipsimet Alphonso Beneventanum, & Terracinensem Vicariatum concredere, Ferdinando autem spurio ejusdem Regis Filio regni Siciliæ possessionem asserere recusaret: hanc repulsam adeo impatienti animo tulit Alphonsus, ut non satis haberet, quod Callisto per suum Oratorem natalium obscuritatem, ac multiplices favores eidem collatos, necnon impensum Nepotes suos evehendi studium exprobraret, sed etiam Henricum

ricum Castellæ Regem ad defectionem a Callisto sollicitaret. Idipsum jam olim egerat contra Martinum V. & Eugenium IV. summos Pontifices, dum Christianos Principes a debita eorum obedientia avertere conabatur. Verum cuncta hæc probra Callistus haud alio diluit responso, quam beneficiorum frequentia; ut vero Alphonso ostenderet, quam promptum haberet bona pro malis rependendi animum, Purpuratorum Collegio adscripsit Neapolis Archiepiscopum, qui Regi amicissimus, necnon Patruus erat cujusdam Fœminæ Neapolitanæ, quæ Lucretia vocabatur, & adeo insane ab Arragonum Rege amabatur, ut si viduus fuisset, eam thori sui sociam fecisset. Quinimo referunt nonnulli, quod Alphonsus Reginam legitimam conjugem suam repudiare voluerit, illius sterilitatem caussatus, eoquod ex ea nullos unquam liberos suscepisset.

Sæcul. XV. A C. 1456.

Marian. Hisp. lib. 22. c. 18.

§. XII.

Cardinales a Callisto Papa creati.

Hoc eodem anno Callistus Pontifex, binas habuit Cardinalium promotiones, in quarum prima nonnisi tres creavit Cardinales, quos inter primus erat Joannes Ludovicus Milanus natione Hispanus, summi Pontificis ex linea materna

Raynald. adhunc ann. 1456.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

na Nepos, primum Segovienſis, poſtea Ilerdanus Epiſcopus, demum Presbyter Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum, ac Bononiæ Legatus. II. Jacobus Princeps Luſitanus Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis, Diaconus tit. S. Mariæ in Porticu. III. Rodericus Lenzolius Borgia natione Hiſpanus, Calliſti Nepos, Diaconus tit. S. Nicolai in carcere Tulliano, quem pariter Eccleſiæ Romanæ Vice-Cancellarium, & Epiſcopum Portuenſem creavit. Hic idem poſtea ſummus Pontifex renuntiatus, Alexandri VI. nomen aſſumpſit. In ſecunda promotione ſex alii creati ſunt Cardinales, quorum primus erat Raymundus Piſcellus Neapolitanus, ejusdemque urbis Archiepiſcopus Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ, ab Alphonſo Arragonum Rege quidem nominatus, ceteroquin tamen Vir propriorum meritorum laude clarus. Secundus Joannes de Mella Hiſpanus, Auditor Rotæ, Zamorenſis Epiſcopus, & Cardinalis Presbyter tit. SS. Aquilæ, & Priſcæ. Tertius, Joannes Caſtellio, ſeu de Caſtellione patria Mediolanenſis, primum Conſtantiæ in Normannia, demum Papiæ Epiſcopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis. Quartus, Jacobus Theobaldus Romanus, Montefeltrinus Epiſcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Anaſtaſiæ. Quintus, Richardus Oliverius de

de Augio Gallus Episcopus Constantien- Sæcul. XV.
sis, Presbyter Cardinalis tit. S. Eusebii, A.C. 1456.
& Episcopus Portuensis. Sextus denique Æneas Sylvius, Picolomineus Senensis, ejusdemque urbis Episcopus, Cardinalis tit. S. Eustachii, postea Presbyter tit. S. Sabinæ, qui idem paulo post Papa creatus, & Pius II. est nominatus.

§. XIII.

Tumultus ab Alphonsi copiis in statu Senensi excitati.

Jam ab aliquo tempore tota Italia solida pace fruebatur, ad cujus conservationem non solum summus Pontifex, sed ipse quoque Mediolanensium Dux, Veneti, Florentini, atque horum fœderati omnem conferebant operam, solo Alphonso tranquilitatis serenitatem turbare studioso. Non ecquidem statim aperto Marte rem aggressus est, sed per Piscininum exercitus sui Ducem dissidiorum Zizania seminare contendit. Hic iniquis artibus Regis sui commoda quærere unice erat sollicitus, hinc in Senenses sæpius hostiles conatus exercuit, atque eorum in agros populabundus excurrit. Conquerebantur illi apud Alphonsum de vi sibi illata, sed Rex id a Duce suo, (verius hic iniquorum Alphonsi consiliorum Minister dici potuisset) recte factum

Comment. Pii II. lib. 2.

Æn. Sylv. Europ. c. 5.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

ctum asserebat. Quapropter Dux Mediolanensis, atque Veneti Senensium partes tuendas suscipiunt, & Piscininum cum copiis suis pedem referre compellunt, qui unacum exercitu suo, cum tutioris asylli locum non haberet, Castellonium in Piscara sese recepit. Verum & ibi a Victoribus obsidione cinctus ad tantas redigitur angustias, ut ipsius milites inediam immaturis frugibus sedare compellerentur, unde gravibus admodum incommodis cruciabantur. In extremo hoc rerum discrimine libertati suæ consulere, omni ope & opera contendunt: nec conatibus felix defuit successus; erumpunt enim, & Orbetellum proditione occupant, ubi fatali victus penuria haud amplius infestabantur, ab unius saltem inimici molestiis liberati. Attamen brevi tempore in nuperum ejusdem miseriæ statum incidissent, nisi Alphonsus tempestiva ope per mare annonam, ac pecunias advexisset. Verum cum Rex probe cognosceret, quod nec Ducem, nec copias suas periculo eripere posset, nisi cum Senensibus, eorumque fœderatis transigeret, hinc ut eos placaret, atque expensas, quas ob concitatos belli tumultus facere compulsi fuissent, compensaret, eisdem bis mille libras numeravit. Instabat quidem Alphonsus, ut Senenses insuper conductos exauctorarent milites, ast

aſt ſurdas pulſabat aures, quocirca ſpe ſua deluſus, Piſcinino præcepit, ut cunctas urbes Senenſibus ablatas iisdem reſtitueret. Saec. XV. A. C. 1456

§. XIV.

Controverſia de Confeſſione Paſchali.

Hoc anno Parochorum jura circa confeſſionem Paſchalem hucusque controverſa ingenti animorum contentione denuo agitata fuere. His occaſionem dedit quædam Nicolai V. Conſtitutio, quam pro Religioſis Mendicantibus edidit, eisdemque Paſchatis quoque tempore fidelium confeſſiones excipiendi facultatem aſſeruit, unde jus Parochorum a Canone *Omnis utriusque ſexus* ſtabilitum, ac ab ipſa Clementina Conſtitutione *Dudum* firmatum labefactari credebatur. Pariſienſis Academia, cum hanc Bullam a quibusdam Religioſis Carmelitis rerum ſacrarum Judici (quem vulgo Officialem appellant) conſignatam comperiſſet, quantocius ab ea provocavit, Fratresque Mendicantes ad diem vigeſimam quartam Maji, quæ erat feria ſecunda, comparere juſſit, ſignificans: ni hujus Bullæ privilegio nuntium mittere vellent, ac ſponderent, ſe illius revocationem infra temporis ſpatium ſibi præfigendum procuraturos, ſcirent, ſe a totius Academiæ

Sæcul. XV. A.C.1456.

societate excluſos. Ecquidem Ordinum Mendicantium Religioſi huic tribunali ſe ſiſtere non dubitarunt; verum cum Academiæ decreto obedire recuſarent, tanquam perjuri, & ab univerſitatis corpore abſciſſi declarati ſunt.

§. XV.

Bulla a Nicolao V. pro Mendicantibus edita a Calliſto confirmata.

Religioſi Mendicantes Conſtitutionis revocationem urgere haud ſolliciti, Calliſtum Papam adeunt, Academiæ Pariſienſis agendi rationem conqueſti; nec irrito conatu; obtinuerunt enim a Pontifice Bullam, qua non ſolum Nicolai V. Conſtitutio confirmata, ſed etiam cuncta ab Academia contra Religioſos attentata, nulla atque irrita fuere declarata. Quæ res non parum offendit Academiam, nec tamen propterea vel latum unquem a concepta deceſſit ſententia; quocirca Religioſi alias concordiæ vias quærere compulſi ſunt; Cum vero Rhemenſis Archiepiſcopus, Pariſienſis Epiſcopus atque Senatus hanc litem componendam ſibi ſumerent, præprimis Mendicantibus propoſuerunt, ut hac Conſtitutione nullum ſibi novum jus acquiſitum eſſe profiterentur: Verum hæc ipſa propoſitio, cum captioſa videretur, recepta non eſt.

Paulo

Paulo post cum plura alia concordiæ media proposita fuissent, pariter tamen rejecta, tandem Religiosis Mendicantibus suadebant, ut hujus Bullæ discussionem ad futurum Concilium remitterent, interea vero ipsi Concilii Lateranensis definitioni, ac Ecclesiæ Gallicanæ judicio adhærerent. Attamen cum Mendicantibus hæc conditio minus arrideret, eique se subjicere omnino recusarent, acrius contendentium exarsere studia. sæcul. XV. A.C. 1456.

§. XVI.

Bulla per aliam huic contrariam a Pontifice revocata.

Callistus Papa ad sedandas hasce turbas haud opportunius invenit medium, quam Constitutionis abrogationem, quocirca hoc ipso anno in Mense Septembri aliam edidit Bullam, qua bono pacis consulturus, omnia revocavit privilegia Clementinæ Constitutioni *Dudum* adversantia, eamque exacte observari præcepit. Hæc Pontificis Bulla ad Universitatem directa die tertia Februarii anno sequenti lecta est; quo facto, Religiosi Mendicantes, ut pristinis Academiæ prærogativis restituerentur, se submittere statuunt; id ut facilius impetrarent, Arti, seu Arthuri Britanniæ Principis, Richemundii Comitis, necnon Franciæ Con-

Sæcul. XV. A. C. 1456.

neſtabilis auctoritatem interponunt. Hic quoque una cum Archiepiſcopo Rhemenſi, & Pariſienſi Epiſcopo, Academiæ Doctores die decima octava ejusdem Menſis in unum coactos adiit, ac in pleno conſeſſu expoſuit, ad reddendam pacem plurimum expedire, ut præfata Conſtitutio in manibus Epiſcopi Pariſienſis relinqueretur, Religioſi vero Mendicantes denuo iisdem, ac ante exortam ejusmodi controverſiam, Univerſitatis juribus, atque privilegiis fruerentur, ea tamen lege, ut nuperæ Calliſti III. Bullæ, qua Nicolai V. Conſtitutio revocatur, obedientiam præſtarent.

§. XVII.

Religioſi Mendicantes ſeſe ſubjiciunt.

Equidem FF. Prædicatorum Prior ceterorum Mendicantium nomine denuo admitti poſtulavit, quia vero minoris ſubmiſſionis ſigna dediſſe videbatur, altera etiam vice Conneſtabilis Religioſos ad publicum conſeſſum vocare compulſus eſt, ubi magis humili ac demiſſo mentis obſequio ſubjectionem profeſſi ſunt, Fratrum Auguſtinianorum Priore ceterorum omnium nomine verba faciente. Quapropter priſtinis Academiæ juribus reſtituti ſunt, pactis hiſce legi-

legibus, I. impoſterum Nicolai V. Conſtitutionem, aut Calliſti Bullam, per quam prior confirmatur, nullatenus in uſum deducant; II. harum prima in manibus Pariſienſis Epiſcopi repoſita maneat. III. Religioſi Conſtitutioni, qua priores revocantur, morem gerant, eandemque infra unius anni terminum a ſuis Ordinum Generalibus approbari faciant, nec impoſterum ejusmodi Bullas ſibi procurent, niſi ab eadem Univerſitate rurſum excludi velint. Nihilominus ſecunda die proximi Menſis Julii quidam FF. Prædicatorum Religioſus Academiæ Rectorem adiit, nomine ſui Generalis ſignificans, ſibi injunctum eſſe, ut Ordinis ſui Religioſis prohiberet, ne ſub præfatis conditionibus ad Academiam admitterentur. Ad hæc Rector obmutuit, poſtera tamen die Dominicanos ad ſe vocari juſſit, & pacta, quæ prius inierant, rata haberi, propoſitasque conditiones ab eis recipi poſtulavit. His vero reluctantibus, ac Generalis ſui prohibitionem cauſſantibus, Univerſitas denuo illos a ſuo corpore ſegregavit, donec in quadam Congregatione octava Octobris die habita, iterum admitti poſtulaſſent, & perfectam ſubmiſſionem, ac pacti fidem præſente Conneſtabili polliciti eſſent. Sic tandem hæ controverſiæ fuerunt compoſitæ, quas tamen tra-

Secul. XV. A.C. 1456.

Sæcul. XV. A. C. 1456

ctu temporis frequenter innovatas videbimus.

§. XVIII.

Horrendi terræ motus in Italia.

Eodem hoc anno in menſe Decembri Regnum Neapolitanum, Laborinus ager, Abrutium, & Apulia creberrimis ac horrendis terræ motibus concutiebantur, tamque vehemens hujus concuſſionis vis erat, ut multa, & præclara ædificia tam ſacra quam profana pari ruina proſtrata corruerint. Hac ſtrage, S. Antonino teſte, ſexaginta millia hominum & amplius abſorpta, oppreſſaque perierunt, quos inter ferme triginta millia in ſola urbe Neapolitana fuiſſe numerata, Æneas Sylvius refert. Præterea ſcribit, quod Bojanæ e terra immani hiatu ſciſſa lacus eruperit. Addit Joannes Gobelinus, qui Æneæ Sylvio ad Pontificatum aſſumpto a ſecretis erat, quod in Ægeo Pelago parva tunc emerſerit Inſula nunquam antea viſa, & quadraginta cubitis ſupra aquas ſublimis diebus aliquot arſerit. Alphonſus Rex horrenda hac ſtrage adeo attonitus hæſit, ut omni ferme momento a ſe nuncupatum adverſus Turcas pugnandi votum innovaverit, brevique ſe adimpleturum pollicitus ſit, depulſo tamen mortis

S. Antonin. tit. 22. cap. 14 §. 3.

Æn. Sylv. epiſt. 207. & Europ. c. 54.

Platin. in vita Calliſti.

mortis metu promissi sui immemor fuit. Visæ etiam fuere inter Florentiam & Senas nubes viginti cubitis a terra sublimes, quæ inter se tam furioso ventorum impetu agitatæ propellebantur, ut tectorum montiumque cacumina avellerent, muros dejicerent, atque annosas maxime arbores evulsis radicibus prosternerent, & jumentorum, hominumque corpora non parvis per aera spatiis raptarent. Sæcul. XV. A.C.1456.

§. XIX.

Turbæ in Regno Sueciæ.

Christiernus II. Daniæ Rex jam dudum sibi quorumdam factionem conciliaverat, quorum ope Sueciæ solium conscendere, ac Carolo VIII, quem infestæ fortunæ calamitas per plures jamjam annos graviter presserat, subrogari molitus est; Ipse quoque Joannes Benedictus Upsalensis Archiepiscopus clandestini hujus consilii fautor, rem adeo secrete gessit, ut nec ipse Carolus, quæ gererentur citius resciisset, quam cum conjuratio hoc anno in apertum erumperet, nec desperatæ causæ ullum remedium afferre posset. Christiernus igitur nullo ferme obnitente Rex coronatur, Carolo in Poloniam secedere compulso, qui tamen ipsus immodica ambitione sua, qua non solum Clerum, sed & Nobiles sibi offen- *Joa. Magn. l. 23.* *Krantz. cap. 7. & 8.*

Sæcul. XV. A. C. 1456.

sos reddidit, conspirationis ansam dedit, quamvis cetera quidem Rex prudentia, & æquitatis amore summe commendandus esset, hisque egregiis virtutibus satis uberem associasset eruditionem, vastamque Philosophiæ ac Mathematices scientiam adeptus esset. Enimvero tam digni Principis exauctoratio insigne est inconstantis fortunæ exemplum, ac præprimis triste humanæ levitatis rudimentum; Hic enim ab ipso populo ferme unanimi omnium consensu, nec cæco eligentium impetu, ad regni solium evocabatur, imo præcognitis Viri meritis cum omnium applausu electus fuit; quippe jam olim post Ericum III. regnum administrabat. Nihilominus postea populus Carolum solio deturbavit, atque in ejus locum Christophorum de Bavaria suffecit, ubi vero proprio damno facti sui injustitiam edocebatur, eundem Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo rursum regno restituit, ut vel maxime propriis suis commodis consuleret. In progressu Historiæ nostræ ad Annum Domini millesimum quadringentesimum sexagesimum quartum videbimus, quod idem Carolus denuo, atque secundo regni sui thronum conscenderit.

§. XX.

Sæcul. XV. A.C. 1456.

§. XX.

Concilium Sueſſionenſe.

Hoc anno feria ſexta die undecima Julii celebrata eſt apud Sueſſionem Synodus, in qua Joannes Juvenalis ab Urſinis Archiepiſcopus Rhemenſis, utpote Metropolita, Præſidem egit: huic quoque intererant Epiſcopi Joannes Sueſſionenſis, Antonius Laudunenſis, Joannes Ambianenſis, Joannes Sylvanectenſis, ac Procuratores a ceteris Suffraganeis abſentibus, necnon Eccleſiis Cathedralibus miſſi. In hac Synodo Epiſcopi decreta Baſileenſis Concilii (*) in conventu Bituricenſi confirmata acceptarunt, atque promulgata obſervari præceperunt. Præcipua vero hujus Concilii ſtatuta concernunt divini officii celebrationem, cantum, habitum honeſtum Clericorum, ceteraque plura, quæ cultum exteriorem reſpi-

Lab. Collect. Conc. Gen. tom. XIII. pag. 1396.

(*) Notandum, Sueſſionenſem Synodum unicum duntaxat Baſileenſis Concilii decretum Seſſionis XXI. *de divino officio in Eccleſia celebrando* acceptaſſe, promulgaſſe ac obſervari præcepiſſe. Nulla ergo hujus Conciliabuli decretis contra ſummi Pontificis poteſtatem fabricatis ex hac Sueſſionenſi Concilio accedit auctoritas.

Sæcul. XV. A. C. 1456.

respiciunt. II. Præscribitur modus celebrandi capitula. III. Clericis inhibentur alearum lusus, tabernæ, & ebrietates. IV. Agitur de Episcoporum habitu. V. Innovatur Bituricense Decretum *de Concubinariis*. VI. Reformantur abusus, qui in quæsturis, & indulgentiarum prædicatione irrepserant. VII. Monentur Prælati, ut in approbandis Confessariis magna utantur discretione, nec a casibus reservatis, nisi justis ex causis, absolvendi facultatem concedant.

§. XXI.

Delphinus Brabantiam profugus.

Carolus VII. Galliarum Rex, cum Delphini Filii sui agendi rationem perpenderet, & haud ferendas, quibus Delphinatum, præcipue vero Ecclesiasticos premebat, exactiones inaudiret, ad justam provocatus est iram, & copias suas ad hanc Provinciam sub Duce Antonio Chabannio de Dammartinis eduxit, dato eidem negotio, ut Delphinum comprehenderet. Verum Delphinus re comperta elusit periculum, & effuso cursu primum in Principatum Aurasionensem, demum in Burgundiæ Comitatum, inde in Brabantiam auffugit, nonnullis Nobilibus Viris stipatus. Eo tempore Burgundiæ Dux copiis suis Trajectensem infestaverat

rat

rat Episcopatum, ejusdem incolas armorum vi compulsurus, ut pro Episcopo suo reciperent Burgundum Filium ejus spurium, cui Papa, rejecto Brederodiæ Domino, licet hunc Capitulum elegisset, præfatam Ecclesiam contulerat. Admodum molestus erat Burgundo Delphini adventus, de quo Regem datis literis certiorem fecit, præcepit tamen Ducissæ conjugi suæ, necnon Filio suo Carolesii Comiti, ut Delphinum honoribus ejus conditioni congruis exciperent; se vero nunquam aditurum esse Delphinum ajebat, nisi prius a Galliarum Rege responsum accepisset. Sæcul. XV. A.C. 1456.

§. XXII.

Delphinus a Burgundiæ Duce benigne exceptus.

Rex in favorem Delphini respondit, Ducemque rogavit: Filium suum eadem omnino benevolentia exciperet, qua ipse, si forsan quodam adversæ fortunæ casu in Gallias fugere compelleretur, recipi desideraret. Igitur Burgundus acceptis hisce literis confestim Bruxellas petit, Delphinum salutaturus, quem etiam haud vulgaribus amicitiæ signis amplectebatur, atque ejus usibus duodecim millium aureorum pensionem attribuit, dein illum ad castrum Cenebense in

Secul. XV. A.C. 1456.

in confinibus Hannoniæ quarto ab urbe Bruxellensi lapide dissitum deduxit, illudque pro diversorio eidem concessit. Verum nec cuncta ista, quæ in hac regione acceperat, officiorum genera Delphini animum cohibere poterant, quin paulopost inter Proceres dissidia, factionesque seminaret; præterea a Burgundiæ Duce copias petiit, ut Regem Patrem suum aggrederetur, eumque, uti jactitabat, cogeret, ut a Senatu suo illos Viros, qui Regis benevolentia abuterentur, expelleret; quod sane frivolum non minus, quam ridiculum erat Filii consilium. Delphino Dux perquam sapienter reposuit, omnia sua ad ipsius obsequia præsto esse, dummodo nihil peteret, quod Franciæ saluti adversaretur; ceterum nec sui, nec Delphini muneris esse, Regis Senatum emendare, ac ideo optimum videri utriusque consilium, si totum negotium Regiæ suæ Majestatis arbitrio relinqueretur.

§. XXIII.

Alensonii Dux comprehensus, atque inclusus.

Joa. Chart. Hist. Car. VII. p. 287.

Hoc eodem anno in festo Corporis Christi Dunensis Comes Regis jussu Alensonii Comitem Franciæ Parem, ejusdemque Regis amitinum Lochiæ comprehen-

prehendit, captumque Melodunum abduxit, ut Conneſtabilis ibidem ejus cauſſam diſcuteret; accuſabatur enim, quod Anglos ad iteratam in Gallias eruptionem ſollicitaſſet, quin imo cum Angliæ Rege fœdus pepigiſſet, quo eidem tranſitum in Normanniam per urbes, quas ad oram maris poſſideret, ſe daturum pollicitus eſſet. Ad hæc Comes Conneſtabili reſpondere recuſabat, ab ipſo Rege audiri poſtulans, ad quem etiam perductus, prolixum cum eo ſermonem habuit, haud feliciore tamen ſucceſſu, quam quod ſoluto colloquio rurſum ad carceres ſuos deductus eſſet, ubi ſolido biennio hæſit, diſcuſſis interea cauſſæ ſuæ actis, quibus tandem debite inſtructis, Carolus VII. Ducibus & Paribus ſententiam ferentibus illum capite plectendum decrevit; Nihilominus mortis ſententia in perpetui carceris pœnam, quam in Lochiæ caſtro ſubire teneretur, commutata eſt. Sæcul. XV. A.C. 1456.

§. XXIV.

Turbæ in Hungaria poſt Huniadis obitum.

Defuncto Joanne Huniade, mutata erat in Hungaria rerum facies, & priſtinæ ſimultates, quas Huniadis Filii adverſus Ulricum Ciliæ Comitem foverant, denuo

Sæcul. XV. A.C. 1456.

denuo in apertas erumpebant flammas; natu enim major Huniadis Filius populo suo in paucis carus Ulricum e medio tollere constituit. Interea Ulricus cum Ladislao nepote suo Albam græcam profectus, regni administrationem sibi vendicare moliebatur, eoquod Huniades potentissimus ipsius æmulus morte sublatus esset. Verum oportuit prius duos illos Huniadis Filios regno pellere; hi enim eam urbem valido præsidio munitam tenebant. Cum vero Ulricus consilia sua per utriusque potentiam vehementer præpediri haud esset ignarus, hinc opem in calumniis quæsivit, eorumque famam apud Ladislaum Regem labefactare conatus est. Aſt Hungari tam probrosæ rei indignitate commoti in calumniatoris necem conspirarunt, nihil eos remorante regii sanguinis reverentia; Ladislai licet, qui eorum Rex erat, avunculus esset.

Æn. Sylv. epist. 253. & Hist. Boh. cap. 66. & seq.

Thuros cap. 58. & seq.

§. XXV.

Ulrici Ciliæ Comitis cædes.

Igitur Hungari Ulricum, qui unacum Rege in Ecclesia rei divinæ intererat, die undecima Novembris divo Martino sacra, ad abditum quoddam conclave evocant, & post quædam inter ipsum & Huniadis Filium natu majorem duriora verba, Ulricum multis vulneribus confossum interimunt.

rimunt. Ecquidem Rex Hungariæ facti se præsente perpetrati temeritate graviter commotus erat, nihilominus justæ indignationi suæ imperandum censuit, seditionis futuræ periculum veritus, quinimo Paricidis criminis veniam polliceri, ac gratiæ, suæque benevolentiæ participes reddere compulsus est: Verum simulata fuit promissa hæc Regis gratia; quippe clam opportunas quæsivit occasiones, quibus depulso rebellionis metu dignas a reis pœnas poscere valeret. Sæcul. XV. A. C. 1457.

§. XXVI.

Primogenitus Huniadis Filius capite truncatus.

Sane paulopost Regis consilium occasio e re nata adjuvit, qua ipse utendum ratus, Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, cum verum jejunium ad medium vergeret, Budæ existens Ladislaum Ulrici interfectorem, ejusdemque Fratrem Matthiam, & alios nonnullos intra regiam captos carceri mancipari, ac triduo elapso Ladislaum capite damnatum, in feriali pegmate publice plecti jussit. Juvenis iste vix viginti quatuor annorum Princeps mira intrepidi animi constantia vestem auro intextam, quam Rex ei dono dederat, induit, atque ad supplicii locum perexit, quo

Æn. Sylv. ibid.

Bonfin. l. 8. & 9. sect. 3.

Sæcul. XV. A.C. 1457.

quo cum perveniſſet, & cervix amputanda eſſet, huc & illuc converſis ad populum oculis, ipſus crines ſuos ſuper humeros admodum prolixe defluentes collegit, revinxitque, demum firmo fortique animo ſeſe in genua demiſit, ac pauca ad ſuam defenſionem locutus, absque omni turbatæ mentis indicio collum dedit carnifici. Hic autem, vel funeſtam, qua Principi ætate adeo Juveni ac forma tam inſigni mox ſub lictoris manu occumbendum erat, miſeratus ſortem, vel metu correptus jam tertium nullo lethali vulnere inflicto ictum repetiit. Referunt Hiſtorici, Principem accepto tertio vulnere ſeſe impavido animo erexiſſe, Deum, juſtitiamque innocentiæ teſtem invocaſſe, ac non ultra ſe a carnifice petendum exclamaſſe, quarto ictu ex lege interdicto; a Deo enim hoc miraculum ajebat permiſſum, ut univerſo Orbi ſua patefieret innocentia. Nihilominus nonnulli Proceres funeſto huic ſpectaculo unacum Rege præſentes, acriter objurgato carnifice eidem præceperunt: mortis ſententiam exequeretur, ac reo amputaret caput, quod nonniſi quintum poſt ictum corpore avulſum cecidit. Illius cadaver nigro panno mox contextum primum ad Eccleſiam S. Magdalenæ, inde vero ad locum, ubi Regum proditores ſepeliri conſueverant, defertur.

Bonfin. ibid.

Aſt

Aſt Patruus ejus defuncto Rege illius oſſa hoc loco exhumari, ac debito funeris honore Albæ in Tranſilvania in ſepulchro Majorum ſuorum condi præcepit. Sæcul. XV. A.C. 1457.

§. XXVII.

Matthias alter Huniadis Filius cuſtodiæ datus.

Ceterum Matthias ejusdem Frater ob ætatis imbecillitatem obtenta vitæ gratia captivus Pragam mittitur, Podiebracii Bohemiæ Rectoris cuſtodiæ commiſſus. Nihilominus Spondanus refert, quod Rex Hungariæ Viennam Auſtriæ repetens, Matthiam ſecum abduxerit, ac ſub firma cuſtodia tenuerit. *Spond. Continuat. annal. hoc ann. 1457 n. 1.*

§. XXVIII.

Suppetiæ ab Arragonum Rege Hungaris denegatæ.

Sub idem tempus allatæ ſunt literæ ex Hungaria ad Calliſtum Pontificem, quibus referebatur, Mahometem II. cum Sultano Ægypti, Caramano Ciliciæ, & Tartaris fœdus inliſſe, coactisque ingentibus copiis rurſum iter accelerare, ut Albam Græcam, ſeu Belgradum obſideret. Mahometes enim, etſi durante obſidionis tempore potiſſimam Aſiæ partem ſibi ereptam percepturus foret, nihilominus jurejurando ſe obſtrinxerat, nunquam ſe

Sæcul XV
A.C. 1457

retro abiturum, nisi Belgradum vi & armis occupasset. Æneas Sylvius comperto hujus rei nuntio, Alphonsum datis literis ad ferenda Hungaris subsidia adhortabatur, sed surdo canebat, utpote qui pro more suo nonnisi venationibus occupabatur, quamvis non ita pridem ingens vitæ discrimen subiisset, nilque propius fuisset, quam ut ab apro, quem insequebatur, interficeretur. Ceterum Alphonsus facili negotio ad petita auxilia sese accingere potuisset; maguam enim juxta ac potentem in mari habebat classem plene instructam, quæ plures etiam, quam triginta triremes, septem grandiores onerarias, & minorum navigiorum quam plurima numerabat. Alphonsus quidem in vulgus sparsit, hac classe se iturum in Cataloniam, ut inde potentior rediret contra Turcas: ast Genuenses, Florentini, atque Senenses hanc contra se armatam classem verebantur; & sane, quod res erat, suspicati sunt Genuenses; illis enim primo occursu navem ingentibus divitiis onustam, & ex Chio Insula advectam eripuit. Respublica illatam ultura injuriam Joannem Philippum de Fliſco cum quatuor navibus ablegat, dato negotio, ut Arragoniæ Regis triremes in Neapolis portu comburet; verum consilio optatus defuit successus.

Æn. Sylv. ep. 263. 266. 278. 182.

Fleschi

§. XXIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1457.

§. XXIX.

Bellum Genuenſibus ab Arragonio illatum.

Vix Alphonſi claſſis paſſis pleno ſinu velis in altum Oceani provehebatur, dum eadem ſex jam Genuenſium naves penes Montis-Crecelli cacumina invaſit, cepitque. Prima hæc Martis auſpicia nonniſi acrioris longe belli præludia erant; Equidem fœderati, ut funeſta magis fata prævenirent, Regem cum Republica concilliare nitebantur, ſed omnem conatum eluſit Alphonſi animus ad pacem minime propenſus. Hic quippe ab ipſis Genuenſibus patria ejectis inſtigatus, hujus ditionis Metropolim obſidione premere ſtatuit, nihil proficientibus Perrini Fregoſi, eo tempore Reipublicæ Ducis, precibus, oblatisque ab eo pacis conditionibus. Rex enim nullam concordiæ viam admittere decrevit, donec Fregoſus ſupremo ſeſe abdicaret imperio, illudque Adorniis cederet. Dux Regis potentiæ reſiſtendo impar, Genuenſibus auctor fuit, ut Caroli VII. Galliarum Regis tutellæ ſeſe committerent, cui etiam arcem, ceteraque nobiliora ſtatus loca tradiderunt. Inde vero tractatu temporis ſatis diuturnum æque ac pertinax bellum exarſit.

Sæcul. XV.
A.C 1457.

§. XXX.

Pontificis ſtudium Principes ad bellum contra Turcas adhortantis.

Interea Pontifex in rebus adverſus fidei hoſtes promovendis, atque Chriſtiana fide tuenda nil intentatum relinquebat, & quamvis aliunde motibus Italicis graviter urgeretur, & Picinini, aliorumque vexationibus ſeſe opponere cogeretur, nihilominus in Orientem duas alias triremes cum pecuniis miſit ad Cardinalem Aquilejenſem, qui jam antea ſexdecim ejusmodi naves eo conduxerat. Præterea Calliſtus omnes Principes Chriſtianos, præcipue vero Hiſpanos adhortabatur, ut arma ſub vexillo S. Crucis adverſus communem fidei hoſtem caperent; Quocirca Caſtellæ ac Luſitaniæ Reges Papæ monitis acquieſcentes per omnes ſuas ditiones ſacram militiam promulgari jubent, Alphonſus quoque, ut animi ad bellum ſacrum parati ſucum orbi faceret, ex tota auri maſſa, quæ ſibi ex Guinea ab Henriquez Patruo ſuo recens inventa advehebatur, quamdam monetæ ſpeciem cudi juſſit, quam *los cruzados* nominari voluit, quaſi ſignificari cupiens *cruciatam*. Cum vero ſucceſſu temporis Caſtellæ Regem, ceterosque Principes Chriſtianos votis ſummi Pontificis

tificis respondere non admodum sollicitos comperisset, & ipse horum exempla, suique animi jam aliunde ad hoc bellum parum propensi studia secutus est, & contra Mauros in Africa sua arma convertit. Sæcul. XV. A.C. 1457.

§. XXXI.

Callisti defensio contra Germanorum querelas.

Cum interea summus Pontifex tanto, quamvis vix non frustraneo studio, Turcarum progressus sistere conaretur, Germani contra optimum hunc Patrem nimia animi acerbitate querelas fundunt. I. Querebantur illi, se justo majoribus opprimi pecuniarum exactionibus, quæ sub prætensa eas in expeditionem sacram impendendi necessitate petebantur. II. Concordata circa Episcoporum, & Abbatum electiones, necnon circa beneficiorum reservationes violari ajebant. Pontifex Æneæ Sylvio, ut ad hasce querelas Friderico Imperatori responderet, negotium dedit, quod & ipse præstitit die trigesima prima Augusti datis ad eundem literis. *Æn. Sylv. epist. 371.*

§. XXXII.

Responsum Æneæ Sylvii ad Germanorum querelas.

Igitur ad primum respondit Æneas hoc ferme modo: Summus Pontifex nihil

Sæcul. XV. A.C. 1457.

unquam suo nomine exegit, nihilque petiit præter Annatas de beneficiis avito jure debitas: Si qui vero contra Turcas pecuniaria subsidia obtulerunt, eadem quidem non recusavit pro tanta Christianæ Religionis necessitate: interim tamen pecunias ejusmodi nec in suos usus convertit, nec in arca recondidit, minus vero in delitiis consumpsit, sed pro defensione fidei impendit, & pro oppressione perfidæ Turcarum gentis, quæ ad Christianum nomen penitus extinquendum semper intenta est. Pontifex innumeras & haud amplius ferendas indies cogitur subire expensas, cum nunc in Albaniam Scanderbego, nunc Legatis, & Oratoribus in diversas partes emissis, tandem vero tam his, quam illis per Græciam & Asiam laborantibus, ne destituti invasionibus Mahometis perirent, pecunias mittere compellatur. Post hæc prosequitur Sylvius: nequaquam inanes fuere hujusmodi sumptus: potest enim jure summus Pontifex in Domino gloriari, quod torpentibus, ac pœne dormientibus cunctis ferme Christianis Principibus, Turcarum superbissima cornua in Hungaria fregerit, magnumque illum & potentissimum exercitum, qui legem Christi funditus evertere moliebatur, prostraverit: Nunc quoque classis Pontificia Rhodum Cyprum, Mitylenen, aliasque Insulas tueretur, quæ

sine

sine tali præsidio quotidianis Turcicarum navium incursibus haud resistere potuissent; id vero adhuc laudabilius est, quod Legatus Pontificis sua prudentia & armorum robore non solum has propugnaverit Insulas, sed earum quoque incolas quam plurimos antehac Mahometanæ sectæ addictos Christo lucrifecerit: Nec Albania ingruentes Barbarorum impetus declinasset, nisi pecuniaria interveniissent subsidia, quæ Pontifex Scanderbego submiserat. In hos igitur usus, inquit Æneas, Papa ingentem illam pecuniarum vim, quæ hodiedum Germanorum querelis ansam præbuere, convertit. Ergone summum Pontificem decuisset permittere, ut Christianorum sacra spurcissimi Turcarum pedes conculcare possent. Cum vero Papa tot malis feliciter avertendis impar sit, omnino oportuit, ut & ceteri omnes concurrerent, & communis caussæ defensionem suis quoque subsidiis promoverent.

Saecul. XV. A.C. 1457.

Æn. Sylv. ep. 371.

S. Antonin. tit. 22. c. 14. in fine.

Bosius tom. 2. lib. 7.

Præterea Germani concordata circa Episcoporum electiones violari querebantur; ad alterum igitur hoc caput Æneas sic respondit: summus Pontifex vi Concordatorum omnes passim electiones confirmare non tenetur, sed illas duntaxat, quæ Canonice fiunt: nullam autem Canonicam unquam repudiavit, & si qui rejecti fuerunt, id contigit, quia

Sæcul. XV. A. C. 1457.

nec canonica erat eorum electio, nec electi Ecclesiis, ad quas vocabantur, utiles. Quod vero reservationes ceterasque beneficiorum collationes attinet, haud notum est Pontifici, a se aliquid contra Concordata concessum esse. Quinimo quamvis liberrima sit Apostolicæ Sedis auctoritas, ex pacis tamen zelo, & nimia in Cæsarem, ejusque Nationem studio nunquam patietur, concordata quovis pacto in aliquibus violari. Et siquid vero ex iis, quæ a Sede Apostolica facta fuere, emendatu dignum esset, non deceret tamen Episcopos, aut alios quosvis mortales, ut in Sedem Apostolicam auctoritatem sibi vendicent, aut ejus mandata contemnant; id enim in perniciem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, in offensionem mystici Corporis Christi, & animarum suarum ruinam cederet, hinc potius recurrere ad Sedem Apostolicam, eique sua onera proponere, ac remedium quærere deberent; nunquam enim pia Mater filiorum desiderio deerit, in iis, quæ ad salutem eorum pertinere censebit. Hæc ille.

§. XXXIII.

Æneæ Sylvii scripta pro defensione jurium Apostolicæ Sedis.

Exstant adhuc aliæ plures epistolæ, tam ejusdem ipsius Pontificis, quam Æneæ

neæ ad diversos de eadem materia datæ, ac præcipue Æneas ad Martinum Mayer Jurisconsultum, & Archiepiscopi Moguntini Cancellarium dedit literas, quibus accuratius Concordatorum conditiones refert, ac demonstrat, Callistum Papam injuste de earum violatione fuisse accusatum : Idem quoque argumentum fusiore calamo agitat Æneas in quodam tractatu, quem de moribus Nationis Germanæ, de auctoritate Sedis Apostolicæ, de beneficiis ab ea in Principes Germaniæ tam Ecclesiasticos, quam sæculares collatis, deque ejusdem Germaniæ potentia ac viribus ad eundem Mayerum anno sequenti scripsit. In eo diluit rationes objectas, quas Germani ex Constantiensi & Basileensi Conciliis hauserant. Mentionem quoque facit cujusdam Pragmaticæ Sanctionis, quæ a nonnullis Principibus, & Germaniæ Prælatis contra voluntatem Imperatoris eo consilio confecta est, ut Sedis Apostolicæ auctoritas deprimatur. Ita Sylvius. Sæcul. XV. A.C. 1457.

§. XXXIV.

Objurgationes ab Æneа Germanis factæ.

Præterea Æneas Germanæ Nationi objicit, quod in sua Sanctione Principes decreverint, ne quid pecuniarum ad Romanam

Sæcul. XV. A.C. 1457.

manam Curiam deferretur, nec ad illam provocatio fieret, ac præterea ſtatuerint, ut electiones Prælatorum ad Metropolitas referantur, beneficiorum collationes Ordinariis reſerventur, ſimulque annatarum exactiones prohibeantur. Poſtea conatur demonſtrare, quod hæc ſtatuta ingratum, nec ſatis abominandum Filiæ in Matrem animum declarent, atque non modo Sedi Apoſtolicæ, ſed univerſæ etiam Chriſtianæ Reipublicæ noxia ſint, cum Paſtoralis officii plenitudinem ſummo Pontifici eripiant, ſedemque Apoſtolicam inopem, omnique auctoritate deſtitutam reddant. Hæc tamen diluere Germani haud morabantur, atque inter alia extat quoque reſponſio (*) quam Jacobus Wimphelingus pro defenſione Nationis exarrabat. Senſerat autem Pontifex inter alios Germaniæ Prælatos ſibi maxime adverſantem Joannem Epiſcopum Herbipolenſem, qui etiam Nuncios Apoſtolicos e ſuo territorio non tam cedere, quam fugere compulit, uti conqueſtus eſt ipſe Pontifex datis literis ad Theodoricum Archiepiſcopum Moguntinum, qui Joannis Epiſcopi cauſſam ſtrenue defendit. Ceterum quamvis Æneas Sylvius in vindicanda ſummi Pontificis inno-

Æneas Sylv. ep. 387.

(*) Exſtat in tom. 2. rerum German. edit. Freh.

innocentia omne ſtudium impendiſſet, haud tamen negari poteſt, quod in erogandis pecuniis ad bellum ſacrum contra Turcas deſtinatis ingentes abuſus irrepſerint. Rex enim Caſtelliæ mediam hujus pecuniæ partem ſibi in bellum Granatenſe reſervavit, ipſos vero Granatenſes ad tributum ignominioſis conditionibus ſibi pendendum hoc anno compulit. Inſuper Chriſtiernus Rex Daniæ pariter Marino Nuntio Apoſtolico illuſit, atque ex ejusmodi pecuniis partem ſibi retinuit, vano uſus obtentu, quod ſibi pugnandum foret adverſus Schiſmaticos Regnis ſuis finitimos. Præterea S. Antoninus Carolo VII. Regi Francorum exprobrat, quod & ipſe ad proſequendum bellum contra Anglos ſacras pecunias abſtulerit. Id autem vero haud ſimile eſt, cum nec Mayerus Nationi Gallicæ nunquam non infenſus, nec ipſe Æneas Sylvius, qui parum ob res Neapolitanas, Gallis favebat, ejusmodi crimen Francis affinxerint. Nil enim aliud Sylvius hanc in rem ſcriptum reliquit, quam hæc verba: *Cardinalis Avenionenſis a Calliſto Papa miſſus in Galliam, ut opem adverſus Turcas peteret, collegit eo pacto, indulgente Rege, vim magnam pecuniæ, triremes quatuor conſtruxit ex auro, quod ſupererat, Calliſto autem nihil tradidit. Joannes vero Renati Regis Siciliæ filius hanc claſſem abduxit,*

Sæcul. XV. A.C. 1457.

S. Antonin. tit. 22. cap. 14. §. 1.

Comment. Pii II. lib. 4. in princ.

Sæcul. XV. A. C. 1457.

abduxit, ut in regnum Siciliæ adversus Ferdinandum proficisceretur. Subjungit alius quidam Scriptor, quod idem Cardinalis per Gallias decimas ex beneficiis, prout eorum reditus olim æstimabantur, exigere voluerit, id vero Franciæ Rex nullatenus permiserit, sed nonnisi juxta normam illo tempore consuetam decimas colligi concesserit.

Auct. Anonym. apud Mayer lib. 16

§. XXXV.

Pax inter Imperatorem, & Hungariæ Regem a Pontifice conciliata.

Interea continuato studio ubique exigebantur decimæ; cum vero Pontifex probe cognosceret, ad tuendum Hungariæ Regnum adversus Turcarum conatus summopere necessarium esse, ut pristina revocaretur concordia inter Fridericum Imperatorem, & Ladislaum Hungariæ atque Bohemiæ Regem, inter quos antiquæ contentiones recrudescere videbantur, hinc utrumque Principem ad mutuam concordiam hortabatur, persuasus, facili negotio Turcas debellari posse, si hi duo Principes animis & armis uniti contra Mahometem pugnarent; Quapropter Cardinalem quoque S. Angeli Apostolicum in Germania Legatum literis ad id speciatim datis monuit, ut in hoc negotio

Æn. Sylv. epist. 282.

Idem epist. 229. & 239.

negotio opera quoque Ludovici Bavari uteretur, eundemque tanquam pacis hujus conciliatorem adhiberet; Mandavit insuper eidem Legato, ut Pontificis & Apostolicæ Sedis nomine sacris cæremoniis augustiores redderet nuptias, quas idem Ladislaus Rex Pragæ celebraturus erat cum Magdalena Regis Francorum Filia; jam enim Rex splendidissimam Legationem in Gallias decreverat, a qua ejus sponsa in Bohemiam adduceretur. Carolus etiam Franciæ Rex Legatos Ladislai summis, insolitisque honorum signis Turonii exceperat, Ladislaus quoque Juvenis Princeps annos duntaxat duodeviginti natus, inter omnes sui ævi totiusque Europæ Principes tam animi quam corporis dotibus longe præstantissimus Vienna discessit, & Pragam petiit, ut debitum pro nuptiis suis apparatum ibidem curaret; ast mortis invidia hasce nuptias intercepit. Sæcul. XV. A. C. 1457.

§. XXXVI.

Rex Hungariæ Pragam venit, connubium cum Magdalena Regis Galliæ Filia celebraturus.

Jamjam Ladislaus solemni pompa Bohemiæ Metropolim ingredi parabat, dum eidem Rochisana, qui, etsi Apostolicis *Æneas Sylv. Hist. Bohem.* c. 69.

Sæcul. XV. A C 1457.

cis literis destitutus, Archiepiscopum tamen agebat, cum frequenti, eoque hæretico Hussitarum Clero obviam venit, ipsi de felici in Regnum suum reditu gratulaturus. Ladislaus, cum hæreticorum perfidiam tolerare haud posset, Archiepiscopum severo, molestoque vultu excepit, ac sibi ejusdem præsentiam minime acceptam esse, satis manifeste ostendit, eumque forte nequidem aspectu dignatus fuisset, nisi illum Podiebracius hac de re admonuisset, quem offendere timebat Ladislaus, eoquod penes illum eo tempore summa regni potestas esset. Cum vero Presbyteri Catholici Regi occurrerent, eos benigno, blandoque vultu excepit, ac defixis in illos oculis dixit: *Hos ego Dei Ministros agnosco, ac veneror.* Rochitana, qui unacum suis Hussitis honoris, quem Rex Catholicis exhibuit, oculatus testis erat, conceptam animi indignationem ægre supprimebat, jamque tunc præsagiebat, quod nullus Regis gratiam sibi polliceri posset, nisi qui Religioni orthodoxæ, ac Majorum suorum fidei adhæreret.

Monstrelet vol 3.

Bonfin. lib. 3. dec. 8.

§. XXXVII.

Ladislai adolescentis, Hungariæ ac Bohemiæ Regis obitus.

Bonfin. lib. 3. dec. 8.

Enimvero Ladislaus ipsa Religione nil antiquius cordi habuit, ut vero rem ad

ad optatum deduceret exitum, sua cum Legato contulit consilia, quibus magis provida, magisque orthodoxa ab utriusque sapientia, & fidei fervore haud desiderari poterant. Verum præmaturus adolescentis Regis obitus optimos hosce ingenii ac pietatis sensus fefellit; Ladislaus enim propinato veneno nonnisi duodeviginti annos natus, circa finem Mensis Novembris e vivis ereptus est. Ejus corpus in Choro Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis in monumento Proavi sui Caroli VI. sepultum quiescit. Violenta illius mors crimini datur duobus Hussiticæ factionis Principibus, aut saltem uni eorum: hi autem erant Rochisana, & Podiebracius, quorum prior sectæ suæ securitati consulere, alter vero Regni administrationem sibi asserere studebat. Præsenserant enim ambo, de consiliis, rebusque suis conclamatum esse, quamdiu summa rerum potiretur talis, tantusque Princeps, qui divini Numinis favore cunctis dotibus, quæ ad Regis omnibus numeris absoluti gloriam necessariæ sunt, decoratus erat, necnon a perversis eorum doctrinis tantopere alienum præmonstraverat animum.

Sæcul. XV. A.C. 1457.

Æn. Sylv. hist. Boh cap. 69. 70. & 71. Michov. l. 4. cap 67. Æneas de moribus & cond. Germ.

Funesta hujus mortis fama in Gallias delata est, cum Regia Sponsa jamjam sese itineri accingeret, Bohemiam petitura. Legati non minus, quam Regalis

Franciæ

Sæcul. XV. A C. 1457.

Franciæ Aula summo mœrore affecti, impetrata a Rege abeundi venia Lutetias Parisiorum contendunt, ubi ab Augensi & Armeniaco Comitibus die octava Januarii Anni sequentis honorifice excipiebantur, ibidemque solemnibus intererant exequiis, quas in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ Rex pro defuncti Regis anima celebrari jussit. His absolutis Legati iter suum prosecuti sunt. Ceteri oratores, qui in Germaniam decreti fuerant, ut Imperatoris animum ad acceptandas pacis conditiones inclinarent, necnon de belli sacri negotio cum Callisto Papa conferrent, nova mandata expectare cogebantur, edocendi, quid in hac rerum vicissitudine ipsis agendum esset. Spondanus, qui Matthiam Huniadis Filium a Ladislao Viennam deductum affirmat, testatum fecit, quod is eodem, quo Hungariæ Rex obiit, die Vienna Pragam captivus fuerit perductus, & a Podiebracio Regni Bohemiæ Gubernatore, cujus custodiæ tradebatur, tamdiu in carcere detentus manserit, donec ipse ad Regni solium evectus esset, quod etiam paulo post conscendit.

Spondan. contin. ad hunc ann. 1457. n. 10.

§. XXXVIII.

Joannes Lusitaniæ Regis Patruelis mortuus.

Eodem hoc anno Joannes Regis Lusitani

ni Patruelis, atque Jacobi Cardinalis Nepos fatis cessit, quem per nutricem Helenæ Cypri Reginæ veneno extinctum nonnulli referunt. Hæc ipsa Regina defuncto Marito suo, secundis nuptiis Ludovico Ducis Sabaudiæ Filio copulata est. Discimus quorumdam Scriptorum fide, quod summus Pontifex, siniſtro licet successu, in id incubuerit, ut inter viduam hanc, & Petrum de Borgia suum Nepotem Patrimonii S. Petri Gubernatorem connubium conciliaret, eo consilio, ut hunc in Cyprii regni solio sublimem cernere posset, hunc in finem quemdam S. Augustini Alumnum in hanc Insulam legasse, ast in vanum laborasse dicitur. Enimvero Calliſtum propinquis ad honorum apices provehendis vehementius, quam ejus ætas, & sancta quam gerebat, dignitas, paterentur, incubuisse constat: Ast idipsum maximam ipsi labem inussit.

Sæcul. XV. A. C. 1457.

§. XXXIX.

Franciſci Foſcari antiqui Venetorum Ducis obitus.

Hic idem annus Venetorum Reipublicæ sat funestus accidit, ob mortem digniſſimi Viri Franciſci Foſcari, qui defuncto Thoma Mocenigo Anno supra milleſimum quadringenteſimo vigeſimo tertio in Du-

Æn. Sylv. Europ. c. 50.

Sæcul. XV. A C. 1457.

cem ſuffectus erat. Venerandus iſte ſenex, cum ſub ſuo regimine, quod triginta quinque annos cum ſumma nominis ſui laude geſſit, Philippo Mediolanenſium Duci fuſis ſæpius ejusdem copiis ingentes intuliſſet clades, ac Brixia, Bergomoque urbibus eidem ademptis, ditionem Venetam terra marique longe ampliaſſet, adhuc tam firma corporis valetudine fruebatur, ut Senatum ſumma cum ſollicitudine moderari noſſet, licet jamjam ferme nonageſimum ætatis ſuæ annum ageret. Aſt Reſpublica non ſine nota vix unquam auditæ ingratitudinis (*) hunc Virum tanquam Senatui præ ſenio inutilem gubernationi cedere compulit. Hæc injuria tantopore Franciſci animum afflixerat, ut inter domeſticos lares vitam privatam ducere pertæſus, paulopoſt cum indignatione adverſus patriam ſuam naturæ debitum redderet. Ejusdem Filius natu major veluti in Rempublicam quippiam molitus eſſet, accuſatus, parem infeſtæ fortunæ calamitatem expertus, ac in exilium depulſus eſt, a quo tamen ſive agnitæ tandem inno-

(*) *Æquius cum Spondano Continuat. ad hunc annum num.* 14. *aſſerimus*: hoc certius tribuendum eſſe nonnullorum ambitioni ac æmulationi, quam æquitati, & juſtitiæ Senatus toti orbi comprobatæ.

innocentiæ ſuæ teſtimonio, ſive fervidis amicorum precibus adjutus, brevi revocatus fuit. Attamen vix domum redux nova rurſum accuſationum capita adverſus eum proferuntur; unde quæſtioni ſubjectus, cum nullum crimen fateretur, in Peloponeſum relegatus, miſeram ibi vitam finivit. Præterea Foſcari Gener, cum Cretam Inſulam nomine Reipublicæ gubernaret, domum repetere cogebatur, atque ingenti mulctatus pecunia in exilium mittebatur. Filiorum ſuorum alius Romam auffugit, ubi ad Epiſcopatum Patavinum nominatus, demum a Paulo V. (*) clam Cardinalium Collegio adſcriptus eſt. Sæcul. XV. A. C. 1457.

§. XL.

(*) *Continuatorem corrigendum eſſe cenſemus; cum enim Paulus V. primum anno* 1605. *Pontificios apices aſcenderit, hunc Petrum Virum centum annorum & amplius gravem Cardinalibus ab eo aggregatum fuiſſe dicendum foret: igitur potius Sixtum IV. legendum putamus; ſub ejus enim Pontificatu Onuphrius Panvinius in ſua epitome Pontificum Romanorum recenſet Petrum Foſcarum, eumque appellat Venetum, & Primicerium S. Marci Venetiarum, ac Epiſcopum Patavinum, teſtaturque illum Anno* 1477. *Cardinalem tit. S. Nicolai fuiſſe creatum.*

Sæcul. XV. A.C. 1457.

§. XL.

Clades Turcis a Scanderbego, & Cardinale Aquilejenſi illata.

Æn. Sylv. epiſt. 282. idem Aſia cap. 74.

Tandem Hungaria Turcarum invaſionibus libera evaſit, quæ ab horum armis antehac admodum vexata fuit; Scanderbegus enim Infidelium copias fudit, ſtravitque, & Cardinalis Aquilejenſis apud Rhodios, & Ægeum mare magna pariter clade eorum claſſem affecit. Æneas Sylvius, qui poſtremam hanc victoriam memoriæ proditam reliquit, egregium recenſet facinus cujusdam fœminæ in Inſula Lesbiæ degentis; cum enim Turcæ præcipuum hujus Inſulæ oppidum oppugnarent, & mœnium parte machinis ſubruta Chriſtiani ad extrema redacti fugam meditarentur, adſuit hæc Virgo, ſuoque exemplo civium animos erexit, demum virilibus armis munita toto impetu in Turcas irruit, pluresque eorum tanto virium robore trucidavit, ut ceteri cives pugnantem ſecuti, ingentem hoſtium ſtragem ederent, ac reliquos fugam arripere compellerent. Neque hic infauſta Turcis ſtetit fortuna; Rex enim Perſarum alia longe majori clade eorum copias profligavit. Hic juxta Chalcondylem Chaſanes Longus, juxta Phranzem Zucheſanes, ab aliis vero Uſum-

Usumcassanus appellatus, in sortitione Provinciarum Cappadociam, & Armeniam obtinuit, ac præterea Persidem, pulsis Tartaris, acquisivit, tandem vero, licet Mahometis sectæ addictus esset, Imperatoris Trapezuntini Filiam uxorem duxit. Sæcul. XV. A.C. 1457.

§. XLI.

Bellum a Rege Persarum Turcis illatum.

Usumcassanus igitur imperium suum ampliandi cupidine stimulatus, Syriam, & Ægyptum invadere constituit, atque Callisti Pontificis, & Venetorum hortatu bellum Turcis inferens, horum copias bino prælio profligavit. Ex Ænea & Platina discimus, quod Rex Persarum suos ad Calliſtum Papam Legatos decreverit, datisque ad eum literis significaverit, se duas, easque omnino insignes victorias publicis Ecclesiæ precibus a Turcis reportasse, proin tanti beneficii, quod per divinum potius quam humanum auxilium obtinuisset, se toto vitæ suæ tempore memorem futurum. Cum vero hos Legatos primum Pius II. Successor Calisti exceperit, aperte constat, missos eos fuisse, antequam Usumcassanus tertia clade a Turcis anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo attritus esset.

Spond. ad ann 1457. *n.* 16.

Æn. Sylv. ut supra. Platin. in Calliſto III.

Sæcul. XV.
A.C. 1457.

§. XLII.

Concilium Avenionense a Cardinale de Fuxo celebratum.

Collect. Conc. 6. Labbe Tom. XIII. pag. 1406.

Currente hoc anno Avenione celebrata est Synodus, cui præfuit Petrus de Fuxo Cardinalis, Archiepiscopus Arelatensis, ac Legatus Avenionensis. Intererant quoque Alanus S. R. E. Cardinalis; Robertus Aquensis Archiepiscopus; Petrus Episcopus Aptensis; Georgius Senecensis; Gaucherius Vapincensis, & Nicolaus Massilienſis: Adfuere etiam Petrus Dignensis; Petrus Glandavensis; Palamedes Cavalljanus; Pontius Vasionensis; Joannes Rhegiensis; Stephanus Fricassinus, Michael Carpentoractensis, & Joannes Aurasionensis. Ceterum Cardinalis de Fuxo natione Gallus Ordinis Minorum a Martino V. summo Pontifice cardinalitio honore insignitus, jam antea Concilio Constantiensi interfuit, nunc vero ex eo potissimum consilio præsentem Avenionensem coegit Synodum, ut Basileensis Concilii decretum de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ confirmaret. Id ipsum præstitit statuto, quo severe omnibus, & singulis sub pœna excommunicationis inhibuit, ne ullus contrariam opinionem prædicare, vel publice de illa disputare præsumeret; Præterea

terea mandavit Ecclesiarum Curatis, ut hoc statutum publicarent, ac populo exponerent, ne fidelium quisquam ignorantiam obtendere valeret. Hæc Synodus celebrata est in Ecclesia Cathedrali Avenionensi die septima Mensis Septembris Anno Incarnationis millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo Pontificatus Callisti tertio; illius autem autographum in Bibliotheca illustrissimi Episcopi Vasionensis asservari testatur Pater Labbeus. Sæcul. XV. A. C. 1457.

§. XLIII.

Pax Regem inter & Delphinum restituta.

Interea Rex Galliarum, cum Delphinus ad Burgundum se recepisset, cuncta Delphinatus loca occupabat, urbesque ad confinia Ducis Burgundiæ sita novo præsidio firmabat, postea vero omnibus harum regionum incolis quodcunque consortii genus cum Filio suo interdixit, simulque prohibuit, ne eum inconsulto Patre ullatenus exciperent. Burgundiæ Dux hac agendi ratione non modice turbatus hæsit, veritus, ne forte Rex Filium suum intra Burgundiæ ditionem armata manu extrahere meditaretur; Cum igitur Dux ad ejusmodi vim vi repellendam sese compulsum iri præsenserat, Patrem *Joa. Chart. Hist. Car. VII. pag. 288. & seq.*

Sæcul. XV. A.C. 1457.

trem Filio reconciliare omni ope & opera contendit, atque hanc in rem Joannem de Croy, & Simonem de Lana in Gallias ablegat, qui ipsum ab omni culpa ob receptaculum Delphino concessum apud Regem liberabant, Patrisque clementiam, si Filium suum in gratiam reciperet, summopere commendandam edicebant, tandemque Regi exponebant, quod Delphinus contra Turcas pugnaturus, Hungariam petere firmo constituisset animo; igitur iidem ad hoc iter necessarias copias, atque pecunias a Rege efflagitabant. His Rex respondit, ea, quæ Burgundiæ Dux Filio obsequiose præstitisset, sibi plene probari, seque Filium in gratiam recipere paratum esse, quamprimum ipse officii sui memor, dimissis a suo obsequio quibusdam Viris, obsequentis Filii partes explere promiserit. Ceterum præsentes rerum, Regnique vicissitudines obstare, quominus Delphinum iter in Hungariam aggredi, consultum esset, eo maxime, quia Angli, Galliarum Regni hostes, ex absentia Nobilium, atque copiarum, quæ Filium comitarentur, facile Regnum invadendi opportunitatem caperent; non enim Delphinus adeo peregre proficisci posset, nisi eum validus miles, talisque, qui tantum Principem, proximumque Regni hæredem decet, comitatus stiparet. Hoc

Lalain

Regis

Regis reſponſum, licet æquitate firmatum, Delphino diſplicuit, qui mutato confeſtim conſilio in Belgio hærere decrevit, conjugemque ſuam Carolinam ejusdem Ducis Filiam, quam hucusque nunquam viderat, ex Sabaudia accerſiri juſſit. Hæc adventum ſuum nil cunctata, & connubii jure uſa, tertio exposſt anno Filium procreavit, tenera adhuc ætate fatis ereptum. Ceterum Delphinus haud diu quietus in Brabantia ſubſtitit, ſed brevi inter Burgundiæ Ducem, ejusque Filium diſſidiorum telam exorſus eſt, cum Proceres ex nobiliſſima Familia de Croy ortos, qui Patris animo dominabantur, ad ſuas partes pertraheret, eosdemque adverſus Ducis Filium, qui illos ferre non poterat, conſilio & opera tueretur. Sæcul. XV. A. C. 1457.

§. XLIV.

Richardi Eboracenſis Ducis ſummum in Angliam imperium.

Richardus Eboraci Dux, cæſis fugatisque regiis copiis, ſemper Regem ſibi tanquam tutori obnoxium tenuit, regnumque cum ſummo imperio adminiſtravit. Præprimis Henricum compulit, ut ad Londinenſem urbem Senatum convocaret, qui quidem primum Regis honori conſulturus, rei male admi- *Polyd. Virgil. hiſt. Angl. ad hunc ann.*

Sæcul. XV. A C. 1457.

nistratæ culpam in suorum Ministrorum humeros rejicere studuit; verum brevi tempore Henricus regendo impar declaratur, eique tutores constituuntur. Horum tres Eboracensis Dux nominari voluit, quos inter ipse primus esset, adjecta Protectoris Regni dignitate. Alter erat Sarisberiensis Comes, quem etiam Angliæ Cancellarium nominarunt. Tertius demum Varvicensis Comes, cui Caleti administratio demandata est. Hanc eo tempore præ totius Regni ditionibus & proventuum ubertas, & loci amænitas quam maxime commendabat. Ita nempe Eboracensis Ducis amici ad honorum fastigia ascenderunt, eo altiore gradu, quo potior quisque in Ducis gratia esset. Ipse quoque Eboracensis, ne tentato quidem belli discrimine, sensim sibi planam ad Angliæ solium viam stravit, & ab ipsa imperii summa nonnisi uno passu distare videbatur, id solum adhuc præstolabatur, ut publicis etiam populi acclamationibus ad usurpandas regni habenas urgeretur; quippe coronam simul, & sceptri non a se sponte capti, sed sibi invito delati gloriam acquirere affectabat.

Verum Regina, quæ non minore prudentia, animique fortitudine eminebat, quam Rex ejus Maritus ignavia atque somno-

somnolentia, torperet, Eboracensis ambi- Sæcul. XV.
tioni sese pro viribus opponere statuit. A. C. 1457.
Quocirca cum Henrico recens electo Sommersetiæ Duce, necnon cum Buckinghamo itidem Duce, aliisque sua consilia confert, ac plurimos auctoritate ac potentia præcipuos ad suas partes trahere conatur; Hi omnes rem tam religioso silentio tegebant, ut ipse Richardus nihil eorum, quæ gesta fuerant, subodoratus esset, donec in quodam Senatu, cujus membra ab ipsa Regina fuere selecta, atque ad Granvicensem urbem convocata, Rex declarasset, sibi haud ultra Protectorem fore necessarium, proin Eboraci Ducem regni administrandi sollicitudine eximendum; atque rupta omni mora sigillum majus manibus Regis reddendum esse, ut id illius fidei, quem Rex e subditis suis magis idoneum judicaverit, committeretur.

§. XLV.

Dux aula profugus.

Hoc Senatus decreto Dux summo terrore defixus hæsit. Ast temporum injuriæ cedendum ratus, atque imminens capiti suo periculum veritus, una cum Sarisberiensi, & Varvicensi Comitibus aula excessit. Horum absentia tandem Regis auctoritas revixit; verum brevi

Sæcul. XV. A.C. 1457.

brevi disparuit supremæ Majestatis splendor; Rex enim non modo Ducem, & utrumque Comitem insequi, ac denique sese a tribus hisce Patriæ hostibus liberare neglexit, sed insuper perinde, acsi illis aula expulsis jam jam sibi, regnoque suo plene consuluisset, in pristinam incidit vecordiam, a qua illum nec severa Reginæ consilia, nec amica Ministrorum monita unquam retrahere poterant.

§. XLVI.

Dissidia de successione in Hungariæ & Bohemiæ regna.

Naucler. vol. 3. gener. 49. p. 481.

Cum Juvenis Ladislaus Hungariæ, atque Bohemiæ Rex vita functus esset, utrumque hoc Regnum plurimorum contendentium ambitionem stimulabat. De Austria diu disceptatum est inter Fridericum Imperatorem, & Albertum IV. fratrem ejus, cognomento *bonum*, & Sigismundum Tyrolensium Comitem horum Patruelem. Ast cum Sigismundus jure suo aut vero aut præsumpto facile cederet, ceteri duo aliquamdiu inter se dimicabant, donec tandem, post varias fortunæ viciſſitudines, quarum præcipuas impræsentiarum delibabimus, lis composita esset, concordiæ legibus inter eos Friburgi sancitis.

§. XLVII.

Sæcul. XV.
A.C.1458.

§. XLVII.

Matthias Huniadis Filius Rex Hungariæ renuntiatus.

In Hungaria major erat Competitorum numerus; Cum vero obſequiorum, quæ Huniades regno præſtitit, in Hungarorum animis recens inſculpta eſſet memoria, fere omnium ſuffragia in Matthiam ejusdem Filium conſpirarunt. Equidem ille in Bohemia captivus detinebatur; verum Michael Zilagius ipſius avunculus, tanta dexteritate Procerum animos, quos Matthiæ propenſos noverat, in cæpto ſtudio firmavit, remque per ſuas tam induſtriæ, quam artis vires adeo proſpere geſſit, ut Matthias palam ab omnibus Hungariæ Rex proclamaretur. Præterea Joannes Cardinalis S.Angeli, qui olim apud Ladislaum Legatus Apoſtolicus in Bohemia erat, non ſolum omni ſtudio contendit, ut liberaliter deprædicato Huniadis Patris merito Filii electionem promoveret, ſed inſuper, ut a vinculis abſolveretur Matthias, apud Podiebracium haud ſegniore conatu interceſſit, tam felici ſucceſſu, ut Podiebracius, generoſi animi ſui ſpecimen præbendi occaſionem ſibi gratulatus, Matthiam liberum dimiſerit, ea tamen lege, ut affinitatem cum ipſo ducta in uxorem

Æn. Sylv. epiſt. 523.

Bonfin. 3. dec. 9.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

xorem ejus filia, paciſceretur. Cæptis conſiliis colluſit eventus; quippe Matthias Hungariæ Rex renuntiatur, perſolutis Podiebracio in liberationis præmium ſexaginta aureorum millibus.

§. XLVIII.

Fridericus Imperator regni Bohemiæ competitor.

Fridericus Imperator coronam Bohemiæ ad ſe devolutam affirmabat ex eo, quod Ladislaus, cum pro illa debitum Cæſari homagium ſolito ritu præſtare neglexiſſet, abs dubio hoc regnum jamjam vel ſibi, vel ſuorum cuipiam vindicare voluerit. Caſimirus quoque Ladislai regnum ſibi deberi contendebat, ratione uſus ſat vero ſimili; dicebat enim, ſibi ultimi Regis Bohemiæ ſororem fuiſſe deſponſatam. Eodem etiam, quin & potiori ſucceſſionis jure præferri poſtulabat Guilielmus Saxoniæ Dux, cui alia Soror natu major nupta erat. Nec minorem coronæ ſpem Sigismundo, & Alberto Auſtriæ Ducibus tribuebat antiquum fœdus inter Bohemos, & Auſtriacos, vi cujus alter alteri ſine maſcula ſobole decedenti ſuccederet.

Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. XLIX.

Podiebracius Rex Bohemiæ ſalutatus.

Podiebracius ſibi quoque ſuccedendi jus competere contendebat, eoquod & ipſe indigena eſſet, ac inſuper a multis retro annis Regni Gubernatorem egiſſet: quamvis vero hæc ratio haud magni momenti videretur, nihilominus apud Ordines Regni plurimum valuit, præprimis inſtigante Rochiſana, præcipuo hujus electionis promotore, cui haud ignotum erat, hunc Competitorem ſuæ ſectæ nequaquam obluctaturum. Hæc ipſa ratio ceteris prævalere videbatur. Igitur Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo, die quinta Martii Podiebracius Rex Bohemiæ pronuntiatus, & a duobus Epiſcopis ex Hungaria evocatis in die Aſcenſionis Domini unctus eſt: Hic quamvis Huſſitica labe clam infectus eſſet, nihilominus Pontificis gratiam aucupaturus, in coronationis ſuæ ſolemniis Sedi Apoſtolicæ, ejusque auctoritati obedientiam in ſacris ac fide Eccleſiæ ſpopondit. Electus eſt nullo ferme contradicente, ac potiſſimorum ſuffragiis in eum concurrentibus. Equidem Catholicorum nonnulli Podiebracio ſuffragari recuſabant, veriti, ne Neoelectus

Cochl. Hiſt. Huſſit. lib. 12
Dubrav. l. 30
Papieus lib. 6

Sæcul. XV. A.C.1458.

electus Rex orthodoxam aboleret fidem, aſt ſua opinione deluſi ſunt; Podiebracio enim ſatis perſuaſum erat, ſe nunquam in pace regno potiturum, niſi ad Eccleſiæ obſequium rediret. Unde non modo Rebelles armis compeſcere ſtuduit, ſed etiam illis vix domitis, ut longe ardentius ad ſinum Eccleſiæ, & unitatem fidei revertendi deſiderium oſtenderet, raro prorſus artificio Taboritas extirpavit, ut mox perſpiciemus.

§. L.

Taboritæ a Podiebracio exterminati.

Continua Orphanos inter & Taboritas diſſidia nonniſi mutua exercitus ſui clade dirempta fuere; quamvis enim hæ duæ ſectæ concordiam redintegraſſent, nihilominus Huſſitæ brevi in duas factiones jam altera vice ſciſſi ſunt. Illi, qui ſectæ ſuæ doctrinam ad ſolam communionem ſub utraque ſpecie reſtringere renuebant, cum ceteris potentiores eſſent, urbem Tabor ſtratagemate occuparunt, ubi plena libertate illos quadraginta quinque ſectæ ſuæ articulos profitebantur. Podiebracius horum factionem ceteris unire deſperans, eos omnino exterminare decrevit, hoc uſus artificio.

§. LI.

Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. LI.

Tabor urbs eversa, atque succensa.

Podiebracius Rochisanam ad suas partes trahit, hic vero Taboritarum factioni se favere simulans, illos hortatur, ut abjecta appellationis via omnibus, quæ in Generalibus Hussitarum comitiis decernerentur, sese submitterent, ac ad eundem conventum suos quoque Oratores ablegarent. Cum autem in hoc congressu eorum secta damnata fuisset, illi sese sententiæ latæ subjicere recusabant: hinc Podiebracius totum exercitus sui robur in eos educit, urbemque Tabor obsidione cingit; Verum obsessi invicto prorsus robore ac pertinacia restiterunt. Cum ergo obsidio jam solidum annum teneret, Podiebracius urbem vi occupat, & obsessos tanta strage afficit, ut ad unum omnes deleti fuerint. Ast cum Taboritæ urbem suam validissimis firmassent munimentis, Podiebracius verebatur, ne regno suo, exstantibus quibusdam rebellionis vestigiis, plena deinceps, ut optaverat, tranquilitate haud frui posset, urbem ideo evertere decrevit, eamque continenti incendio totam consumi, illiusque munimenta funditus everti præcepit.

§. LII.

Sæcul. XV.
A. C. 1458.

§. LII.

Mauri in Africa a Lusitaniæ Rege bello invasi.

Hoc anno Alphonsus Lusitaniæ Rex unacum Fratre suo, Ferdinando de Villo ejus Patruo, Henrico magno Ordinis Christi Magistro, ac primariis totius Regni Nobilibus, naves conscendit, & passis velis in Africam trajicit, jactisque anchoris ad urbem, quam Alcasariam parvam sexto a Septa lapide dissitam nominant, milites suos in terram exponit, tanto molimini pro viribus quidem, incassum tamen, obluctantibus Mauris, qui litora maris obsidebant. Alphonsus omnis moræ impatiens urbem invadit, primoque suorum impetu eam occupat; quam Victor feria quarta die octava decima Octobris in festo S. Lucæ solemni pompa ingreditur, atque Eduardo de Menezes Petri ejusdem nominis Valentiæ Comitis Filio spurio urbis hujus Præfecturam demandat, ipse vero Septam usque progreditur. Verum Alphonsus vix urbem deseruit, dum Fezzani regni Princeps Alcasariam triginta millium equitum, & copiosissimo peditum exercitu cinxit, eodemque ferme momento urbem quinquaginta bellicis tormentis, quorum non-

nonnulla quadringentarum librarum globos emiserant, quatere cæpit. Lusitani singulari virtute obsidentium impetus retundebant, etsi jam tanta alimentorum inopia laborassent, ut famem depulsuri omnes suos equos jugulaverint, exceptis triginta, quos totidem Lusitani ductore Henriquez de Menezes Gubernatoris Filio conscendunt, urbe erumpunt, e fossis aggeribusque Mauros vi dejiciunt, ac tormenta adactis clavis obstruunt, & æternæ memoriæ digna fortitudinis suæ specimina edunt. Hos inter Martinus de Tavora Consalvium Vas-Continhium sibi maxime infensum e mortis periculo liberavit, nec tamen unquam cum eo in gratiam rediit. Ceterum Mauri impigrum obsidionis laborem in totam residui anni partem protrahunt, tandem magis constantia, quam armis Lusitanorum nequidem deditionem somniantium lassantur, & a cæpta obsidione desistere compelluntur, desideratis suorum centum millibus & amplius. Tormenta quoque quam plurima, ceteraque impedimenta Victoribus in prædam reliquerunt. Adeo inimicam sibi fortunam Fezzæ Rex in expugnatione Alcasariæ urbis expertus est.

Sæcul. XV. A. C. 1458.

Mariana Hist. Hisp. lib. 22.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LIII.

Alphonsus Genuam obsidet, & Neapoli moritur.

Verum longe magis infausta fuit alteri Alphonso Arragoniæ ac Neapolis Regi Genuensis civitatis obsidio; Hanc terra marique cinxit, ejusdemque classis Præfectus Bernardus de Villa-Major cum viginti navibus, ac decem longioribus navigiis Portum Delphini attigerat, ut classe sua juxta mandatum Regis Genuensem portum circumdaret; cum interea Palermus patria Neapolitanus urbem terra copiis suis cingeret. Jamjam civitatis aditum omni ex parte tam arcte intercluſit Rex, ut obsessi ad incitas redacti, haud dubie deditionem fecissent, nisi intempestiva eaque ardentior febris Alphonsum, dum adhuc Neapoli hæreret, die vigesima septima Junii hoc anno vivis eripuisset. Hic Princeps erat sane armorum peritia, animi fortitudine, pietate, munificentia, ac literarum æque ac literatorum amore longe clarissimus, Theologiæ quoque scientia haud leviter tinctus. Bartholomæum Faccium, qui sui ævi historiam concinnavit, Georgium Trapezuntinum, Laurentium Valla, & Antonium Panormitam Bononiensem, qui omnes profunda eruditione spectatissimi

Naucler. vol. 3. gener. 49.

Blondus Summont. Colinutio. Surita Fazel. Spond.

tissimi erant, pluribus cumulavit beneficiis. Diem obiit Alphonsus annos natus sexaginta sex, nulla prole relicta; quocirca Regnorum Arragoniæ, atque Siciliæ successorem habuit Joannem Fratrem suum, jam antehac Navarræ Regem. Sæcul. XV. A.C.1458.

§. LIV.

Ferdinandus spurius Alphonsi Filius Rex Neapoli salutatus.

Alphonsus, priusquam moreretur, Ferdinandum filium suum spurium Neapolitani Regni hæredem testamento nuncupavit, eique vix non expirans monita dedit, in tribus præcipue illum adhortatus. I. Ut ad regimen quiete gerendum, Arragonenses & Catalanos, tanquam Regno exosos a se dimoveret. II. Exactiones haud ferendas, quas ipsemet imposuerat, diminueret. III. Pacem cum Ecclesia, aliisque statibus, atque Italiæ Proceribus conservaret. Ceterum cum Callistus Papa odium, quo in Alphonsum secreto ferebatur, palam exerere non auderet, eoquod viventis potentiam timeret, illo tamen fatis functo iram suam in Ferdinandum effudit. Vix enim Pater ejus extremum vitæ spiritum ediderat, cum Pontifex omnes Episcopatus, quos ab Alphonso conferre prohibebatur, libere concedebat, regnumque Neapolitanum *Comm. Pii II lib. 2 fol. 35.*

S. Antonin. tit. 22. cap. 16 §. 1.

Secul. XV. A.C. 1458.

per Regis mortem vacare declararet. Quapropter Ferdinando inaugurationis diploma concedere renuit, regnumque Alphonso sine legitima prole defuncto, utpote prædium Sedis Apostolicæ beneficiarium ad Romanam Ecclesiam devolutum esse contendit, præcepitque Ferdinando sub pœna anathematis, ut nequaquam Regem se nominaret, eademque pœna ceteros Regni Principes ac civitates, ne ejus jussa facerent, monuit, clam vero cum subditis ejus de seditione egit, divulgatis etiam epistolis, quibus Ferdinandum suppositititium, non autem legitimum Alphonsi Filium dixerat. Quinimo, si qua fides quibusdam Historicis, Callistus Borgiæ Sororis suæ Filio Regnum Neapolitanum destinabat, quem jam antea Spoleti Ducem creaverat, Virum alioqui multis vitiis inquinatum. Hæc Pontificis consilia adeo exasperabant Ferdinandum, ut a sententia summi Pontificis ad futuram Synodum provocans, conscripto exercitu Romam invadere moliretur, & ubique divulgaret, quod quidem Callisti dignitatem, non vero ejus personam revereretur, regnique Neapolitani jura Dei gratia, Patris beneficio, Eugenii & Nicolai Pontificum concessione, & Procerum, civitatum, ac populorum consensu obtineret; rationes vero, ob quas Callistus

Surita lib. 16. cap. 38. & seq.

stus regnum ad se devolutum diceret, Sæcul. XV.
frivolas esse; minas autem, ac Papæ A.C. 1458.
censuras nihil se timere ajebat. (*) Ad
hæc tamen priusquam prorumperet Ferdinan-

(*) *Dum Continuator hæc tam libero calamo scribit, eundem vix non inconsideratum compilatorem ausim appellare; Probatum enim Historiæ scriptorem oporteret in rebus seu recensendis seu omittendis apprime prudentem, in dijudicandis sincerum & integrum, atque in iis, quæ laude aut vituperio digna sunt, internoscendis, oppido sagacem, & consideratum esse. Continuator autem noster inconsiderate Callistum criminatur de continuo erga Alphonsum odio, tandem in Ferdinandum apertius expleto, an autem aversio ista fuerit æqua vel iniqua, contra Personam, vel Alphonsi vitia, & vexationes, quibus Ecclesiam toto ferme regni sui tempore dilacerare conatus est, humana & divina jura privati sui commodi gratia proterrere solitus, hæc inquam Continuator noster internoscere neglexit; Equidem Historici partes adimplevit, ex Spondano recensens, a Callisto Episcopatus post mortem Alphonsi fuisse collatos, Ferdinandum a successionis jure exclusum, illum adversus Papam indigna molitum esse, sed eadem sinceritate, qua Spondanus, indicare debuisset, quod hæc ex Joanne Joviano Pontano deprompserit,* qui pro immoderato affectu

Sæcul. XV A. C. 1458.

dinandus, per literas & Oratores suos, quamvis incassum, iratum Callisti animum lenire quæsivit.

§. LV.

Plures alii Principes de regno Neapolitano contendentes.

Nec Ferdinando alii deerant æmuli, qui Regnum Neapolitanum exteris Principibus vindicare adlaborabant. Nonnulli enim Carolum Vianæ Principem, regnique Navarrici hæredem ad capessendum Regni Neapolitani sceptrum inducere conabantur, cum legitimus Alphonsi ex fratre Nepos esset. Hic tamen non tam liberi arbitrii selectu, quam potestatis defectu, neve in suspicionem affectati regni adduceretur, Neapoli discessit, quem exitum turbatus rerum status sortiturus esset, præstolaturus. Alii hanc

in Dominum suum, immodestissime in summum Pontificem elatus talia effutiit. *Non quidem ab Historico desiderandum, ut integras conscribat apologias, contra sinceritatem tamen & integritatem peccat, si duntaxat ea corradit, quæ unus vel alter auctor livido dente arrodit, carpitque, illa vero studiose reticet, quæ Scriptores alii longe plures æque ac præstantiores, vel commendant, vel ab aliis perperam dicta refutant.*

hanc coronam Joanni Arragoniæ Regi & Alphonsi Fratri jure imponendam contendebant; Ille autem certis Hispaniæ opibus, ac ditionibus contentus, longinquas, easque incertas haud magnopere curabat. Joannes quoque Andegavensis, qui Renati olim cum Alphonso de hoc regno contendentis Filius erat jura sua resuscitavit. Hunc Carolus VII. Galliarum Rex, postquam Genuenses in suam tutelam receperat, Genuam misit, ut Alphonsi vexationes reprimeret, qui etiam rem egregie ac fortiter aggressus est, lætaque habuit belli initia, cum magnam Neapolitani Regni partem occuparet; sed exitum demum tristem expertus est; sexto enim post adventum suum anno tota Italia omnino expulsus, ad sua reverti compellebatur.

Sæcul. XV. A C. 1458.

§. LVI.

Callisti III. summi Pontificis obitus.

Ferdinandus tandem permansit pacificus Neapolitanæ coronæ possessor, cum a crebris molestiis fuisset ereptus per Callisti Pontificis obitum, qui hoc anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo sexta Mensis Augusti die Romæ contigit, postquam Callistus ætatis suæ octoginta, Pontificatus

Sæcul. XV. A.C.1458.

vero annos tres, menses quatuor, demptis tribus diebus expleverat, & quadraginta omnino diebus gravi morbo afficiebatur. In illius funere Joannes Antonius Campanus natione Italus Interamniæ in Aprutio Episcopus, defunctoque Pontifici a secretis, orationem habuit, quæ in ejusdem Præsulis operibus extat. Ceterum Calliſtus quinquaginta millia juxta Platinam, secundum S. Antoninum autem centum quinquaginta aureorum millia reliquit. (*) Cardinales, dum de vita summi Pontificis desperarent, castrum S. Angeli de manibus Catalanorum redimi procurarunt, datis aliquot aureorum millibus ejusdem Præfecto; Romani etiam hujus Nationis Viros, eoquod violenter nimis, Papa vivente, se gessissent, pessime habuerunt. Petrus quoque Callisti nepos in civitatem veterem ad declinanda Ursinæ Familiæ odia confugit, ubi non multo post mortalibus rebus ereptus est.

Platin. in vita Calliſti. III.

Antonin. tit. 22.c.26. §.1.

Ciacon. in Calliſt.

§. LVII.

(*) Platina dicit, *Calliſtus moriens centum & quindecim millia nummum aureorum reliquit, quos in uſus bellicos contra Turcas comparaverat?* quæ ultima verba sane reticeri non debuissent.

Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. LVII.

Cardinales conclave ingressi, Papam electuri.

Postquam in Ecclesia Vaticana Callisti exequiæ erant absolutæ, necnon corpus in marmorea tumba depositum, Cardinales tunc Romæ existentes numero viginti & unus decima die post funeris solemnia de more conclave ingrediuntur, quod in Palatio S. Petri dispositum fuit. Duæ seligebantur capellæ, totidemque aulæ, quarum amplior in cubicula Cardinalium habitationi accommoda distribuebatur, altera vero minus spatiosa, quæ S. Nicolai capella appellatur, destinabatur pro loco, ubi Sessiones celebrarentur. Reliquum vero Palatii omnibus in conclavi existentibus pro ambulacro relinquebatur: Prima die, qua Cardinales conclave ingressi sunt, nihil actum est circa electionem, sequenti autem capitula quædam edita, quæ observari a novo Pontifice statuebant, jurabantque singuli, se ea servaturos, si electio in quempiam eorum caderet. Tertia demum die, peracto Sacro solemni de Spiritu sancto ad scrutinia procedunt, ubi inventum est, quod Cardinales Bononiensis & Senensis (hic ipse erat Æneas Sylvius) potissima tulerint suffragia; ex reliquis enim

Platina in Callist. III.

Comment. Pii II. lib. I.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

enim nullus plusquam tria numerabat. Guilielmum vero Cardinalem Rothomagenſem ne unico quidem ſuffragio dignati ſunt, ſive quod parum acceptus aliis, ſive regendæ Eccleſiæ impar judicatus eſſet.

§. LVIII.

Cardinalis Rothomagenſis Æneæ Sylvii electioni obluctatus.

Quamvis Cardinales abſolutis ſcrutiniis mutuo conferre ſoleant, experturi, an non forte eorum quisquam mutato conſilio alteri accedere velit, quam viam *acceſſus* appellant, nihilominus hac die ejusmodi medio haud uſi ſunt, quæ res non modice offendit illos, qui electionem potiſſimum ſuis ſuffragiis deberi cenſebant. Ceterum ſoluto prandio rurſum conveniunt omnes, atque auctoritate præcipui pro ſuis amicis qua precibus, qua promiſſis, quin etiam minis aliorum ſuffragia ſollicitant. Verbo, Cardinales tanto æſtu rem agebant, ut nullum tranquillitati locum reliquiſſe viderentur. (*) Præ reliquis Cardinalis Rothoma-

(*) *Platinam & Gobelinum Perſonam in Commentariis Pii II. hanc in rem allegatos lego, quæ autem Continuator hic refert, nullibi reperio*

thomagensis Senensem timebat, unde cu- Sæcul. XV.
juslibet auribus sigillatim hæc suggesse- A.C.1458.
rat: *Quid vobis Æneas Piccolominius, quem Pontificem designatis? Pauperem, & infirmum* (podagra namque laborabat) *præficietis Ecclesiæ, ut in Germaniam sedem transferat, unde mercenarius alimenta quæsivit? Poetam dicetis Pontificem, qui Gentilium more regat Ecclesiam? Quid dicam de Philippo Cardinali Bononiensi, homo ille cervicosus, cui non solum deest consilium, sed consiliarii, quos audire recusat.*

Fave-

reperio. Platina de hac Æneæ Sylvii electione hæc habet: Ad hunc consensu omnium Pontificatus deferebatur. Ingressus itaque conclave Patrum omnium suffragiis Pontifex maximus creatur. *In commentariis Pii II. narratur:* Cardinalibus viam, quam vocant per accessum, experiri placuit. - - - - Sedebant omnes suis in locis taciti, & tanquam a Spiritu Sancto rapti, Cardinales universi nihil morati ad pedes Æneæ sese projecerunt, & eum Pontificem salutarunt. *Asi Æneæ Sylvii electionem velut tumultuariam depingere, Continuatori e re sua fuerat; cum enim ille Pontifex factus Basileensis Synodi decreta contra supremam Papæ auctoritatem edita revocasset, eaque irrita declarasset, saltem ejus electionem ad Pontificatum carpere voluit, cum illius vitam moresque sugillare non potuerit.*

Sæcul. XV. A. C. 1458.

Favebat Rothomagensi Cardinalis Avenionensis, Vir ad quæque audenda proclivis, suique commodi studiosus. (*) Hunc, ut Rothomagensis partes tam strenue tueretur, impulit partim ejusdem cum eo Nationis studium, partim ambitio obtinendi Rothomagensem Ecclesiam, Romanamque Vice-Cancellariam, quam hac electione vacantem se aucupaturum sperabat unacum Palatio, quod Romæ possidebat Rothomagensis; hic quoque ad suas partes pertraxit Genuensem, (**) & alterum Cardinalem titulo S. Sixti, quorum uterque natione Græcus erat. Ex reliquis Prosper Columna, Papiensis, Bononiensis, Ursinus, & Cardinalis de S. Anastasia mentem suam necdum aperuerant. Undecim ergo pro Rothomagensi numerabantur suffragia, & facile alius, qui duodecimum numerum expleret, accessurus sperabatur.

§. LIX.

(*) *Ex his luculenter apparet, quanti meriti fuerint illi, qui sese electioni Æneæ Sylvii opponebant.*

(**) *Legendum putamus*, Ruthenum; *hi duo enim erant Isidorus Thessalonicensis Archiepiscopus Ruthenorum Cardinalis Sabinus, alter vero Bessarion Cardinalis Tusculanus.*

Secul. XV.
A.C.1458.

§. LIX.

Cardinalium consilia de Rothomagensi in Papam eligendo.

Pridie, ac celebratum fuit scrutinium, media nocte ad Æneam Piccolominæum accedit Cardinalis Bononiensis, dicens: *Papam habemus. Plures ex fratribus conjurarunt pro electione Rothomagensis. Surge frater ad eum accedas, ne electum postea patiaris inimicum.* „ Me quod „ attinet, quæ in nupero conclavi passus „ sum, declinare studeo; Callistum enim „ semper mihi offensum habui; ut ergo „ me sequaris hodie, tibi consulo.

§. LX.

Sententia Æneæ de hac electione.

Bononiensi Piccolominæus respondit: *Amice tecum sit consilium tuum: Absit a me, ut dicam Christi Vicarium* hominem tam sancta dignitate tantopere indignum. *Si alii elegerint, innocens ego ero. Non propterea occidet me. Quod pauper sim moriturus, non tædet: nam in hoc natus sum. Musæ mihi superextabunt, dulce inopiæ refrigerium. Ego autem minime credo, quod in domo Sanctorum, & in habitatione sancta permittat Deus ministrare hominem simoniacum, ejusque domum fieri lupanar, & latronum speluncam. Dat Deus,*

non

Sæcul. XV. A.C.1458.

non homines Pontificatum. Cras videbis, „ Deum esse, qui Pontifices creat; ergo „ si vere Christianus es, Viro tanti hono- „ ris indigniſſimo ſuffragium tuum de- „ nega. „

§. LXI.

Rothomagenſis electio ab Ænea impedita.

Hæc Æneæ Sylvii verba tam intime Bononienſis animum penetrabant, ut mutato conſilio, Rothomagenſi ſuffragium ſuum denegare promitteret. Poſtera die, ſummo mane Æneas Piccolominæus Vice-Cancellarium adiit, ſciſcitans, an & ipſe in eorum abiiſſet partes, qui Rothomagenſem in Papam eligere deſtinaſſent? cui Cardinalis repoſuit: Quid? num contra torrentem currere poſſum? *cum majori parte convenio: electioni jam factæ non adverſor, ne eludar, & officio ſpolier Cancellariæ, quam mihi in ſcriptis confirmavit.* Cui Æneas, *O inſane! hoſtem itaque Nationis tuæ Pontificem dices, eique fides, qui fidem non habet? Cancellariam enim Avenionenſi promiſit; cui ergo ſtabit, indigenæ ſuo, vel advenæ, & extraneo? Gallus Gallo, vel Gallus Hiſpano. Si Deus, & Religio non movet; utilitas moveat.* Vide, quæ timenda reſtant ſub Pontifice Gallo. (*)

§. LXII.

(*) *Hæc ultima verba Continuator de ſuo addidit.*

Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXII.

Æneæ oratio ad Papiensem Cardinalem Vice-Cancellarium.

Æquo animo Vice-Cancellarius verba tulit Æneæ amici sui, nihilque, quod reponeret, promptum habuit, vidensque Æneas, Papiensem Cardinalem avidis auribus sua excepisse verba, ad eum digressus dixit: „ Video, quod studia tua tam „ arcte Cardinali Rothomagensi devove- „ ris, ut ab eo recedere, haud ultra tibi „ integrum sit. „ Respondit Papiensis Cardinalis, *Sane meum promisi adjicere calculum, sine quo etiam Rhotomagensis est Papa futurus.* Æneas reposuit: *Ita pensabis gloriam Proavorum tuorum? nonne Nepos illius Martini Brandi Cardinalis es, qui tempore Concilii Constantiensis non quievit, donec electione Martini V. Romæ sedes restitueretur Apostolica, quam in Germaniam transtulerat Joannes XXIII. Patruus tuus ex Germania sedem reduxit in Italiam, tu ex Italia reduces in Galliam? nobilemque nationem tuam iterum repones sub jugo Gallorum, ut iterum Siciliam usurpent, & sedem transferant, vel ipsi ex Gallia commigrent in Italiam.* „ Num sperare po- „ teris, quod tibi magis, quam suis po- „ pularibus favere velit? Si vero repo- „ nas, eum spopondisse, quod absque Sa- „ cri

Sæcul. XV. A.C.1458.

„ cri Collegii consensu, quem tamen
„ nunquam obtenturus est, nequaquam I-
„ talia excederet; ad hoc & mihi respon-
„ deas velim, si tamen Italiam relinque-
„ re statueret, num credes, Cardinalium
„ quempiam adeo magnanimum fore, ut
„ sese ejus proposito opponat? Nonne
„ tu omnium primus eris, qui favore
„ quodam ab eo lactatus, Pontifici di-
„ ces, Beatissime Pater, vade, quo lubet
„ ire? Quæ autem Italiæ facies, si ab
„ ea absens est Pontifex? Splendorem
„ suum amittit, si illam Papa deserit, &
„ adhucdum rem moliri conaris, qua ta-
„ men patriæ tuæ exitium promoves?
„ vel enim Pontifex in Francia sedem
„ suam figit, tum Italia erit sine capite,
„ sine Pastore: vel Romæ permanebit, &
„ rursum hanc urbem Orbis caput extra-
„ nei imperio subjectam non sine mole-
„ stia cernere compellemur, denuo eri-
„ mus mancipia Gallorum, qui brevi e-
„ tiam Siciliam suæ subjicient potestati.
„ Jam sub Callisto Catalani sibi cuncta
„ vindicarunt, quod tibi haud ignotum est.
„ Nunc ergo, cum Hispanorum tyranni-
„ dem paulo ante expertus sis, Gallorum
„ jugo te submittere paras, brevi pœni-
„ tebit te, quod illis accessum in Italiam
„ concesseris; cernes enim Cardinalium
„ Collegium nonnisi Gallis repletum, qui
„ tanta potentia ibidem dominabuntur,
„ ut

„ ut nullus ultra Pontifex nisi natione Sæcul. XV.
„ Gallus eligi possit. Quis vero tibi sen- A.C. 1458.
„ sus, quod Virum, qualis est Rothoma-
„ gensis Archiepiscopus, in Christi Vica-
„ rium nominari contendas? nec tibi
„ Religio, nec pietas, nec justitia, minus
„ prudentia, ac judicium ultra inesse vi-
„ detur. *De Persona, te ipsum appello, qui toties mortem prælegisti quam electioni assentiri Rothomagensis. Si Papam dicimus, nonne in faucibus lupi ovem ponimus? Forsan ex dæmone est mutatus in Angelum; vel tu ex Angelo es mutatus in dæmonem*, &
„ Angelum tenebrarum; ita esse merito
„ conjicimus, eoquod avaritiam atque
„ ambitionem hujus Viri approbes. U-
„ bi jam in te est amor patriæ tuæ, quam
„ olim cunctis terræ Nationibus prætu-
„ leras; hanc, ni fallor, dereliquisses nun-
„ quam, etsi carissimos quoque amicos
„ tuos adversus eam conspirare vidisses.
„ Egregie prorsus decepisti me, aut po-
„ tius temetipsum, quinimo & ipsam pa-
„ triam tuam prodes, ni brevi ab errore
„ tuo resipiscas. „

§. LXIII.

Papiensis Cardinalis a Rothomagensi deficit.

Ad hæc obmutuit Papiensis Cardinalis, & vix lacrimis imperans, tandem in

Sæcul. XV. A.C. 1458.

hæc verba inter suspiria prorupit: *Fidem dedico, Ænea, quam si violavero, proditor efficiar*, Æneas reposuit, *Oppido in hoc discrimine existimatio tua est, ut vel Rothomagensem prodas, vel Ecclesiam.* His verbis Papiensis plene expugnatus, potius Gallorum partes, quam Ecclesiam deserere pollicitus est.

§. LXIV.

Æneas a Cardinale tit. S. Mariæ novæ in Papam propositus.

Interim cum Cardinalis S. Mariæ novæ Gallorum conjurationem pro Cardinale Rothomagensi, cui aliunde infensus erat, probe cognosceret, ac de sua electione desperaret, Cardinalibus Italis (uno excepto Prospero Columna) ad Genuensis Cardinalis cubiculum convocatis exposuit, quæ mala timenda essent, si Rothomagensem eligerent, hinc eos adhortatus est, ut sepositio timore, ac spreto propriæ utilitatis lenocinio potius Ecclesiæ salutem præferrent, & Italiam labentem respicerent, cui non aliter subveniri posset, quam Æneæ Piccolominæi Cardinalis Senensis electione; cum hic vir esset natione Italus, meritis plenus, & sustinendæ huic dignitati ceteris omnibus magis idoneus. Septem, qui ibi adstabant, Cardinalibus videbatur justa sentire,

tire, solo excepto Ænea Piccolominæo, qui tanto muneri se omnino imparem professus est. Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXV.

Cardinales ad Scrutinium procedunt, Papam electuri.

Paulo post Sacro de more peracto Scrutinium inchoant Cardinales, ubi posito ad Altare Calice aureo Cardinales Ariminensis, Rothomagensis, & Columna proximius accesserunt, ne fraus intercederet, curaturi. Ceteri Cardinales quisque suum occupabant locum, ac tandem servato antiquitatis suæ ordine surgentes, calici imponebant schedam, in qua scriptum erat nomen illius, quem suffragio suo designabant. Cum accederet Piccolominæus, Cardinalis Rothomagensis, etsi eundem sibi contrarium bene nosset, nihilominus se continere haud poterat, quin ei diceret: *Me tibi commendo.* Verba sane, intempestivæ imprudentiæ indicia; eo enim res jam devenerat, ut Schedulam suam scriptam Æneas mutare haud potuisset. Respondit tamen paucis hisce verbis: *Quid te commendas vili vermiculo terræ?* Post hæc suum repetiit locum. Peracta tandem suffragiorum collectione ad medium aulæ collocabatur mensa, ex qua illi tres Cardinales, qui

Saecul. XV. A.C. 1458.

sacri Calicis Custodes deputati erant, acceperunt calicem, illumque supra mensam effuderunt. Quo facto, quodnam quævis scheda nomen contineret, alta voce, ut omne fraudis periculum abesset, publicatur, compertumque, novem Cardinales in Æneam Senensem convenisse, Rothomagensi vero Cardinali sex fuisse suffragia, reliquis multo minora.

Cum autem nullus legitimum votorum haberet numerum, placuit Cardinalibus denuo considere, & viam *per accessum* experiri, quo jam dejecta Rothomagensis Cardinalis spes quodammodo reviviscere videbatur, quamvis nec hac via voti compos factus esset. Sedebant omnes suis in locis taciti, junioribus expectantibus, quid seniores dicerent. Tandem Vice-Cancellarius assurgens inquit: *Ad Senensem Cardinalem accedo*, qua voce Rothomagensis Cardinalis velut fulmine percussus obriguit. Facto tantisper silentio, alter alterum intuens nonnisi nutibus suos indicabat affectus; illi vero, qui semetipsos Pontificatus spe lactabant, cum Piccolominæum eligendum præviderent, aula excesserunt, varios caussati obtentus.

§. LVI.

Sæcul. XV.
A.C. 1458.

§. LXVI.

Æneas Piccolominæus Cardinalis Senenſis Papa electus ſub nomine Pii II.

Eodem tempore Jacobus Cardinalis S. Anaſtaſiæ, *& ego*, inquit, *Senenſi accedo.* Inde factio Æneæ Sylvio adverſa non modice turbata hæſit; unum enim Piccolominæo duntaxat ſuffragium deerat. Id ubi Proſper Columna animadverteret, ut gloriam creati a ſe Papæ ſibi acquireret, *& ego*, ait, *Senenſi accedo, eumque Papam facio.* Hunc vero Nicænus, & Rothomagenſis Cardinales interpellabant, eidem exprobrantes, quod datam eis fidem fefelliſſet; jam enim Proſper ſuffragium ſuum Rothomagenſi promiſerat. Verum ille hanc objurgationem nihil moratus, palam aperteque profeſſus eſt, ſe Piccolominæo Senenſi accedere. Hoc audito, mox Cardinales univerſi Æneam Pontificem ſalutarunt, rurſumque ſua loca repetentes electionem, accedente communi omnium conſenſu, ratam habuerunt. Ergo Piccolominæus, nonniſi quinquaginta tres annos natus, die vigeſima ſeptima Auguſti ejusdem Anni ſummus Pontifex renuntiatur, qui & Pii II. nomen adoptavit.

Sæcul. XV
A.C. 1458

§. LXVII.

Oratio Bessarionis ad Papam.

Paulopost Bessarion Cardinalis suo & eorum nomine, qui Rothomagensi favebant, ad Neo-electum Pontificem conversus, *Laudamus*, inquit, *Pontifex Maxime, assumptionem tuam, quam ex Deo esse non dubitamus: & sane dignum te hoc munere & censuimus antea, & nunc censemus. Quod autem te non elegimus, id fecit ægritudo tua: nam cum pedibus ægrotares, hoc tantum sufficientiæ tuæ deesse putavimus. Eget enim Ecclesia Viro, qui possit itineribus corpus exercere, & periculis occurrere, quæ a Turcis formidamus. Tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rothomagensem traxit: quod si fuisses corpore validus, nullum tibi præferendum existimaremus. At cum Deo placuerit, & nobis placet. Nos te Pontificem veneramur, & denuo, quantum in nobis est, eligimus, tibique fideliter serviemus.*

§. LXVIII.

Papæ responsum.

Ad hæc Neo-electus Papa respondit: *Existimasti, o Nicæne! quantum animadvertimus, de nobis longe melius, quam nos ipsi, qui nobis pedum defectum tantummodo attribuisti. Nos imperfectionem nostram latius vagari non ignoramus, defectusque nostros pene innumerabiles esse cognoscimus,*

mus, quibus a ſummo rejicimur Pontificio. Merita, quæ nos evehant, nulla ſcimus: hinc delatum non amplecteremur honorem, niſi vocantis judicium timeremus. Quod enim duæ Collegii partes efficiunt, id profecto a Spiritu Sancto eſt, cui non licet adverſari. Vocationi itaque obedimus divinæ: ac te Nicæne, & reliquos, cum quibus ſenſiſti, laudamus. Si conſcientiæ judicium ſecuti, nos tanquam inſufficientes, non cenſuiſtis eligendos, eritis omnes accepti nobis, qui vocationem noſtram non iſti, non illi attribuimus, ſed Deo, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Denique poſitis indumentis ſuis, albam induit tunicam, juratisque quibusdam capitulis ante tres dies in ſacro Collegio editis, in altari collocatur, & rurſus a cunctis Cardinalibus honoratur, qui ſucceſſivo ordine pedes ejus, manus, genasque oſculabantur. Hoc facto confeſtim erupta feneſtra, confluenti populo denuntiatum eſt, Cardinalem Senenſem in ſummum Pontificem electum eſſe, eumque Pii II. nomen aſſumpſiſſe. Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXIX.

Populi Romani lætitia ob electionem Pontificis.

Peracta electione, Æneæ Senenſis Cardinalis famuli quantocius illius cellulam, libros, ac ipſa etiam vaſa argentea

Sæcul. XV. A. C. 1458.

tea spoliabant. Longe major tamen erat vulgi petulantia; primi enim, qui præfati Cardinalis cubile ingrediebantur, illius muros non modo dejiciebant, sed ipsa quoque marmora secum asportabant. Inde vero ad aliorum Cardinalium cellulas transibant, easque deprædati sunt, eoquod de nomine Pontificis non satis bene edocti essent. Eodem errore decepti diutius in cella Cardinalis Genuensis morati sunt, nomen illius cum Cardinalis Senensis nomine confundentes. Dum vero civitas de Æneæ Pontificatu certior facta esset, communis omnium erat lætitia, ac per omnes vicos, & compita felix fausumque resonabat Senensis nomen; Populus quoque, qui paulo ante armatus incedebat, vix comperta Piccolominæi electione arma deposuit; adeoque mutata est Urbis Romanæ facies, ut illa, quæ paucis antea momentis Martis civitas erat, e vestigio Pacis theatrum appareret. Erigebantur in omnibus urbis plateis adornatæ convivantium mensæ, ac in publicæ lætitiæ signum festivi ignes accendebantur.

Demum Pontifex ad Ecclesiam S. Petri defertur, ubi conscenso summo Altari, subtus quod SS. Apostolorum corpora quiescunt, in præparato solio consedit, primum a Cardinalibus, demum ab Episcopis, ac tandem adoratus a toto populo, qui

qui turmatim ad pedum oscula confluebat. Ea nocte omnes fenestræ lucernis, & turrium excelsa facibus resplendebant; ubique jubilantium audiebatur conclamatio, cum urbs quaquaversum diversissimis vocibus reboaret, & consonus, suavisque tympanorum ac buccinarum clangor repercusso, eoque multiplici sono in cunctis plateis resonaret. Denique tam insolita cernebantur publicæ lætitiæ argumenta, ut his magis festiva, magisque splendida etiam nonagenariorum senum memoriam superarent. Præterea primæ Nobilitatis Romanæ Viri albis equis vecti, cum dies ad occasum inclinaret, accensis facibus ad Palatium accedebant, neo-electum Pontificem salutaturi; horum tam frequens erat copia, ut primis jamjam Ecclesiam S.Petri pertranseuntibus, potissimi eorum adhucdum in castro S. Angeli, unde exibant, hærerent. Tanta lætitia, cum intra Romanæ urbis ambitum sese continere haud posset, ad ceteras quoque Italiæ urbes sese extendit, præcipue vero ad Senensem, cujus incolæ reliquos omnes magnificentia superare certabant, quantumvis præcipui hujus Reipublicæ Proceres neo-electo Pontifici, dum urbis hujus Episcopus & Cardinalis erat, parum propensi fuissent. Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXX.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXX.

Series vitæ & indolis Pii II.

Platin. in vita Pii II.

Æn. Sylv. ep. 384. 385. 386.

Pius II. natus est in pago Corsiniano, qui decem circiter milliaribus Senis distat, Patrem habuit Sylvium Piccolominæum; Matrem vero Victoriam Fortiguerram, ex nobili, sed non usque adeo avita familia. Pium Anno millesimo quadringentesimo quinto Pientiæ in territorio Senensi, ubi Pater ejus exul erat, primam lucem aspexisse, Dupinus affirmat; nec tamen his, quæ diximus, adversatur; quippe Pius II. Corsinianum, nativitatis suæ locum, ut illustriorem redderet, ad Episcopalem civitatem evexit, Pientiamque a nomine suo appellari voluit. Tradunt Historici de Victoria Fortiguerra ejus Matre, quod per quietem, cum gravida esset, infantem cum mitra parere sibi videretur, atque ideo vereretur, ne somnium illud Æneæ puero, totique familiæ ignominiam portenderet, cum eo tempore mitræ chartaceæ deponendis Clericis imponi solerent: verum melius longe fatum Matrem metu liberavit. Æneas enim summa sollicitudine educatus, liberales disciplinas summo profectu didicit, tandem emenso Senis studiorum curriculo, Anno supra millesimum quadringentesimo trigesimo primo

mo patriam reliquit, & Dominicum Capranicam, qui de Ecclesia ab ipso administrata dicebatur Cardinalis Firmanus, ad Basileensem Synodum comitatus est, eidemque a Secretis fuit, licet nonnisi vigesimum sextum ætatis suæ annum ageret. Eodem quoque munere fungebatur apud alios nonnullos, præcipue Cardinalem Albergatum, a quo in Scotiam missus est. Inde vero rediens, a Synodo Basileensi Referendarius, postea literarum Apostolicarum Abbreviator, Cancellarius, ac generalis negotiorum Procurator nominabatur. Frequenti Legatione honoratus, Argentinam, Francofordiam, Constantiam, Sabaudiam, & ad Grisonum Rempublicam decernebatur, tandem vero Mediolani in Ecclesia Collegiata S.Laurentii Præposituram obtinuit. Hæc inter publica, eaque graviora negotia, semper tamen aliquid otii suffurabatur, quod elucubrandis nonnullis operibus traderet; eo enim tempore publici juris fecit illos tractatus, quos contra Eugenium IV. Papam pro Concilio Basileensi scripsit; quamvis Papa electus mentem suam revocaverit, prout apparet ex Bulla, quam Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio die vigesima quarta Aprilis publicavit, & operum suorum collectaneis præfixa habetur. In ea cuncta a se alias pro hoc Conci-

Sæcul. XV. A. C. 1458.

Secul. XV. A.C. 1458.

Concilio scripta retractat, necnon a Pontificis sententia ad quodcunque Concilium provocari inhibet.

Felix V. eundem sibi a secretis esse voluit, eodemque munere illum dignatus est Fridericus Imperator, a quo laurea, poetarumque privilegiis donatus, variis legationibus Romam, Mediolanum, Neapolin, in Bohemiam, atque ad alia loca mittebatur. Eugenius IV. Æneam, quamvis ab ejus calamo fuisset offensus, ob præclaras tamen ingenii dotes minime in postremis habuit; Nicolaus V. vero Papa eidem Tergestinum Episcopatum contulit, quem tamen postea, adepto Senensi, dimisit; idem quoque Papa Æneam Nuntium Apostolicum decrevit in Austriam, Hungariam, Bohemiam, atque Silesiam, ubi demandatis sibi negotiis optatissimo successu defunctus est. Mira prorsus operabatur in Ratisbonensibus & Francofordiensibus comitiis, quæ ad pangendum contra Turcas fœdus hortatu Papæ indicta erant, licet hoc consilium morte Nicolai V. eventu caruerit. Calliſtus III. hujus successor Senensem Episcopum, dum in Germaniam redire meditaretur, Romæ detinuit, & Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto Cardinalium Collegio adscripsit. Eo autem vita functo Sedis suæ Successor renuntiatus est, ut mox retulimus.

tulimus. Omnia ejusdem opera in unum volumen redacta Basileensibus literis Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo excusa habentur. Illius vero epistolæ Norimbergæ, Lovanii & Lugduni typis impressæ exstant. Præterea Joannes Gobellinus Persona, quem ab epistolis habuit, res gestas Pii II. duodecim libris conscripsit, de quibus tamen probatiores Critici pronunciant, quod ab eodem Pontifice sub ficto Gobellini nomine compositi fuerint. Iidem commentarii postea Romæ Anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, ac denuo Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo nono in minori forma, tandem vero Francofordiæ Anno millesimo sexcentesimo decimo quarto *in folio*, ut vocant, imprimebantur. Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXI.

Diversa Principum judicia de electione Pontificis.

Quamvis Æneæ electio non omnibus Principibus æque probaretur, nihilominus nullus erat, qui eam sibi gratissimam esse, exterius significare dubitaret. Præprimis Ferdinandus Neapolis Rex, cum Alphonsus ejus Prædecessor parensque intimus esset Cardinalis Senensis amicus, summum ostendit gaudium. Francis-

Sæcul. XV. A.C. 1458.

Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Dux, quamquam alium ad hanc dignitatem elevatum optaret, comperta tamen hujus electione omnibus ſuis ſubditis publicæ gratulationis feſta celebranda indixit. Dux Mutinenſis ob ſui Ducatus inveſtituram, quam hujus Pontificis opera a Friderico Imperatore obtinuit, eidem obſtrictum ſeſe profitebatur, unde accepti favoris memor nihil non egit, ut aucta Benefactoris ſui potentia atque auctoritate ampliores ſibi gratias deinceps polliceri valeret; hinc Ferrariæ feſtivos accendit ignes, Ludicras equeſtres pugnas inſtituit, nihilque ad lætitiæ, atque pompæ oſtentationem prætermiſit. Nec deerant ſuis partibus Mantuanus, Monferatenſis & Salutianus Marchiones, aliunde ſummo Pontifici oppido propenſi. Aſt minus libenti animo Æneam Chriſti Vicarium audierunt Veneti atque Florentini, cum eſſent inveterati Senenſium inimici, ac aliunde adeo interno ſuo odio imperare haud poſſent, ut etiam cuilibet Senenſi, ſi quis forte ſolita formula: *Adjuvet te Deus*, Venetum in platea ſalutaret, nonniſi ignominioſe reſponderent. Nihilominus ſuos quoque Romam legabant Oratores, qui neo-electum Pontificem venerarentur. Fridericus Imperator, cujus favore Piccolominæus ad Cardinalatum promotus erat, ſumma animi

mi lætitia ejusdem exaltationem excepit. Nec minore jubilo Hiſpaniæ Rex Pio Pontificatum gratulatus eſt. Soli autem Galli, Scoti, Dani, Poloni, Hungari & Cyprii parum contenti videbantur. Sæcul. XV. A.C 1458.

§. LXXII.

Capranicæ Cardinalis Firmani obitus.

Cum celebrarentur exequiæ Calliſti Papæ, contigit Dominicum Capranicam Cardinalem ex hac vita decedere. Vir erat eruditione, rerum experientia, ac morum integritate longe clariſſimus, qui etiam putabatur Calliſto ſucceſſurus, ut nonnulli referunt Hiſtorici. Obitum ejus omnes virtutis amantes plangebant, & Gobelinus affirmat, quod integerrimam duxerit vitam, qua cunctis, ſi minus ad iram proclivis fuiſſet, optimum præbebat exemplum. Poſteritati reliquit lucubrationes nonnullas, nempe *Introductorium de Pontificatu regendo*, tractatum de arte bene moriendi, & orationem ad Alphonſum Neapolis Regem, præter alia quædam opuſcula.

§. LXXIII.

Mors Maphæi Vegii.

Eodem anno Maphæus Vegius, qui Laudæ Pompæi prope Mediolanum natus *Dupin. Bibl. Script. Sæc. XV. p. 45. to. XII. edit. Holand.*

Sæcul. XV. A.C. 1458.

tus, sub Martino V. Datarii officio fungebatur, mortalitatem exuit. Hic merito teste Dupino, inter Scriptores sui ævi, qui majore ceteris utilitate ac eloquentia calamum suum exercebant, recensendus venit. Præ reliquis tamen, quos edidit, libris longe elegantissimus, magisque elaboratus est tractatus *de educatione puerorum Christiana*, in quo de Patrum atque Matrum obligationibus, necnon de scientiis, atque virtutibus, quibus pueri imbuendi sunt, singulari soliditate agit. Totus liber principiis vere Christianis, ac singulari sapientia abundat. Alii sex libri, quos idem Auctor de *perseverantia Religionis ad Sorores* scripsit, valde solidam complectuntur pietatem, ac summe utilia exhibent præcepta, quæ magnum in virtutibus profectum, necnon pietatis ac religionis studium accendere, atque conservare valent. Nec minori soliditate differit de quatuor novissimis, quod argumentum summa sermonis efficacia explanat. Dialogum vero *de veritate in exilium pulsa* ludentis ipsius ingenii partum, seu artificiosam fabulam esse reputamus. Præterea duodecimum Ænæides librum Virgilii supplevit, aliaque Poemata, atque orationes ad posteros transmisit.

§. LXXIV.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXIV.

Inauguratio Pii II. Pontificis Maximi.

Interea Pius II. postquam Romæ die tertia Septembris coronationis suæ insignia suscepit, omnes Christianos Principes encyclicis literis de sua electione certiores fecit, eosque perdemisse adhortatus est, ut pias pro ipso preces ad Deum funderent. Eadem occasione epistolam die quarta Mensis Decembris ad Academiam Parisiensem dedit. *Æneas Sylv. ep.* 384.

§. LXXV.

Conventus Mantuæ a Papa indictus, & Galliarum Rex de eo certior factus.

Ceterum Pontifex probe sciebat, quod Turcarum potentia eo magis augeretur, quo plus Principum Christianorum pax ac concordia decresceret, hinc omni conatu eos ad unionem revocare studuit; cum vero paratum semper gereret animum ad recipienda quoque eorum consilia, quorum opem pro fide orthodoxa adversus infideles implorare deberet, hinc Mantuæ, cum urbs esset situs opportunitate adeuntibus percommoda, conventum indixit, omnesque Christianos Principes eo

Sæcul. XV. A. C. 1458.

accedere hortatus est, ut de necessariis ulteriores Turcarum progressus inhibendi mediis deliberarent.

Æn. Sylv. epist. 385.

Exstat insuper epistola ad Carolum VII. Franciæ Regem die tertia Mensis Octobris data, qua illum Pontifex rogat, ut ipsemet Mantuano conventui, qui ad Mensem Junii Anni sequentis indictus erat, interesse dignaretur. Equidem Papa Gallis parum addictus erat ob Sanctionem Pragmaticam, cujus tamen ipsemet præcipuus Auctor erat, cum adhuc in Concilio Basileensi se Eugenio IV. adversari palam, aperteque profiteretur. Nihilominus in præfatis literis Regem appellat *devotissimum Principem fidei, & Religionis Christianæ defensorem præcipuum* eumque hortatur, ut Concilium hoc sua præsentia honorare velit: *Fore namque ajebat, ejus accessum maximæ ad hoc salutare opus utilitatis, non eo solum, quod sapienti suo consilio dirigere tantam molem gloriosissime posset, sed quia gentes & Regna, si audierint Christianissimum Regem Francorum relictis Sedibus suis ad tuendam & augendam communem caussam Altissimi cum Romano Pontifice convenisse, erubescerent exemplum ejus non sectari.* His addit, *si forte Regia sua Majestas venire non posset, saltem Oratores suos mitteret cum plena potestate, non ad decernenda solum ea, quorum caussa Conventus hic indicitur, sed ad com-*

componendam pacem, vel inducias cum iis, quibuscum ei esset forsan contentio; ut demum placatis ubique Fidelibus concordius cœptum opus promoveri posset. Denique Regi ob oculos ponit, *eum non immerito ob Christianum nomen egregie a Progenitoribus suis defensum, nomen CHRISTIANISSIMI ab illis hæreditarium accepisse, illumque potentia singulari omnipotentem Deum insignire voluisse, ut esset, qui tempore necessario, quale nunc immineret, illam ad protectionem sui gregis conferret,* Ultimo significat Regi, *se ideo Mantuanam Civitatem delegisse, ut vel ipse, vel saltem Principes aliqui de latere ejus illuc accedere facilius valerent.* Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXVI.

Galliarum Regis Responsum ad Papam.

Rex confestim rescripsit, ac præprimis Papam, ejusque pia consilia commendans, spopondit convocaturum se Prælatos, ac Principes aliosque Regni sui magis conspicuos Viros, ut rem maturius tractarent: quæ autem eo cœtu concluſa forent, se per suos Oratores plena potestate instructos summo Pontifici significaturum promisit. *Æn. Sylv. epist.* 386. *Cochl. Hist. Hussit. lib.* 12

Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXVII.

Pontificis epistola ad Podiebracium Bohemiæ Regem.

Cochl. Hist. Hussit. lib. 12 p. 416.

EOdem quoque argumento Pius II. ad alios Principes, prout quemque, habita status, & conditionis ratione decebat, literas dedit. Præprimis ad eundem Conventum Podiebracium vocat, nec illum Bohemiæ Regis nomine honorare amplius dubitat; eoquod Calliſtus III. jam eum Regem nominasset, & ipse exterius saltem hæresin abjurasset. Ad hanc Pontificis epistolam respondit Podiebracius, exposuitque, semetipsum ad Mantuana comitia haud venturum, cum vel maxime a Silesitis sibi adhuc rebellibus impediretur; missurum tamen se Oratores suos spopondit.

§. LXXVIII.

Bessarion Cardinalis ad Imperatorem, aliosque Germaniæ Principes ablegatus.

CUm suprema Cæsaris Majestas tam auctoritate, quam potentia inter ceteros principatum obtineret; Papa ad Fridericum Imperatorem, sicut & ad alios Germaniæ Principes ipsum Bessarionem Cardinalem decrevit, qui eos adhortaretur,

tur, ut junctis viribus & animis ad tam salutare opus concurrere haud negligerent. Attamen Bessarion ob mutua Principum dissidia, ac jamjam imminens belli periculum adeo turbatam reperiebat rerum faciem, ut nequidem alloquii copiam nanciscceretur. Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXIX.

Turbæ in Germania.

Prima dissidiorum causa erat, quod Matthias Hungariæ Rex sacram coronam a Cæsare detentam sibi non restitui ægerrime ferret; hac enim, quamdiu insignitus non esset, tamdiu juxta superstitiosam illius patriæ consuetudinem nunquam legitimam regni possessionem acquirere potuisset, sed nonnisi nudum Regis nomen gessisset.

Ex altera parte Podiebracius continua, quæ Imperator clam, palamque indies contra stabile illius Regimen in Bohemia fovebat, molimina penitus erat pertæsus, atque omnibus Friderici exauctorationem suadentibus faciles aures præbebat. Præterea Albertus IV. Friderici frater, & Sigismundus I. Austriæ Dux ejusdem Patruelis, necnon Bavariæ Dux, Moguntinus, & Palatinus Rheni Electores, ac omnes ferme Germani adversus Cæsarem conspirabant. Quocir-

Sæcul. XV. A. C. 1458.

ca conjurationis tempestas ob violentiam potentissimorum Principum, qui turmatim confluxerant, usque adeo increverat, ut eorum furor jamjam Cæsaris capiti impendisset, nisi fortunæ subsidio, ac Brandeburgensis Marchionis favore, qui conspirantium audaciæ pro viribus resistebat, ipse periculum evitasset, & ab exitio vix declinando liber evasisset.

§. LXXX.

Imperator Hungariæ & Bohemiæ Reges placare intentus.

Equidem Imperator Matthiam & Podiebracium sibi conciliabat; cum horum primo Bohemiæ coronam redderet, alteri vero ampliora dare clam polliceretur. Præprimis autem Podiebracio spopondit, quod in posterum nullo pacto eum in Regni sui possessione turbaturus, imo potius ipsi Pontificem, quem eidem minus propensum noverat, foret devincturus. His addidit Cæsar, quod tanta etiam solertia ejus commodis, utilitatique apud sacram Sedem servire velit, ut semper prohiberetur Pontifex, ne quicquam Bohemici Regni juribus adversum moliri posset. Rebus ita a Friderico Cæsare compositis, conspirationis tempestas ita sedata est, ut jam totus Cæsaris furor in reliquos factionis socios sese atrocius

cius effunderet. Verum cum S. R. I. E- Sæcul. XV.
lectorum, qui adhuc conflatæ seditioni A. C. 1458.
implicabantur, vel potentiam vereretur, vel forte tot Principum invidiam uno tempore in caput suum accersere nollet, contra illos nihil tentavit, sed unice vindictam exercuit in Albertum, & Sigismundum sibi sanguine junctos, qui tamen in Cæsaream Majestatem suam attentatæ conjurationis Auctores præcipui erant. Ceterum ut absentiæ suæ a Conventu Mantuano rationem obtenderet, omnes hasce domesticas turbas Pontifici exposuit Imperator.

§. LXXXI.

Neapolis Regnum Ferdinando a Papa assertum.

Interim, cum per Callisti Pontificis obitum cuncta sublata essent obstacula, quibus Ferdinandus hucusque præpediebatur, ne Neapolis Regnum jure fiduciario acciperet, ac ejus corona insigniretur, hinc Pius II. Callisti Successor hujus Regis gratiam sibi demerendi opportunitatem gratulabatur, spe concepta, fore, ut illius auxilio munitus, Assisium, Nuceriam, Gualdumque recuperaret, quas urbes Picininus defuncti Regis Alphonsi Bellidux cum ejusdem copiis ceperat, sibique hucusque vendicaverat. Nec sua

Sæcul. XV. A.C. 1458.

Pontificem spes fefellit; restituit enim Ferdinandus Pontifici præfatas urbes, simulque eidem cessit Beneventum, & Terracinam civitates, quas olim Pater ejus detinuerat, & Papa Ecclesiæ Dominio obnoxias esse contendebat. Pius II. tanti favoris haud immemor, Cardinalem Ursinum Neapolin decrevit, qui Regi diadema imponeret, eumque in Regni possessionem induceret, nequicquam obluctantibus Renato Andegavensi, ejusque Filio Joanne Calabriæ Duce, qui tunc Genuæ agebat, & hujus urbis Gubernator eo ex fine creatus erat, ut Alphonsi progressibus sese opponeret. Interim tamen utrique huic Principi datum, ut præter reliquas, quæ in beneficiaria ejusmodi regni concessione apponi solent, conditiones etiam addita fuerit hæc clausula: *ut sine præjudicio aliorum esset alterius juris.* Ferdinandus, ut pro hoc beneficio se gratum exhiberet, Antonio Piccolominæo Pii Pontificis Nepoti in uxorem dedit sororem suam, adjecto dotis nomine Amalfitano Ducatu, necnon ingenti pecuniarum summa, quam ad sexcenta aureorum millia ascendisse Maierus testatur; quippe Alphonsus Ferdinandi Pater plusquam sexies centena aureorum millia eidem reliquisse dicitur; Præterea præfatus Antonius pro toto Regno Neapolitano supremus rei judiciariæ Præfectus

Spond. ad ann. 1458. n. 12.

Collenut. l. 6. apud Maier. ex Monstrelet.

fectus nominabatur. Hoc tandem fœdere Ferdinandus pacificam sui Regni possessionem obtinuit. Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXXII.

Corinthus urbs a Mahomete occupata & Insula Peloponesia tributo subacta.

Minus tamen favens tranquilitatis aura Orienti adspirabat. Hoc enim anno Mahometes II. Turcarum Imperator Corinthum vi cepit, totumque Peloponesum vectigalem reddidit; cum interea Palæologus Demetrius, & Thomas inter se de imperio litigarent. Hi duo Fratres Latinos pro auxiliis continuo sollicitabant, atque interim mutuis inter se diffidiis propriam suam ruinam omni contentione promovebant. Phranzes amborum, in quos irati Numinis furor tam claris argumentis, signisque erupit, cæcitatem amare deplorat, additque Chalcondyles, Turcas nullum prætermisisse annum, quin Christianos diversis in locis invaderent, indeque eos expellerent; His enim, prosequitur idem Auctor, infideles duo Imperia, duodecim regna, plurimas Provincias, ducentas insigniores urbes eripuisse dicuntur; ac nisi Deus dies Mahometis abbreviasset, forte longe plura, totamque Italiam, in qua

Phranzes lib. 3. cap. 3.

Chalcondyl. l. 9. c. 1.

Sæcul. XV. A.C 1458.

qua jamjam latius aciem protenderat, armis subegisset.

§. LXXXIII.

Abdicatio Patriarchatus Constantinopolitani a Gennadio facta.

Vid. supra lib. CX. §. 121

Gennadius, qui in Patriarcham Constantinopolitanum electus, ac post illius urbis expugnationem a Mahomete in hujus Sedis possessionem solemni ritu introductus erat, convocavit Episcopos, Clericos & populi Christiani Primores, iisque præsentibus se Patriarchatu abdicavit, postquam annos quinque, & aliquot Menses eam Ecclesiam rexisset. Hic ad Monasterium S. Joannis Prodromi in Macedonia se contulit, invitis licet omnibus, qui Patrem suum Constantinopoli retinere studebant; ipse tamen in præfato cœnobio vitæ suæ finem quiete imponere voluit. Suffectus illi erat Isidorus vir animi candore ac morum integritate præclarus, qui tamen haud diu hac dignitate functus, Successorem habuit Joasaphum, Virum veræ pacis studiosum, ac contentionis inimicum.

§. LXXXIV.

Bellum in Anglos a Galliarum Rege motum.

Cum Carolus VII. Galliarum Rex ægerrime

rime ferret, quod Caletum & Guina Anglorum imperio adhucdum parerent, ut has quoque Picardiæ urbes eorum manibus eriperet, cum Chriſtierno I. Daniæ Rege fœdus iniit, ea lege, vi cujus ille Regi Franciæ adverſus Anglos quadraginta naves ſuppeditaret præter ſex, ſeptemve armatorum millia, quæ ſtipendiis Caroli Regis alerentur. Hæc pacta, quamvis jam anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto utrinque concluſa fuerint, ſucceſſu tamen caruiſſe videntur, haud dubie ob ſubortas diſſenſionum cauſſas Chriſtiernum inter & Scotiæ Regem, qui antehac Gallis fœdere junctus erat. Aſt Rex Galliæ nihil hæc moratus, Anglos aggreditur, ipſamet Angliæ Regina haud parvum propoſito calcar addente: Hæc enim pertæſa erat Richardi Eboracenſis Ducis arrogantiam, utpote qui ſumma rerum potiri, ac ſuppreſſa auctoritate Lancaſtrienſis familiæ ſuam ad regium culmen elevare ambiebat. Quare Renatum Andegavenſem Patrem ſuum omni, quo poterat, ſtudio adegit, ut ad evertenda Eboracenſis Ducis conſilia Galliarum Regem induceret. Annuit Rex, & Brezæus Seneſcallus, demandata ſibi a Carolo VII. provincia functus Honflorii claſſem inſtruit, & cum quatuor exercitus ſui millibus die vigeſima Auguſti anno priore portu ſolvit, demum

Sæcul. XV. A. C. 1458.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

mum secundis ventis classem die vigesima octava Augusti ad Angliæ oram haud procul Sandwico appulit.

§. LXXXV.

Sandwicum in Anglia a Gallis occupatum.

Equidem maritimæ copiæ exscensionem faciunt, Petrusque Lovanienſis nemine reluctante portum occupat; sed minus secundam sortem expertæ sunt, quas Brezæus in continenti exposuit; quippe mille octingenti natione Galli sub imperio Præfectorum, quos belli experientia ac fortitudo animi satis celebrabat, munimentum quoddam fossis aqua tumidis circumvallatum superant, inde Anglos depellunt, ac stricto gladio eos insecuti promiscua pugnantium contentione usque ad urbis portas mixtim cum hoste penetrant, ubi novo utrinque furore animis subdito certamen recrudescere cæpit; Anglis tandem cedere, ac urbe exire compulsis Galli, qui sibi armis suis aditum paraverant, urbem deprædati sunt, & Ebroicensis Prætor interim vicina urbis loca suo milite cinxit, ut populares Anglorum copias turmatim in auxilium accurrentes propelleret, & eos ne urbis portas occuparent, præpediret. Jam decimam horam prælium tenuit, tanta

Matth Couci Hist. Car. VII. p. 476.

tanta Anglorum pertinacia, ut Brezæus Seneſcallus urbem relinquere, ſuosque claſſiarios ad naves revocare decerneret, quod & ſervato ordine, nulloque recedentium tumultu veſpere circa quintam diei horam executus eſt. Gallorum naves ſolidos tres dies ante urbis conſpectum in anchoris ſecure fluctuare conſpiciebantur, tandem vero iis revulſis tota claſſis vento ſecundo propulſa, & opima præda, multisque in urbe factis ſpoliis dives Honflorii portum feliciter intravit, plurimis ſecum in captivitatem abſtractis, qui caro pretio libertatem ſuam a Gallis redimere compellebantur. Nec tamen proſpero hoc armorum ſucceſſu Henrici Angliæ Regis res reſtauratæ fuerunt, cum Eboracenſis Dux identidem nova excogitaret molimina, ut legitimum deturbaret Regem, ſibique Regnum vindicaret.

Sæcul. XV. A.C. 1458.

§. LXXXVI.

Lancaſtrienſes & Eboracenſes reconciliati.

Tentata Gallorum exſcenſio opportunam Angliæ Regi ſuppeditabat occaſionem, qua Lancaſtrienſes cum Eboracenſibus conciliaret. Hanc in rem utrique multo rationum pondere expoſuit neceſſitatem, qua ambo urgerentur, ut potius

Sæcul. XV. A.C. 1458.

potius junctis viribus arma sua in communem hostem verterent; cum hic mutua eorum dissidia in rem suam trahens non tantum cis mare tot tamque nobiles eorum ditiones occupasset, sed etiam in intima jamjam Regni viscera infestis armis grassaretur. Quare Rex ad omnes utriusque Familiæ Principes plurimos legavit oratores, qui præprimis Eboracensi Duci, ejusque Amicis ampliſſimam Regii auxilii spem facerent. Hanc in rem congressus quoque agebatur, ad quem omnes quidem convenerant, quævis tamen contendentium pars in diversis habitabat locis; Lancastrienses enim, quorum factio a rubra Rosa nomen traxerat, suburbii domos occupabant; Eboracenses autem, qui Rosæ candidæ nomen sibi vendicaverant, intra ipsum urbis ambitum sedem suam habebant. Hos inter Rex medium tenebat locum in Episcopi Palatio, ubi velut transverso clathro utramque factionem segregabat. Convenerant Lancastrienses in Westmonasterienſi Capitulo, Eboracenses autem conventum Monachorum, quos nigros vocant, adibant. Post breve verborum certamen, confestim concordiæ lex sancita est, & promissa utrinque plena præteritorum oblivio, nec non constans ac perennis animorum unio. Solemnes quoque ad Deum indicebantur supplicationes, in quibus

quibus Reginam Eboracensis Dux, jura- Sæcul. XV.
tus antea illius inimicus, manu sustenta- A.C 1458.
bat.

§. LXXXVII.

Exercitus Bello instaurato per Eboracensem conscriptus.

Verum paulo post sub cineribus suis latentes aversionis scintillæ in apertum eruperunt incendium. Accidit enim, ut *Polyd. Virg. Hist. Angl.* quondam Varwicensi Comite ex Regio Senatu domum redeunte, suorum unus cum quodam Regis domestico jurgio contenderet, eumque occideret, ac perpetrato facinore fuga sese proriperet. Satellites, cum homicidam comprehendere haud possent, in Comitem illius Dominum manus injiciunt, convitiisque lacessunt. Hæc injuria jamjam satis grave redintegrandi belli censebatur argumentum, ac præprimis Eboracensis Dux quaquaversum in vulgus spargebat, concordiæ leges a Regina violatas. Quare Sarisberiensi Comiti datum est negotium, quinque millium armatorum exercitum Londinensi admoveret urbi, atque adversus Reginam læsi juris vindictam a Rege peteret, si vero is hanc denegaret, mox bellum nuntiaret, inferretque, se vero valida interim auxilia comparaturum ajebat. Regina, ut horum consilia præveniret, adventanti Sarisberiensi Ande-

Sæcul. XV. A.C. 1458.

lajum Baronem obviam misit, cujus tamen copiæ fusæ, fugatæque, & ipse in acie trucidatus periit. Eboracensis Dux primo hoc successu elatior factus, ac subsidiario auctus milite, quem sibi Caleto Varwicensis Comes adduxerat, nullo negotio Londinensem urbem sibi subjicere sperabat. Verum cum Regina per suos exploratores, quorum ubique frequens ei erat numerus, de arrepto consilio admonita esset, promissorum amplitudine Andream Trolopium a vexillis Eboracensis Ducis abstraxit. Hic erat Bellidux, quo magis celebrem ob rei militaris experientiam inter ceteros suos Ordinum Ductores Eboracensis Dux vix alium numerabat; idemmet quoque ob noviſſima fortitudinis suæ specimina in nupero bello Gallico ingentem sibi conciliaverat famam; nunc vero apud suos tanta valebat auctoritate, ut selectiores Ducis copiæ exemplum ipsius secutæ, ad regium exercitum unacum eo transirent.

§. LXXXVIII.

Eboracensis Dux in Hiberniam fugere compulsus.

Eboracensis tam insolita suorum defectione obstupefactus verebatur, ne sibi nova pararetur proditio; hinc in Hiberniam se recipere constituit, Sarisberiensis

rienſis vero & Varwicenſis Comites, trajecto mari, Caletum petebant. Horum fuga pacem in Angliam revocavit, quæ etiam aliquamdiu ibi ſubſtitit. Sæcul. XV. A.C.1458.

§. LXXXIX.

Mors Arthuri III. Britanniæ Ducis, & Conneſtabilis Franciæ.

Hoc anno ad finem declinante Francia ſibi ereptum lugebat Artum ſeu Arthurum III. Britanniæ Ducem, qui idem Franciæ Conneſtabilis atque fœderatus erat. Primam lucem aſpexit Anno ſalutis milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio die vigeſima quarta Auguſti, Joannis V, & Joannæ de Navarra Filius ſecundo genitus, & vulgo Comes Richemontius appellabatur, quo ſub nomine Aurelianenſis familiæ partes tuendas ſuſcepit, ac crebra fortitudinis ſuæ ſpecimina dedit, præprimis vero Anno milleſimo quadringenteſimo decimo quinto in pugna ad Azincurtium, ubi ab Anglis captus, atque usque ad annum milleſimum quadringenteſimum vigeſimum detentus fuit. Idem quamvis Gallicæ Nationi apprime addictus eſſet, nihilominus ferveſcentibus inter Regiæ domus Principes diſſenſionum tumultibus, Anglorum partibus adhæſit, eoquod ipſe Rex Franciæ unacum Regina adverſus Delphi-

Saeul XV A. C. 1458.

num proprium ſuum Filium Anglis fœdere junctì eſſent. Poſt hæc Arthurus ex Anglia redux, ſeſe Burgundiæ Duci adjunxit, quem Delphinus, Carolus VII. appellatus, adepto Galliarum Regno ſibi devincire ſtudebat, unde illum die ſeptima Martii Anno ſupra milleſimum quadringenteſimo vigeſimo quarto Conneſtabilem Franciæ renuntiavit, eundemque in poſſeſſione Turonienſis Ducatus, quem ei Carolus VI. Delphini Pater jam olim donaverat, auctoritate ſua firmavit. Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono in Normannia, & Pictavienſi Provincia Anglos ſæpius devicit, eosque in prœlio ad Patayam in Bleſia penitus profligavit, delevitque; Pacem quoque conciliavit Burgundum inter & Regem, qui etiam Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo Lutetias ingreſſus eſt, poſtquam Arthurus Pariſienſes ad Regis obſequium ſumma ſua dexteritate revocaverat. Decedentibus Joanne VI. Fratre ſuo, necnon Franciſco I, & Petro II. Nepotibus, ipſe jure ſucceſſionis Britanniæ Ducatum obtinuit, quem tamen haud diu poſſedit, fatis ereptus, ſexageſimo quarto ætatis ſuæ anno; Conneſtabilis dignitatem deponere noluit, etiam ad Ducalem evectus, aſſerens, a ſe honorandum eſſe illud officium in ſua ſenectute, quo ipſe olim in juventute

Argentré Hiſt. Britan.

hono-

honoratus fuisset. Supremam diem obiit apud Nannetes hoc anno die vigesima sexta Decembris. Successorem habuit Franciscum hujus nominis secundum Britanniæ Ducem, Richardi Britanni Filium, qui vulgo Comes Virtutum dicebatur, & die vigesima octava Februarii anno sequenti Montbasoniæ Regi clientelare obsequium profitebatur. *Montbason*

Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. XC.

Papa Roma Mantuam profectus.

Ineunte hoc anno Pius Pontifex, cum omnia pro Conventu Mantuæ indicto rite essent disposita, die decima octava Februarii (*) Roma discessit, ubi Nicolaum de Cusa Cardinalem Legatum, necnon Principem Columnam urbis Præfectum reliquit, præter quosdam Cardinales, Auditores Rotæ, atque Causidicos, apud quos Romana Curia, non minus quam Papa præsente, esse deberet. Præterea annuentibus Cardinalibus Decretum edidit, quo sancitum, ut Successoris electio, si ipsum extra urbem mori

Platin. in vita Pii II.

Comm. Pii II lib. 2.

(*) *Pagius in suo Breviario Continuatorem hic halucinasse notat, ex MS. Codice tabularii Vaticani comprobans, Papam de urbe recessisse die 22. Januarii.*

Sæcul. XV
A. C. 1459

ri contingeret, non alibi, quam Romæ fieri posset. Cæterum Papa minus celeriter suum iter prosequebatur; quandoque enim brevius, nonnunquam vero longius in quibusdam urbibus diversabatur, prout negotiorum necessitas moram dictabat. Celebravit Festum Cathedræ S. Petri vigesima secunda Februarii die Corsiniani, ubi natus erat, quem etiam locum postea civitatis juribus donavit, ac Pientiam nominari voluit. Inde vero Senas profectus, eam urbem in Metropolim evexit, dato diplomate die vigesima tertia Aprilis, quo quatuor vicinores Episcopatus ejusdem suffraganeos declaravit, primumque illius Archiepiscopum nominavit Antonium Piccolominæum Nepotem suum, quem sibi Pius, quamprimum Petri Cathedram ascenderat, Successorem in eadem Ecclesia Senensi designabat. Ibidem Friderici Imperatoris, Castellæ, Hungariæ, Lusitaniæ, Bohemiæ Regum, Philippi Burgundi, & Alberti Austriaci Ducum, necnon Friderici, & Alberti Brandeburgensium Marchionum Oratores excepit. Cum vero indigne ferrent Germani, Matthiam a Pontifice Hungariæ Regem appellatum fuisse, eoquod Barones Regni (ut dicebant illi) jam ipsum Cæsarem sibi Regem elegissent, Pontifex injustam eorum querelam esse pronuntiavit, cum mos esset A-

postо-

postolicæ Sedis eum Regem salutare, qui Regnum teneret, ob quam etiam rationem Calliſtus Prædeceſſor ejus priori tempore Podiebracium Bohemiæ Regem appellaſſet. Sæcul. XV. A. C. 1459.

Cum vero omnes iidem Legati publice in Eccleſia debitam ſummo Pontifici obſequium, ſuamque obedientiam præſtitiſſent, ſolus Bohemiæ Regis Orator nonniſi in ſecreto Patrum Senatu idem homagium profiteri voluit, veritus, ne Domino ſuo Regni partem (*) alienaret, ſi ſe, Regis ſui nomine, Apoſtolicæ Sedi plene ſubmitteret. Abjuraverat quidem Podiebracius anno præterito hæreſim; ſed illius ſinceritas non paucis ſuſpecta erat; ſciebant enim, hunc Regem ſanctiſſima quæque ad firmandum ſolium ſuum ſimulata pietate adhibere ſolitum eſſe.

§. XCI.

Sileſitarum querelæ contra Podiebracium Bohemiæ Regem.

Præterea hac ex cauſſa Sileſitarum Oratores, nullo pacto ſe Podiebracium Regem ſuum ſuſcepturos conteſtantur, ſimulque queruntur, quod eum ſuis literis Sedes

(*) *Nempe illam Regni partem, quam Huſſitæ uſurpaverant.*

Sæcul. XV. A. C. 1459

Sedes Apostolica Regem appellassет. Idem quoque sibi auxilia submitti petebant, ne amittendæ fidei orthodoxæ periculo, quod suis terris immineret, succumbere cogerentur. His Papa pollicitus est, se Bohemiæ Regi scripturum, rogaturumque, ut armis contra illos abstineret, & controversias, si quas cum eis haberet, Apostolicæ Sedis arbitrio imposterum relinqueret. His addidit, nisi pareret Rex, aliis se remediis usurum. Ut vero promissis sua fides, veritasque constaret, Hieronymum Archiepiscopum Cretensem, & Franciscum de Toleto Archiepiscopum Hispalensem ad rem inchoandam in Bohemiam Oratores decrevit. Hi Mense Octobri ad finem vergente Pragam ingressi, primum ad pacis consilia Regis animum inclinabant, demum Wratislaviam contendebant, ut cum Primoribus Urbis, atque Clero de concordiæ articulis deliberarent. Exeunte Mense Decembri Pragam redeunt, comitantibus Wratislaviæ Oratoribus; quorum tandem opera collatis utrinque consiliis pax firmata est sequentibus articulis: I. *Rex prorsus omnem iram, odium, & indignationem deponet, quam adversus Clerum, & urbem Wratislaviensem, aut contra aliquem ex eorum fautoribus, subditis, adhærentibus, & fœderatis concepit.* II. *Omnia & singula Privilegia in futurum confir-*

Cochlæ Hist. Hussit. l. 12. fol. 423.

confirmabit, & ſtabiliet perpetuo duratura. Secul. XV.
III. *Rex tanquam verus, & Catholicus Prin-* A. C. 1459.
ceps omnia, & ſingula jura, gratias, & conſuetudines Eccleſiarum, ac denique omnia integra, & libera relinquet, & tuebitur. IV. *Mandabit Officialibus, & ſubditis, ut cenſuras Eccleſiaſticas reverenter ſuſcipiant, & ubique denunciari, ſervarique libere, & ſine perturbatione faciant.* V. *Contra quoscunque qui hæreſin in urbe vel Diœceſi Wratislavienſi ſpargere præſumunt, aſſiſtet, auxilium, conſilium, & favorem præbendo.* VI. *Præfatæ urbi concedet, ut præſtatio ſolemnis homagii ad triennium ſuſpendatur; quo tempore tamen ex nunc ſub fide promittent omnes, ſe Regi tanquam fideles ſubditos obedientes & ſervientes, ac in omnibus ejus ſaluti & amplitudini intendentes fore, prout a retro actis temporibus Bohemiæ Regibus facere conſueverunt.*

Acceptavit Bohemiæ Rex cunctas haſce conditiones, & ſe Filium Sedi Apoſtolicæ addictiſſimum, necnon Catholicæ fidei ſtrenuum Defenſorem profeſſus eſt. His itaque articulis concordia inita, & pacis tabulæ die decima tertia Januarii Anno poſteriore ſignatæ fuerunt. Petierunt Oratores decima octava ejusdem Menſis Pragam: Rex vero eadem die Moraviam contendit. Feliciſſima equidem ſub Rege Podiebracio fuiſſet Bohemia, niſi Rochiſana eum a pueritia ſuis

Sæcul. XV. A.C. 1459.

erroribus imbuisset, & contra Romanam Ecclesiam falsis detractionibus animum ejus præveniisset, Regi persuadens, suam sectam a Concilio Basileensi per *compactata* (uti vocabant) non minus fuisse approbatam, ac Catholicam; cum tamen neque Hussitarum ullus hisce pactis unquam stetisset. Quare Rex hac fiducia delusus, cuncta maluit subire pericula, quam primitus imbibitam hæresin deserere.

§. XCII.

Administrator Pragensi Ecclesiæ a Papa datus.

Cochl. Hist. Hussit. lib. 2.

Interea novi turbarum motus suscitantur in Bohemia, eoquod Pius Pontifex Wenceslaum Decretorum Doctorem, ac Ecclesiæ Pragensis Catholicæ Decanum Pragam decrevisset, datis literis apostolicis, quibus declarabatur ejusdem Ecclesiæ Administrator, Igitur Decanus Roma Pragam petit, cum vero demandati sui muneris literas in publico confessu recitari jussisset, Proconsul Pragensis, aliique Rochisanæ Fautores omni ope & opera eidem obluctantur, caussati, Archiepiscopalem Ecclesiam jam a tempore Sigismundi Imperatoris Rochisanæ promissam esse, se ergo neminem præter illum solum unquam admissuros. His econtra Catholici acriter resistebant;

cum

cum autem Rex ab utraque parte in auxilium vocatus, importunis precibus pulsaretur, spopondit, tam hos, quam illos a se potenter protegendos, nihilominus tamen rem indecisam reliquit. Unde factum, ut multo tempore Ecclesiæ Administratorum unus esset Catholicus, alter Hussita. Sub idem tempus Rochisana, ut sectam suam ab orthodoxa doctrina haud multum discrepare Catholicis persuaderet, prolixum edidit tractatum de Sacramentis secundum fidem Ecclesiæ universalem adversus Taboritarum errores. Nunc vero ad Pii Pontificis iter redeamus. Sæcul. XV. A. C. 1459.

§. XCIII.

Papa a Cosmo Medicæo Florentiæ exceptus.

Igitur Papa Senis Florentiam contendit, ubi celebris ille Cosmus, sive Cosmas summum Pontificem maximis honorum ac magnificentiæ signis excepit. Is ex nobilissima Medicæorum Familia natus, eo tempore pro summo imperio Rempublicam moderabatur, ac divitiis in tota Europa nemini ex Nobilibus secundus erat. Primam lucem aspexerat Anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono die vigesima septima Septembris, dein in supremum Florentinæ Reipublicæ signiferum electus, & completis ætatis suæ annis sexa- *Paul. Jov. elog. lib. 7. Gobel. Pers. Comment. Pii II. lib. 2.*

Sæcul. XV. A. C. 1459.

sexaginta quinque, & tribus mensibus, ac viginti diebus, Anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto fatis functus est. Immensas ferme divitias accumulavit; per omnes enim Europæ atque totius Asiæ Provincias mercaturam exercebat; demum vero magis secunda hac fortuna plurium æmulorum invidiam in se concitabat, perversisque eorum artibus unacum Fratre suo in exilium pulsus, Venetias petere coactus est, ubi honoribus vere Regiis exceptus, paulo post ab ipsis Florentinis revocatus fuit. Iidem Virum honorifice ac liberaliter excipientes. communi omnium applausu Patrem populi, ac Liberatorem Patriæ salutarunt. Cum vero ipsus literarum, literatorumque Virorum amore, ac studio longe clarissimus esset, sua munificentia Florentiam accivit plurimos, qui suis lucubrationibus huic Fautori suo immortalem gloriam conciliare studebant. Erexit quoque Bibliothecam tam ædificii magnificentia, quam autographorum, necnon selectissimorum librorum copia longe celeberrimam, quæ postea Catharinæ de Medicis, ejusque Fratri Etruriæ Duci æquis partibus cessit. Horum autographorum nonnulla tam Græca, quam Latina in Gallias delata fuere: Verbo, adeo crevit Cosmi Medicæi potentia, ut ei

ei nihil ad regnum, nisi nomen, & dignitas deesset: Hujus etiam Viri consiliis magna pars urbium, ac Principum Italiæ utebatur; nihil enim illius notitiam effugisse credebatur, cum ipsi ex orbe vix non universo mercatores, quæ ubique fierent, crebris epistolis indicarent. Sæcul. XV. A. C. 1459. *Comment. Pii II. lib. 2.*

§. XCIV.

S. Antonini Archiepiscopi Florentini Obitus.

Cum Florentiæ Pontifex ageret, Sanctus Antoninus hujus urbis Archiepiscopus die secunda mensis Maii, quæ erat feria quarta, in Vigilia Domini ad cœlos ascendentis anno ætatis suæ circiter septuagesimo obiit. Hic Florentiæ post Christum natum millesimo trecentesimo octogesimo nono primam lucem aspexit. Patrem habuit Nicolaum Pierrozium publicum urbis Syndicum, Matrem vero nomine Thomasiam. Horum Parentum cura pie educatus, S. Dominici institutum profitebatur, ac postmodum omnibus ordinis sui muniis, atque dignitatibus functus, demum a Cosmo de Medicis summo honore, ac uberrimis benevolentiæ signis liberaliter auctus est. Eundem etiam Florentinorum Respublica pluribus decoravit Legationibus ad summos Pontifices Nicolaum V. Callistum *Vicent. Magnard in vit. S. Anton.* *Trithem. & Bellarmin. de Script. eccles.*

Sæcul. XV. A. C. 1459.

ſtum III. & Pium II. Eminuit ſcientia Juris tam Canonici, quam Civilis, necnon in Hiſtoriis Eccleſiæ longe verſatiſſimus, tandem ab Eugenio IV. ad Florentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopalem Sedem Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, defuncto Zabarella Patavino, Prædeceſſore ſuo vocatus eſt. (*)

§. XCV.

Papa exequiis præſens.

Pius II. Archiepiſcopum in vita, ob præclara ejus merita plurimi habuit, eumque ac plures alios ad emendandos Eccleſiaſticorum, & Laicorum mores incitavit, defuncti quoque exequias præſentia ſua honorare dignatus eſt. Sancti hujus corpus ex Eccleſia Cathedrali ad Conventum FF. Prædicatorum deferebatur, ubi ſepulchri locum ſibi ſelegerat; Illius Sanctitatem Deus brevi plurimis miraculis per merita ſancti hujus Archiepiſcopi perpetratis teſtatam fecit.

§. XCVI.

S. Antonini Opera.

Dupin. Bibl. Script. tom. 12. p. 95.

Nonnullas lucubrationes poſteritati reliquit, inter quas tamen palmam obti-

(*) *Hujus Sancti Viri inaugurationem vide lib. CIX. §. 127. & 128. p. 143.*

obtinet ſumma Hiſtorica, ſeu Chronicon tripartitum ab orbe condito usque ad Annum obitus ſui perductum, necnon in tres partes diviſum. In prima ætatem creationis Mundi usque ad S. Sylveſtri Pontificatum, & Conſtantini imperium complectitur. Altera a præfati Imperatoris tempore usque ad annum Domini milleſimum centeſimum nonageſimum octavum res geſtas ſub Innocentio III. Papa, & Henrico VI. Cæſare recenſet. Tertia demum pars usque ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum nonum excurrit. Hanc ſuam hiſtoriam ex pluribus aliis Scriptoribus minori ſelectu compilaſſe videtur, conſtatque manifeſte, illum quidem ſeverum veritatis aſſertorem, non tamen ſemper in rebus præcipue a ſuo ævo remotioribus ſeligendis ſatis conſideratum fuiſſe Scriptorem, nec omnes perfecti Hiſtorici partes expleviſſe, quem in dijudicando vero a falſo, & internoſcendis certis a dubiis ſagacem, atque circumſpectum eſſe oportet. Hæc ſumma primum Venetiis anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo, poſtea Norimbergæ Anno Salutis milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quarto, demum vero Baſileæ Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, poſtremo autem Lugduni Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo

Sæcul. XV. A. C. 1459.

Baillet Vit. Sanctor.

Sæcul. XV. A C. 1459.

gesimo sexto typis edita prodiit. Exstat quoque ejusdem Summa Theologica in Germania iterato prælo excusa, opus plane ceteris præstantius, magisque elaboratum, quod in quatuor partes divisum, ab ipso Autore paucis ante obitum suum annis secundis curis recognitum fuit. Scripsit præterea aliam summam casuum conscientiæ; Tractatum de excommunicatione, aliisque censuris ecclesiasticis; Trialogum de duobus discipulis euntibus in Emaus, ac denique Tractatum de virtutibus, & notis donationis a Constantino factæ.

§. XCVII.

Papa Florentia Bononiam & Ferrariam profectus.

Papa, justis Sancto Antonino persolutis, Florentia Bononiam venit, quæ urbs erat Romanæ Ecclesiæ dominio subjecta, frequenter tamen summis Pontificibus rebellis, & nequidem eo tempore iisdem plena submissione addicta. Quapropter Pius Papa haud diuturnam ibidem trahens moram, brevi Ferrariam contendit, ubi perhonorifice exceptus est a Borsio Estensi Marchione, qui vulgo *Borsius Nothus* appellatus uxorem nunquam ducere voluit, ut Principatum Herculi Fratri suo debitum, quem usur-

Brutus lib 5. Hist. Flor.

usurpaverat, post obitum suum legitimo hæredi relinqueret. Marchio se a Pontifice Ducem Ferrariæ, sine tributo, atque censu creandum, colendumque sperabat, verum sua eum spes fefellit; hanc enim prærogativam primum Paulo II. regnante obtinuit. Ibidem nonnulli scientia præstantiores Viri eo tempore Ferrariam confluebant, ac Pii II. merita dignis elogiis, atque orationibus celebrarunt. Hos inter præter alios plures eminuere Guarinus patria Veronensis, qui tum literas humaniores græcas, atque latinas magno cum auditorum applausu docebat, necnon Joannes Aurispa Siculus, qui prope nonagenarius omni scientiarum genere excultus floruit. Sæcul. XV. A. C. 1459.

§. XCVIII.

Poggii Florentini obitus.

Hoc anno die vigesima nona Octobris Poggius Bracciolinus, qui Terræ-novæ in Florentinorum ditione Anno supra millesimum trecentesimo octogesimo erat natus, & a Cosma Medicæo Florentiam accitus, ibidem vivere desiit; Hic ad posteros transmisit relationem supplicii Hieronymi Pragensis, quam ad Leonardum Aretinum perscripsit. Extat illa apud Gratium in ejus Fasciculo, Vonder-Hartium, & alios. Scripsit præterea *Comment. Pii II. lib. 2. Paul. Jov. in Elog. In Fascic. rerum tom. 1. ult. edit.*

Sæcul. XV. A. C. 1459.

terea orationes Funebres, quas in memoriam Zabarellæ, & Albergati Cardinalium, necnon Laurentii Medicæi dixerat; item quatuor libros de varietate Fortunæ ad Nicolaum V. necnon Orationem de auctoritate Papæ & Concilii; denique tractatum de vera nobilitate, & alium de miseria humana, præter hæc edidit plurima alia opuscula profana, quæ silentio præterimus, utpote plurimis referta facetiis, quæ magis spurcitiis sordent, quam honeste animum recreent.

§. XCIX.

Papa Mantuæ.

Comment. Pii II. lib. 3.

Tandem Papa Mantuam delatus, die vigesima septima Maji illustri apparatu urbem ingressus, atque a Ludovico Gonzaga illius Gubernatore summis honoribus exceptus est; die prima Junii indicto Conventui datum est initium, summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, Clero, omnibusque Religiosis cujuscunque Ordinis ex Palatio ad Ecclesiam descendentibus. Ubi re divina solemni ritu peracta Coronensis Episcopus de pio Pontificis proposito, præsentisque Conventus caussa, rerumque agendarum necessitate luculentam orationem declamavit.

Raynald ad hunc annum num. 41.

Collect. Conc. Labbe tom. 13. p. 178.

§. C.

§. C.

Sæcul. XV.
A. C 1459.

Oratio Pontificis ad initium Conventus Mantuani.

Absoluta Episcopi oratione, Pontifex ipse e solio suo brevem sermonem habuit, dixitque: *Speravimus hanc urbem adeuntes, frequentes, qui præcessissent, Regum Legatos invenire, pauci adsunt. Non est Religionis cura apud Christianos, quantum credidimus. Conventionis diem longissimam statuimus: nemo brevitatem accuset, nemo viarum incommoda caussetur. Nos ægritudine laborantes, & affecti senio, Apenninum, & hiemem contempsimus: nec nos alma Roma remorari potuit, quamvis nostram præsentiam magnopere desideraret medios inter latrones constituta: reliquimus Ecclesiæ patrimonium non sine periculo, ut Fidei Catholicæ subveniremus, quam Turcæ pessumdare nituntur. Videbamus illorum opes in dies augeri, & arma, quæ jam Græciam, & Illyricum obtinuissent, in Pannonia grassari, & Hungarorum fidelem gentem multis afflictare cladibus. Cogitavimus hoc malum avertere: indiximus hoc loco Conventum: vocavimus Principes, ac populos, ut communi consilio rem christianam tueremur: venimus spe pleni, quam vanam fuisse dolemus. Pudet nos tantam esse Christianorum negligentiam: alii deliciis indulgent, alios avaritia retinet.*

Comment. Pii II. lib. 3.

Sæcul. XV. A. C. 1459.

Tandem prosequitur Pontifex: *Turcæ pro sua damnatissima secta non recusant mortem: nos pro sancto Christi Evangelio nec subire sumptus nec labores perferre vel minimos possumus.* Exceperunt omnes summa attentione Pontificis verba, ejusque Religionis studium amplis extulerunt præconiis, præcipue vero cum diceret: *Nos hic Mantuæ tamdiu manebimus, donec animos Principum exploremus. Quod si venturi non fuerint, necessarium quidem erit domum repetere, eamque sortem ferre, quam Deus dederit. Verum defendendæ Religionis propositum, quoad vires vitaque suppetant, nec deseremus, nec durum putabimus, si res petierit, pro ovibus nostris animam ponere.*

§. CI.

Principes datis literis ad Conventum Mantuanum a Papa excitati.

Inchoato hoc Conventu summus Pontifex primas eo curas intendit, ut Imperatorem, Regem Franciæ, Sabaudiæ ac Bavariæ Duces, Venetos, Florentinos, aliosque datis literis adhortaretur, ut vel ipsi Mantuam venirent, vel saltem Oratores suos eo legarent. Interea dum hæc geruntur, Mantuam adveniunt Legati Thomæ Peloponesi Principis, qui erat unus ex viventibus adhuc defuncti Impe-

Imperatoris fratribus; hic, cum alterum fratrem ſuum Demetrium potiſſima ditionum ſuarum parte exuiſſet, Turcasque in fugam egiſſet, jam ſuppetias a ſummo Pontifice efflagitat, fidemque facit, quod ad Turcas Iſthmo propellendos trecentorum militum manus ſufficeret. Annuit Papa eo facilius Legatorum votis, quo moderatius petebant auxilium. Igitur Legati unacum trecentis peditibus a Papa miſſis iter aggrediuntur, & primo impetu Patracenſem urbem occupant, ſed & ipſi inter ſe diſſidentes, quantocius diſperſi fuere; quod infauſtum ſane rebus gerendis omen erat, Demetrius etiam Spartam fugiens, Mahometis imperio ſeſe ſubjicere, eique licet ſumme invitus Filiam ſuam in uxorem tradere coactus eſt: Thomas vero Demetrii frater pariter omnibus ſuis bonis ſpoliatus primum in Corſicam Inſulam (*) confugit, inde autem ad Pium Papam contendit.

Sæcul. XV. A. C. 1459.

Gobelin. Perſ. Comm. Pii II. lib. 2.

Chalcond. hiſt. Turcar. lib. 9.

Phranz. lib. 3. c. 22.

§. CII.

Plurium Oratorum Concurſus ad Mantuana Comitia.

Interea Mantuani Conventus auctoritas confluentium Legatorum frequentia indies

(*) *Alii Auctores teſtantur, Thomam Corcyram petiiſſe.*

Sæcul. XV. A. C. 1450

in dies nova cepit incrementa. Advenerant Oratores non ſolum ex Inſulis Cypro, Rhodo, & Lesbo, ſed etiam ex Albania, Epiro, Bosnia, necnon ex omnibus Illyriæ finibus. Efflagitabant cuncti valida adverſus Turcas auxilia. Aſt ſoli erant Raguſii, qui cunctis hiſce populis pro virium ſuarum ratione ſuppetias pollicebantur. Equidem Rex Bohemiæ (*), quamvis clam Mahometi reconciliatus eſſet, ſuos tamen Legatos Mantuam decrevit: Verum paulo ante ad Matthiam Hungariæ Regem profectus, ſpecioſa promiſſorum amplitudine eundem induxit, ut ipſi auxilia contra Turcas ſubmitteret, patereturque, ut Filius ejus Synderoviam, quod eſt oppidum ad ripam Danubii munitiſſimum defendendum ſuſciperet; quo facto Rex paucis poſt menſibus magno auri pondere urbem Mahometi vendidit. Ea res magis, quam antea Conſtantinopolitanæ urbis jactura Hungarorum animos fregit, eoquod Synderovia eſſet velut porta quædam, unde ex Raſcia in Valachiam tranſiri, & bellum Infidelibus ſat opportune inferri poſſet.

Leunclav. lib. 15.

§. CIII.

(*) Legendum putamus: *Rex Bosniæ*, conſule Spondanum, num. XI. quem Continuator hic ſatis fideliter deſcripſit.

Secul. XV.
A. C. 1459.

§. CIII.

Certamen inter Legatos de loco magis honorato.

Suborta est in hoc Conventu Regum inter & Ducum Oratores de sedendi prærogativa contentio; nec enim Reges Regibus, nec Duces Ducibus cedere locum, sed sibi quisque in consessu primum arrogare verbis nutibusque contendebant. Papa litem compositurus, Decretum edidit, quo declaratum, *per quemvis sive digniorem, sive minus dignum locum, quem toto durante conventu inter eundum, standum, aut sedendum Oratores tenuerint, principalibus Dominis nullum prorsus aut præjudicium fieri, aut prærogativam acquiri.* Nec tamen hoc pacto contendentium animi penitus placati, Nec ordo Episcoporum Romanæ Curiæ consuetudinem, quæ Notarios Apostolicos inter Episcopos collocabat, æquo ferebat animo. Ex altera vero parte Notarii ex sacratiori lege, quæ sine scandalo haud immutari posset, sibi prælationis concessæ jura deberi contendebant. Ast Pius Papa Episcopali eminentiæ deferens, speratis Notariorum querelis decidit, ex quadam corruptela, non autem legitima consuetudine fuisse introductum, quod Notarii Episcopis intermixti sedissent, id-

Sæcul. XV. A. C 1459.

que Papa deinceps fieri prohibuit, & hanc in rem die trigesima prima Maji Mantuæ Constitutionem edidit (*), quam totus ferme orbis cum applausu accepit, & ipsi quoque Notarii tandem legem hanc vel inviti receperunt. Præcessit hæc Bulla Decretum de sedendi prærogativa, quod nonnisi die decima quinta Mensis Augusti promulgatum fuit.

§. CIV.

Sessio I. Conventus Mantuani.

Omnibus hisce controversiis tandem ex sententia compositis, prima hujus Conventus Sessio ad diem nonam Septembris indicebatur, ut apparet ex Pii II. literis ad Joannem Carvajalum in Hungaria Legatum pridie datis, in quibus Papa præstitutæ hujus diei rationem exponens, inquit: *adsunt enim ex omnibus ferme Christi fidelium nationibus, & ex tota Italia Oratores, conventurosque ante medium præsentem mensem Mediolani, & Mutinæ Duces speramus; ex Gallia quoque & Anglia, & Britannia solennes Legationes propediem aderunt.*

Collect. Conc. P. Labb. tom. 13.

§. CV.

(*) *Exstat Bulla tom. 2. Pii II. Constitut.*

Sæcul. XV.
A. C. 1459.

§. CV.

Ducis Burgundiæ Legatus in Conventu exceptus.

Nihilominus nonnullorum præsentia desiderabatur. Hos inter Philippus Burgundiæ Dux, qui se venturum promiserat, adesse præpeditus, suo nomine Ducem Clivensem Sororis suæ Filium nobili comitatu stipatum Mantuam decrevit. In hujus occursum, cum Pontifex duos Cardinales mittendos censeret, illi primum ire recusant, indignum esse caussati, atque insolitum, quod nobilior dignitas cedat inferiori, Cardinalem dignitatem Regiæ parem esse dicebant. Vicit tamen Pontifex, asserens, vidisse se quod Cæsar, qui tamen Cardinalibus haud inferior esset, sæpe Ducibus, atque Marchionibus ad se venientibus occurrerit, quæ ratio Purpuratos permovit, ut extra urbem procederent, Oratorem excepturi. Hic comitantibus hisce duobus Cardinalibus Mantuam ingressus, in Conventum admissus est, ac occupata sede sua edixit, Burgundiæ Duci equidem Papæ consilium præclarum æque ac sanctum probari, illius tamen executionem non modo difficilem, sed nequidem possibilem videri; in hostem enim longe potentissimum, qualis Mahometes esset, bellum

Sæcul. XV. A. C. 1459.

gerendum fore, ac ideo validiſſimum exercitum educere, neceſſe eſſe; Germaniam vero, Franciam, & Angliam domeſticis ſcindi diſſidiis, has igitur prius pacandas eſſe, bellum deinde Turcis indicendum.

§. CVI.

Pontificis poſtulata pro bello contra Turcas.

Quamquam Clivenſis Ducis rationes ſatis graves viderentur, nihil tamen morari poterant ſummi Pontificis ſtudium, quo Religionem tueri conſtituit. Quare Legati verba excipiens reſpondit, fateri ſe, raro in Orientem ſacras expeditiones factas eſſe ſine Gallorum auxiliis, eorumque defendendæ fidei fervorem ſemper reliquos inter eminuiſſe; Ceterum daturum ſe operam, ut diſſidia inter Francos, & Anglos componerentur: Germanos vero pacare difficilioris momenti negotium eſſe, longumque expoſcere tempus: nihilominus tamen ſe necdum proſperi ſucceſſus ſpem abjeciſſe, dummodo prompta, ac ſeria conſilia foverent Principes; ſi enim diuturnior necteretur mora, timendum, ne tota periret Hungaria; hac ſemel a Turcis occupata, in Germaniam, indeque in Italiam, Hiſpaniam & Galliam liberum eis patere aditum,

aditum, cum id etiam sæpe alias Barbaros feciſſe conſtaret. Præterea expoſuit Pontifex, non adeo copioſa efflagitari ſubſidia, quibus Principes regna ſua exhauriri timerent, ſed duntaxat, ut quilibet tot præberet, quibus exercitus quinquaginta vel ſexaginta millium cogi poſſet; majores enim copias vix uſui futuras: Poſſe & Reges aurum conferre, quo milites ex Hungaria, Germania, Bohemia, & Polonia conſcripti Ductore Legato Apoſtolico, non modo Hungariam, ſed & proximas tuerentur Provincias, donec unitis viribus majores copiæ pararentur. Denique ſubjunxit Papa, Burgundiæ Ducem ad ampliora teneri ſubſidia; illum enim non ſolum potentia ceteris prævalere, ſed etiam obſtrictum voto eſſe ad bellum in Turcam movendum; eidem quoque opportunam offerri occaſionem ulciſcendi vicem Patris ſui, quem Infideles iſti diuturni carceris ſqualore vexaſſent. Verum his Papæ rationibus Dux Clivenſis a ſuo propoſito dimoveri haud potuit, bene conſcius, Burgundiæ Ducem ad ferendas hujus belli expenſas parum propenſum fovere animum. Nihilominus Dux validis Pii Papæ ſollicitationibus expugnatus equitum duo millia, totidemque peditum ſe miſſurum pollicitus eſt, qui ſuo ære alerentur,

Sæcul. XV. A C 1459.

Comment. Pii II. lib. 3.

Sæcul. XV. A. C. 1459. rentur, quamdiu reliquus Christianorum exercitus in bello militaret.

§. CVII.

Mediolanenſis ac Mutinenſis Duces Mantuam delati.

Paucis poſt Clivenſis Ducis adventum diebus, Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Dux Mantuam adiit. Huic adventanti duo Cardinales occurrerunt, & Franciſcus Philelphus Emanuelis Chryſoloræ Gener, Vir omni eruditione clariſſimus, tanta eloquentiæ ubertate orationem habuit, ut Pontifex illum *Muſam Atticam* nuncuparet. Præcipue Ducem hunc ob fortitudinem ac defendendæ fidei ſtudium commendabat, qui vere tanta laude dignus erat, eoquod omnibus generoſi Principis dotibus, atque prærogativis liberaliter dotatus eſſet.

Papienſis Epiſt. 25. Bergom. lib. 15. Trithem. de Script. Eccl. Paul. Jov. in Elog.

Borſius Mediolanenſium Dux morbo præpeditus, Fratrem ſuum Mantuam miſit, qui ejus nomine trecenta aureorum millia pollicitus eſt. Adfuere item Florentinorum, Senenſium, & Bononienſium Legati, qui & ipſi ſua ſpondebant auxilia. Genuenſes quoque minime ſe defuturos promiſerunt, id tamen publice non audebant ſine juſſu Regis Franciæ, cujus imperio paulo ante ſeſe ſubjecerant.

rant. Ferdinandus Neapolis Rex plus ceteris conferre pollicitus est, quin etiam Sacramenti religione ad hoc bellum sese obstrinxit. Aderant pariter Casimiri Poloniæ Regis Legati cum splendido comitatu, necnon Sabaudiæ Ducis Oratores, aliique plures. Ultimi tandem ex Italia venerant Veneti, qui cum tot Principes ad conventum suos decrevisse Legatos, atque Oratores Franciæ propediem adfuturos edocti essent, æmulationis, honorisque stimulis excitati, & ipsi se pro parte sua, quicquid virium esset, præstituros promiserunt, ea tamen conditione, ut unitis omnibus Christianorum Principum armis bellum gereretur. Sæcul. XV. A. C. 1459.

§. CVIII.

Principes, ac Oratores ad Ecclesiam Cathedralem a Papa convocati.

Papa, cum Conventus confluentium numero admodum spectabilis esset, quamvis nondum Franci advenissent, cunctos tamen ad Ecclesiam Cathedralem die vigesima Septembris convocabat. Equidem primæ Sessioni inchoandæ statuta erat dies nona ejusdem Mensis, illam tamen fuisse dilatam testatur dies adscripta orationi, quæ a Pontifice habita inter ejusdem epistolas recensetur. Haud diu Mantuæ detineri poterat Mediola-

Sæcul. XV. A. C. 1459

diolani Dux, priusquam tamen inde recederet, placuit Pontifici, ut sermone ad omnes directo eos ad pium propositum, cujus amore convenerant, strenue exequendum adhortaretur. Postea Sessioni initium dedit, sed re divina peracta, iterato de sedendi prærogativa Venetos inter & Sabaudos contentio exorta est, illis potentiam, & antiquitatem sui imperii, his gentis suæ nobilitatem, ac veterem morem præferentibus. Papa, ubi animos magis, magisque incalescere, jamque Oratores se mutuis contumeliis ultro citroque appetere, ac Ursacium Justinianum Reipublicæ Legatum nimia verborum arrogantia rem urgere comperit, Venetos post Oratores Ducis Burgundiæ collocavit, Sabaudos vero ad scabellum Solii sui sedere jussit.

Æn. Sylv. Epist. 397.

§. CIX.

Altera Pontificis Oratio ad Mantuanum Conventum.

Lite hoc pacto composita, summus Pontifex imperavit silentium, tresque omnino horas peroravit, demonstrans, bellum hoc in Turcas movendum, ad quod omnes Principes hortabatur, eo quod non modo utile, sed & justum, facillimum, ac necessarium esset. Ipsus quoque se, suaque omnia ad eam expeditio-

ditionem laudabili prodigalitare offerebat, simulque palam profitebatur, nihil eorum, quæ sibi præstanda indicaverint, se recusaturum, nihilque aliud a Principibus inpræsentiarum exacturum, quam ut firmum, immotumque tuendæ religionis studium, ac fidei ab omni periculo præservandæ voluntatem ostendant. Præterea pollicebatur, se postea de mediis necessariis prospecturum, acturumque *de pecuniis conquirendis, de Ducibus eligendis, de classibus instruendis, ac de tempore expeditionis, additque: Nec difficilis erit hæc consultatio, quando nec arma, nec equi, nec naves, nec pecuniæ, nec fortissimi milites, nec peritissimi Duces Christianis desunt:* dicebat tamen, timere se, ne sincera desit voluntas. Tanta animi atttentione quisque differentem percepit Pontificem, ut nec verbum quidem hujus Orationis congregatorum aures effugeret.

Sæcul. XV. A.C. 1459.

Labbe Collect Conc tom. 13 p. 1751. Æn. Sylv. epist. 397.

§. CX.

Oratio Paræ a Bessarione Cardinali excepta.

Cum sermonem absolvisset Papa, Bessarion Cardinalis nomine S. Collegii peroravit, ac haud pauciora, quam ipse Pontifex, verba fecit, prolixius demonstrans, quantam passi jacturam Christiani essent occupata Constantinopoli, quæve certo

Secul. XV. A.C. 1459.

certo instarent mala, nisi Turcarum conatibus obviam iretur. His addit, victoriam facili negotio esse reportandam, totumque arduitatis cardinem in conciliandis omnium animis versari; tandem cuncta a Pontifice allata a Sacro Cardinalium Collegio rata haberi professus est. Oratione finita, quid decernendum esset, deliberatur, omnesque ceteri concordibus votis in sententiam Pontificis iverunt. Præ reliquis Mediolanensium Dux militari vere eloquentia se suaque omnia in obsequium fidei obtulit. Criminabantur vero Cæsarem Hungariæ Oratores, quod illis Turcarum bello oppressis & ipse molestias adderet; His autem respondit Pontifex, non eum locum esse, quo jurgia movere conveniret; se vero vel maxime intentum fore pollicitus est, ut pax ad utriusque partis vota redderetur. His ita peractis, omnes demum unitis animis bellum esse gerendum decernebant.

§. CXI.

Bellum adversus Turcas decretum.

Cum de modo hoc bellum gerendi consultatio fieret, plurium animis ea insedit opinio, terra marique rem esse agendam: proin quadraginta triremes & octo grandiores naves instruendas; terra vero saltem quinquaginta millia armato-

matorum esse conscribenda, ex quibus potissima pars pedites, reliqui autem equites forent, id tamen ea fieret conditione, ut Italiæ Clerici omnium suorum proventuum decimam, laici trigesimam, Judæi vero omnium, quæ possiderent, partem vigesimam suppeditarent. Propter hæc, cum Veneti multas difficultates moverent, Pontifex commotus, non parum eis succensuit, illisque exiguum fidei orthodoxæ conservandæ, ac Christianæ Reipublicæ defendendæ studium exprobravit. In hac Sessione Legati Cæsaris animi sui sententiam non explicarunt, eoquod Joannes Inderbachius, quem verba facere oportuisset, infirmitate detentus, & Antonius Tergesti Episcopus naturæ vitio ad dicendum minus expeditus esset. Secul. XV. A.C. 1459.

§. CXII.

Franciæ, Siciliæ & Britanniæ Oratorum adventus.

Franciæ Legatos propediem adventuros, inter congregatos rumor erat; nec ille inanis; quippe die decima sexta Novembris quatuor eorum urbem ingressi sunt. Hi erant Archiepiscopus Turonensis, veneranda canitie spectabilis, Episcopus Parisiensis, Thomas Curcellus insignis Theologus, & Rothomagensis Præ-

Sæcul. XV. A.C. 1459.

tor, quos comitabantur Maſſilienſis Epiſcopus Renati Siciliæ Regis Orator, necnon Britanniæ Ducis Legatus Maclovienſis Præſul, præter Genuenſium Deputatos, aliosque Optimatum quamplurimos. His non pauci Præſulum obviam ibant usque ad Abbatiam, quæ duabus ferme leucis extra Mantuam ſita cognominabatur *Diva Maria de Gratia.* Obviam quoque illis ſe tulit Mantuanus Marchio unacum liberis ſuis, eosque in itinere excepit, illumque ingens civium ſuorum nec non buccinatorum, ac tympaniſtarum numerus comitabatur. Marchio ſalutatione officioſa ultro citroque data, primarii Legati latus ſtipabat; Frater vero, ejusque liberi ceteros Oratores conducebant. Sequebantur Epiſcopi equis vecti, necnon & Cardinalium familiares. Poſtmodum venerunt reliqui quoque Legati, quibus Pontifex Aulæ ſuæ Miniſtros obviam miſit.

Collect. Concil. Labb. to. 13. p. 1403

§. CXIII.

Legati in Senatu publico a Papa auditi.

Narratio Nicol. Petit. Collect. Concil. Labb. to. XIII. p. 1762

Exceptis in urbem Francorum Legatis ſubinde ingreſſa eſt Marchionis Mantuani Conjux unacum Filiabus ſuis, quæ Turonenſis Archiepiſcopi domum petebant, eidemque adventum gratulabantur.

His

His peractis summus Pontifex diem constituit, quo publicum ac solemne Legatis concederetur alloquium. Aft cum eo die Papa adversa valetudine premeretur, officiosa hæc salutatio usque ad vigesimam primam Novembris, quæ erat feria quarta, differebatur. Ea die Episcopus Parisiensis ceterorum nomine verba fecit, oratione ferme ad duas horas protracta, qua in totidem partes divisa, in laudes Regum Franciæ, Majorumque suorum copiosius excurrebat, ingensque eorum pro vera fide studium, atque immotam erga Apostolicam Sedem obedientiam deprædicabat. Commemorabat quoque exantlatos in tollendo schismate labores, virtutesque, quibus ipsi glorioſum *Christianissimorum* Regum nomen emeruerunt: Egit insuper in reliqua orationis suæ parte idem Parisiensis Episcopus de regno Neapolitano, & Genuensium causſa. His propositis finem dicendi fecit, & nomine Caroli Regis debitam summo Pontifici obedientiam exhibuit, prout ab ejus Prædecessoribus Franciæ Regibus deferri consuevit. Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. CXIV.

Responsum Papæ ad orationem Parisiensis Episcopi.

Absoluta oratione, cum summus Pontifex

Sæcul. XV. A. C. 1459.

Labb. Coll. Conc. to. 13. p. 1751. & 1765.

fex erecta mente Oratorem excepisset, minus prolixo respondit sermone, quem in sex divisit partes. Primam habuit de se ipso, in qua tamen erat brevissimus, solum ea delibando, quæ Parisiensis Episcopus in Pontificis laudem protulit. In secunda loquebatur de Sede Apostolica, quam prolixa laude commendavit, hæc adjiciens verba: *Arbitramur omnes Principes Catholicos, Ecclesiæ Romanæ, & Sedi Apostolicæ debere esse subjectos.* In tertia parte egit de pia voluntate, ac studio Regis Francorum erga Romanam Ecclesiam, præcipue in præsenti rerum vicissitudine. Hoc loco extollere cæpit heroica Galliæ Regum facinora, atque jam inde a Caroli Magni, imo ab ipsis Clodovei temporibus encomiorum argumenta repetiit, demonstravitque, quam ardenti zelo a Regibus Christianissimis honorata, atque defensa sit eadem Romana Ecclesia, præprimis vero sub hodierno potentissimo Rege, sine cujus auxilio Turcarum impetus reprimi haud posse dicebat. Postea Regnum pariter, Parisiensem Academiam, Ecclesias, ac Monasteria, quæ in Regno sunt, deprædicavit. Quarta orationis pars tangebat Regem Siciliæ; ast cum in Renati Andegavensis laudem excurreret, tantopere eorum, qui Ferdinando favebant, invidiam in se concitabat, ut hi

hi conventum solvere meditarentur: verum iis silentium indixit Pontifex, eosque audire negavit. Quinto respondit ad Genuensium articulos, quam caussam sibi maxime commendatam fassus est, cum Ecclesiæ ditionem, atque patrimonium concerneret. Sextum, postremumque locum occupavit obedientiæ, ac reverentiæ homagium, quod Christianissimi Regis nomine Parisiensis Episcopus exsolvit, ac ideo Pontifex & se, & Fratres suos Cardinales gratias habere dixit. Iis a Papa expositis, Oratores Regis Siciliæ, assistentibus Franciæ Legatis obedientiam illi præstiterunt, quod idem Genuensis Reipublicæ Delegati velut fideles Christianissimi Regis subditi fecerunt. Demum recitatæ sunt literæ potestatis a Rege Francorum suis Legatis datæ, quæ suasu Cardinalium Estutevillæ, & Avenionensis ex Gallico in latinum sermonem versæ fuerunt, illasque Pontifex summa animi voluptate percepit. His confectis, priusquam Sessio solveretur, ad alloquium vocavit Pontifex Austriæ Ducem, qui ut præsentia sua Legationis honorem augeret, ipsus publico Patrum senatui interesse voluit. Tandem Papa humanissime excepit Galliæ Legatos, iisque Palatium suum, in quo habitarent, obtulit. Sæcul. XV. A.C.1459.

Sæcul. XV.
A.C. 1459.

§. CXV.

Franciæ Legati denuo a Papa audiri postulantes.

Soluta hac Sessione, paucis post diebus Franciæ Legati Papam adeunt, privatumque alloquium sibi concedi postulant, asserentes, habere se aliqua de Regno Siciliæ, quæ tamen nullatenus cunctis præsentibus, sed nonnullorum duntaxat Principum Legatis exponere vellent. Annuit Pontifex, data etiam, quoscunque cuperent, advocandi libertate. Advenerat sub idem ferme tempus Imperatoris Friderici Legatio, cujus Principes fuere, Episcopus Tridentinus, Marchio Badensis, & alii. Aderant & Legati Regis Castellæ, Episcopus quidam, & alius Monachus ex ordine FF. Minorum. Miserat & Alphonsus Lusitaniæ Rex Oratores suos. Hos igitur omnes ad alloquium sibi a Papa promissum accersunt Francorum Legati, cunctique Pontificem adeuntes, Rothomagensi Prætori dicendi provinciam demandant, qui Gallorum egregia pro Religione facinora, & quanta in Apostolicam Sedem beneficia contulissent, longo sermone enarravit, tandem, Regnum Siciliæ quo pacto ad Francos perveniisset, & quam copioso sanguine fuisset emptum, exposuit, subjunxit-

junxitque, Alphonſum armorum potentia, non juris fulcro Regnum occupaſſe, ſummumque Pontificem rem ſua Majeſtate indignam egiſſe, cum excluſis Gallis Filium Alphonſi ſpurium, qui potius a tanto Regno longius arceri promeritus eſſet, eidem præfecerit, atque Renatum legitimum Siciliæ Regem per ſummam injuſtitiam ſpreverit; cum tamen id Calliſtus Papa, quamvis Arragonenſis, nunquam efficere auſus fuerit. Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. CXVI.

Legatorum poſtulata.

Iidem ergo ad calcem Orationis poſtulant, ut Pontifex, cum Franci tantam injuriam ab eo paſſi eſſent, inconſulte geſta poſt maturam deliberationem revocaret, necnon Renato regnum addiceret, & Ferdinandum inde propelleret.

§. CXVII.

Papæ reſponſum ad poſtulata Gallorum.

His auditis cuncti, qui Francis favebant, animos erigebant, nec auſurum reſpondere Pontificem arbitrati ſunt. Verum Pontifex nihil hæſitans, paucis uſus verbis: *Audivimus* inquit, *Oratores regii! quæ pro Renati cauſſa dixiſtis, non ſine accuſatione noſtra. Nos quæ fecimus in Regno Siciliæ conſulente Cardinalium Se-*

Sæcul. XV. A.C.1459.

natu gesta sunt: nunc revocari tanquam injuste acta petuntur: æquum est, ut eorum consilium exquiramus: quo habito, responsum & querelis & petitionibus vestris dabimus. Quibus dictis conventum dimisit, gravi ægritudine stomachi affectus, & arida tussi importune vexatus. Franci vero, re cognita, simulatum a Papa obtendi morbum, eumque hac arte, cum rationibus eorum victus esset, responsum effugere dictitabant. Hæc cum Pius comperisset: *Etsi me,* inquit, *media in concione mori oporteat, respondebo: nec vincet animum dolor, nec impetrabit ægritudo, ut timere videar.*

§. CXVIII.

Papa sibi objecta de Siciliæ Regno diluit.

Nec promissa eventus fefellit; quantocius enim vocatis omnibus Cardinalibus, & communicato responso, quod Gallorum Legatis daturus esset, Papa omnes ceterorum Principum Legatos accersiri jubet; ipse quoque, quamvis corpore languidus, & ingenti dolore oppressus, e cubili suo egreditur, & sublimi, quod in ampliore aula hanc in rem erectum erat, solio sedens silentium indixit. Primo quidem vultu pallidus, & animo anxius vix effari poterat, demum vero ubi calor invaluit, ipsa dicendi vis dolorem sup-

Sæcul. XV. A.C. 1459.

suppressit, ac verbis sponte fluentibus trium horarum orationem habuit. Ante omnia ostendit, se nullatenus a rectitudinis tramite deviasse in eo, quod Siciliæ Regnum Ferdinando adjudicasset; his præmissis querebatur, quod illum indigno prorsus modo habuerint, necnon auctoritatem summi Pontificis, qui totius Ecclesiæ caput foret, contempserint. Postea præclaris elogiis Francorum gloriam, & merita extollit, & addit, illa, quæ circa Regni Siciliæ dispositionem egisset, nec juris nec rationum præsidio destitui, nam cum *in Ferdinando propinquus hostis & apertissimum damnum, Spes vero in Renato longinqua, & auxilium dubium fuisset*, se coactum inquiebat ad id, ut hoc Regnum potius Ferdinando concederet, sicque eundem, qui jamjam Patrimonium Ecclesiæ invasurus esset, placaret, ac impendens Ecclesiæ discrimen averteret. Demum exponit, se in literis investituræ expresse hanc apposuisse conditionem: *reservatis aliorum juribus*, hacque clausula Renati Andegavensis jura adhuc salva & integra manere ajebat. Cum vero Pontifex in responso, quod publice iisdem Legatis dederat, Renatum Regem Siciliæ nuncupasset, Ferdinandi Oratores ea de re offensi, graviter conquerebantur.

Spicil. Dacher. to. VIII

Sæcul. XV. A.C. 1459

§. CXIX.

Papa de Pragmatica conqueſtus.

Poſt hæc Papa ſermone ſpeciatim ad Galliæ Legatos, ac Renatum Andegavenſem converſo hæc effatus eſt, ſe ſatis mirari haud poſſe, Francos a ſe tam inſignem præſtolari gratiam, qualis eſſet Regni poſſeſſio Galliæ Principi concedenda: cum tamen ipſi Sanctionem pragmaticam tueri non deſiſterent, ac adeo abominandam agendi normam uſu firmarent, & velut Eccleſiæ Legem venerarentur, licet id, plus quam exprimi poſſet, Pontificiæ auctoritati injurioſum foret ſtatutum. Equidem Franci hiſce Papæ querelis reponere potuiſſent, & abs dubio etiam repoſuerunt (*), quod ipſemet Pragmaticam hanc Sanctionem acceptaverit, ratamque habuerit in Baſileenſi Synodo, a qua hæc lex condebatur, & ipſe hujus Concilii pars maxima erat, ac ſtudioſiſſimus illius fautor. Attamen Æneas Sylvius ad Cathedram S. Petri evectus, cum nomen, ſtatusque ſui con-

(*) Hæc Legatos repoſuiſſe, vix credibile videtur; facile enim Papa eisdem objicere potuiſſet, quod Galli Æneæ Sylvio ut ſimplici Secretario ad Sanctionem pragmaticam concurrenti, non vero eidem ut Pontifici illam revocanti, ac damnanti obedire velint.

conditionem mutaſſet, mutavit & ſententiam, nec ultra egit privatum ac ſimplicem Baſileenſis Concilii Secretarium; unde, ni fallor, ubi Pragmaticæ Sanctionis mentionem fecerat, in oratione ſua affirmavit, ſe non amplius Francorum gentem iis Apoſtoli verbis alloqui poſſe: *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto,* quamdiu illi ſanctionis hujus maculam ſeu rugam non deponerent. Tandem de modo, quo ejusmodi lex introducta fuerat, diſſerit his verbis: quomodo introducta ſit, ipſi neſcitis: certe non auctoritate generalis Synodi, nec decreto Romanorum Pontificum recepta eſt: Verum quo animo hæc Pontificis oratio in Galliis excepta fuerit, mox edocebimus.

Sæcul. XV. A.C. 1459.

2. ad Cor. II. v. 2.

§. CXX.

Reſponſio Legatorum Franciæ ad Orationem Pontificis.

Reſpondent Pontifici Francorum Legati, haud eorum obliti, quæ de Pragmatica Sanctione Papa diſſeruit. *Arguitur,* inquiunt illi, *ipſe Dominus noſter Rex, quod Pragmaticam Sanctionem in ſuo regno ſuſtinet, quæ privilegiis Sedis Apoſtolicæ derogare prætenditur: atque exinde regnum ipſum rugam, atque maculam contraxiſſe allegatur. In qua re pro defendendis*

Sæcul. XV. A.C. 1459.

dis ipsius Regis, & regni innocentia, honore, & fama, ut tenemur, aliqua explicare duximus. Itaque præsentata olim fuerunt decreta Concilii generalis Basileensis Christianissimo nostro Regi, præsentibus quam pluribus Principibus, & proceribus regni sui, ipse habita consultatione Archiepiscoporum, & Episcoporum, atque universitatum, aliorumque peritorum informatus est, quomodo hæc edita erant auctoritate præfati Concilii, quod ex institutione duorum Romanorum Pontificum Martini V. & Eugenii IV. ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris fuerat convocatum. Intellexit præterea hæc decreta sacris Canonibus antiquorum Conciliorum, ac decretis summorum Pontificum confirmari. Propter quæ Rex eadem decreta cum aliquibus additionibus, quæ Sedi Apostolicæ nequaquam derogare videbantur, acceptare duxit.

Cum vero iidem Legati summo Pontifici exposuissent, auxilia contra Turcas a Rege suo in vanum expectari, nisi prius pax Galliam inter & Angliam restitueretur, Pius Papa dissidentes conciliare conatus est. Jam dudum equidem de tollenda inter utrumque Regem discordia agebatur: ast totius controversiæ summa hærebat circa locum, ubi pacis colloquia haberentur, cum Rex Angliæ non minus pertinaciter ac olim locum Caleto vicinum postularet: Rex autem

tem Franciæ jam in primo pacis articulo ab Angliæ Regis arbitrio dependere renueret. Pontifex, ut hanc quoque moram & obicem removeret, utrumque Regem inſtanter hortatur, ut vel Avenionenſem, Metenſem vel Colonienſem urbes aut quascunque alias extra eorum imperia ſitas eligeret, quæ ad ſuorum Legatorum congreſſum proximo S. Joannis Feſto celebrandum opportunæ forent. Verum res Mantuæ haud decidi poterat, Gallorum Legatis hac ſuper re mandati defectum cauſſantibus. Quare Pontifex Legatum apoſtolicum in Franciam, & alterum in Angliam, qui hos Reges ad alterutram harum urbium electionem inducerent, decernere compellebatur.

Sæcul. XV. A.C.1450.

§. CXXI.

Papa a Clero Gallicano decimarum repulſam paſſus.

Ceterum cum Pontifex ſatis manifeſte intelligeret, a Galliarum Rege reddita nondum cum Anglis pace, copiarum ſuppetias adverſum Turcas haud ſperandas eſſe, rem urgere deſtitit, propoſuit tamen, ut ſibi a Clero Gallicano ad ſuſtinendas belli Turcici expenſas decimam exigere liceret. Cui Legati reſpondent, *vidimus, & iterato perlegimus*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XV. A.C.1459.

nus noſtras inſtructiones, nec facultatem habemus, aut poteſtatem ejusmodi decimam concordandi, nec Sanctitas ſua eandem ſperare poterit; *recentis enim memoriæ eſt, decimam nuperrime levatam eſſe a Rege noſtro, non ergo ægre ferat, beatitudo veſtra, ſi decimam, aut aliud ſubſidium certum in præſentiarum minime offerimus.* Papa hoc reſponſo commotus, & ob pragmaticam ſanctionem jam dudum Gallis minus benevolus, Legatos continuis moleſtiis affecit (*), & oblata de diffidiis, quæ Regem inter & Burgundiæ Ducem fervebant, agendi occaſione ſemper Ducis partes tuebatur, impediturus, ne Gallorum potentia in Italia magis magisque creſceret, quorum imperio Genuenſes jamjam ſubjectos, Mediolanenſium Ducem illis apprime affectum, & Florentinos longævæ amicitiæ vinculo adſtrictos noverat; hinc ſuæ quoque Patriæ, Senenſi urbi, ejusque libertati parum conſultum fore timebat, ſi Galli Neapolis regnum occuparent. Nihilominus parum abfuit, quin ea, quæ eventura timebat, ac

(*) *Quænam hæc vexatio fuerit, Continuator non exponit, Scriptores ceteri reticent. Si ob pragmaticam Sanctionem animi dolorem monſtravit Papa, inimicus fuit cauſſæ, non Perſonæ, non Nationis. Si Burgundo gratiam fecit, quæ injuria inde facta eſt Francorum Regi?*

ac politica ſua perſpicacia prævenire parabat, ſuo adhuc tempore adimpleta doluiſſet. Sæcul. XV. A.C.1459.

§. CXXII.

Regis Angliæ Oratores Mantuam ablegati.

Pius II., priusquam Roma recederet Mantuam profecturus, Interamnenſem Epiſcopum deſtinavit Legatum in Angliam, qui regni lites componeret, & a Rege auxilia adverſus Turcas poſceret. Quare Henricus Rex aliquos Principes atque Barones ablegavit, qui Mantuam ſuo nomine peterent. Aſt cum illius auctoritas paſſim ab omnibus vilipenderetur, hinc nec hi Principes ejus mandatis morem geſſerunt, quocirca duos Presbyteros modici nominis ad Pium Papam Legatos mittere compulſus eſt. Habebant publicæ fidei literas appenſo quidem ſigillo, ſola tamen hac ſubſcriptione: *Henricus, teſte me ipſo*, munitas. Has cum conſpiceret Pontifex, minus benigne Oratores excepit, nec ultra illos ad conſpectum ſuum admiſit; Aſt id vix vero ſimile eſt, eoquod ſat compertum ſit, quod Angliæ Rex Pontifici cauſſas ſignificaverit, ob quas Legationem ſolemnem mittere prohiberetur, aliunde tanta erat ſummi Pontificis erga Reges reve-

Comment. Pii II. lib. 3.

Sæcul. XV. A.C. 1459.

reverentia, ut suo officio illum defuisse, nemo facile sibi persuaserit, in illa præcipue rerum vicissitudine, ubi Papa ad prosperos consiliorum suorum successus Regis benevolentiam colere debebat.

§. CXXIII.

Indignum facinus Legati Pontificii in Anglia.

Ceterum Episcopi Interamnensis imprudentia non modice turbas ac dissensiones in Anglia aluit, fovitque; harum origo fuit, ut alias meminimus, exitialis discordia, quæ inter Eboracensium & Lancestrensium factiones regnabat. Harum prima a Rosa rubra, altera vero a Rosa candida cognominabatur, scilicet a colore, quo quælibet factio sese ab altera distinguebat. Legatus Eboracensi Duci, & Comitibus Sarisberensi ac Varwicensi, juratis Regis hostibus favit, remque gessit perinde ac si contra infideles præliandum esset, hunc in finem plenariam indulsit peccatorum remissionem omnibus illis, qui in Henricum legitimum suum Regem arma capesserent: eos vero, qui ejusdem partes tuerentur, aut eidem auxilia pararent, anathemate perculit: Sane facinus erat Apostolicæ Sedis Legato indignum, qui potius Angelus pacis, quam Vir dissensionum

Polyd. Virgil. histor. Angl. lib. 28.

sionum, atque turbarum esse debuisset. Summus Pontifex Legati sui culpam apud Regem deprecatus, eidem per Papiensem Episcopum insinuat, omnia se inscio, inconsultoque attentata fuisse; & id ipsum veritati consonum fuisse proditur, ex eo, quod Legatum Anglia excedere jussum, ac Romam reducem carceri mancipari, atque instructo caussæ suæ judicio, castigari præceperit. Sæcul. XV. A.C. 1459

§. CXXIV.

Tumultus ab Eboracensi factione in Anglia restaurati.

Sopiti sunt in Anglia aliquamdiu factiosorum tumultus, cum Dux Eboracensis in Hiberniam, Sarisberiensis autem & Varwicensis Comites, Caletum auffugissent: brevi tamen innotuit, quam facile inconstans populi genium auctoritati, atque horum Principum arbitrio serviret. Rex enim, postquam hosce Duces, eorumque fautores perduellionis reos declarasset, Sommersetum recens ad Ducatus dignitatem evectum unacum copiis Caletum ablegavit, eumque urbis Gubernatorem constituit, dato negotio, ut auctis præsidiis Varwicensem Comitem urbe excedere compelleret. Vix ille in conspectu portus erat, & ecce! ingens globorum & flammarum tempestas a Caletensibus in

Sæcul. XV. A.C. 1459.

eum exoneratur, cujus sævitiam declinaturus, Guinæam citato pede sese contulit, ubi summo animi mærore nuntium accepit, quod eo absente naves, quibus vectus advenerat, sese hostium imperio dedissent, nec non Varwicensis Comes post reparatas Eboracensis factionis ruinas Angliam petiisset, bellum restauraturus, cui etiam suppetias ferre dicebantur Baro de Cobham, aliique suorum fautorum complures, qui ibidem anxie ejus adventum præstolabantur. Nec vanus rumor erat; quippe re ipsa Varwicensis clam Angliam repetiit, eumque Eboracensis Ducis Filius, qui vulgo Comes Rolhandus dicebatur, nec non Sarisberiensis Dux comitabantur, quorum ac ceterorum opera adjutus, adeo dextre, ac feliciter sibi addictorum animos devicit, ut brevi copias prioribus numero & animo longe potentiores colligeret.

§. CXXV.

Factionum Pugna.

Interea Sommersetus Dux ad regiam revertitur, ubi Reginam de amittenda Londinensi urbe nil sibi metuentem invenerat, eoquod illius curam Scalesio & Luvelio Baronibus demandasset. Verum probata utriusque hujus Viri fides haud obstitit, quo minus regii Palatii Magi-

Magiſter Roſæ candidæ, hoc eſt, Eboracenſium factioni arma ſua ſociaſſet, & Scaleſio, atque Luvellio ad turrim fugere compulſis, paucis poſt horis tres illos Comites unacum copiis ſuis in urbem admiſiſſet. Confeſtim Sarisberenſi Comiti negotium datum, Londini perſiſteret, & factioni urbem ſartam, tectamque ſervaret; reliquis duobus injunctum, ut exercitu ſuo Regis copias, quas Regina, Sommerſeti & Buckinghami Ducum opera, Conventriæ collegerat, ad pugnam provocarent. Cuncti certaminis deſiderio flagrare, & hoſtis conſpectum quaquaverſum perquirere cupiebant. Tandem vero ambo exercitus ſibi occurrunt, & pertinaci utrinque audacia per quinque horas ancipiti Marte pugnatur, ſignis modo illatis, modo repulſis, donec Comites, militari experientia, ac animi robore longe præſtantiſſimi, tanto ingenio, ac ſolertia aciem inſtruxiſſent, ut Regis copiæ, priusquam hoc periculum ſuſpicandi ſpatium haberent, jam ab hoſtium turmis circumventæ eſſent. Henricus, cum Buckinghamus, pluresque alii ſibi maxime addicti penes ipſum caderent, ac deſiderarentur ſuorum decem millia, ut nihil miſeriæ deeſſet, ipſus quoque ab hoſtibus capitur, ac Londinum veluti nobiliſſimum victoriæ trophæum defertur. Regina autem accepto cladis

Sæcul. XV. A.C 1459.

Polyd. Virgil. hiſtor. Angl. lib. 28.

Sæcul. XV. A.C. 1459. nuntio una cum Eduardo Filio suo, ac Sommersetо Duce Dunhelmum auffugit.

§. CXXVI.

Eboracensis Dux se Regem Angliæ proclamat.

Eboracensis Dux vix prosperum prœlii successum comperit, dum confestim relicta Hibernia, ubi tum agebat, opportune Londinum contendit, Senatui, ad hanc urbem accito interfuturus. Urbem ergo ingreditur Regiis insignibus ornatus, & militum turma stipatus, cui quoque armiger strictum ensem præsefe-rebat, buccinis undique resonantibus. Habitationem sibi selegit Vestmonasterii in illa palatii regione, quam olim Rex tenuit, qui interea in Reginæ cubiculo captivus detinebatur. Demum Eboracensis Henrico Rege nequidem prævie salutato, Senatum ingressus, orationem habuit, qua se Regni solium ambire haud obscure indicabat, „ nostis omnes, in-„ quit, quam inique Majoribus meis ere-„ ptum fuit solium, quod hodiedum con-„ scendo, nec etiam vos latere arbitror, „ quanto scelerum fulcro innixi regnum „ meum invaserint illi, qui illud per se-„ xaginta omnino annos usurparunt. „ Henricus enim hujus nominis quartus „ Richardi II. sanguine manus suas pol-luit.

„ luit. Henricus V. Patrem meum tru- Sæcul. XV.
„ cidavit. Nolo ultra refricare memo- A. C. 1459.
„ riam eorum, quibus facile commota
„ mens rursum ad vindictæ desideria
„ nondum plene extincta accendi posset;
„ ego autem bonum publicum jam du-
„ dum privatæ ultioni prætuli; quam-
„ diu enim Lancastrienses duntaxat me
„ meosque divexabant, injurias nostris
„ illatas abunde reparatas censui per
„ ipsam gloriam, quam hæc familia Na-
„ tioni aquisivit, necnon per amplas
„ æque ac divites Provincias, quas ea-
„ dem Angliæ imperio adjunxit. Haud
„ ægre ferebam, me Regem non fuisse
„ salutatum, quamdiu cernebam, quod
„ vobis talis præesset Rex, qui regio
„ sceptro dignus erat, quamvis jus ad
„ illud non haberet. Verum ubi hodie
„ imbellis ille felicis hujus usurpatoris
„ hæres coronam mihi eripit, & Provin-
„ cias tam copioso sanguine partas avel-
„ lit, indignus forem illius sanguinis,
„ qui per tot tantosque Reges transfu-
„ sus in venis meis ebullit, nisi & ipse
„ diadema mihi vendicarem, ut rursum
„ victoriarum cursum prosequar, quem
„ illi feliciter incœperunt. Vestram
„ igitur opem imploro, ac mecum sce-
„ ptri onera portate, vicissim vero vobis
„ cum regiminis commoda partiri desi-
„ dero.“ Omnibus clare perspectum erat,

Sæcul. XV. A. C. 1459

totam hujus sermonis summam eo collimare, ut Senatus Henricum solio deturbaret, Ducemque subrogaret.

§. CXXVII.

Henrico Regis nomen, Eboracensi jus successionis a Senatu adjudicatum.

Polyd. ibid.

Quid in hoc rerum cardine agendum, diu multumque deliberatum est, & jamjam Senatorum nonnulli in eo erant, ut Henricum IV. contra Eboracensis familiæ jura sceptrum usurpasse, ac Henricum VI. ejusdem Nepotem exauctorandum pronuntiarent, nisi residuus miserationis sensus, vel regalis Majestatis reverentia sententiæ rigorem temperasset. Quare Congregatorum unus componendis hisce controversiis mediam proposuit viam, quæ ab Eboracensi quantumvis Victore haud rejici, a Rege autem captivo beneficii loco haberi posset. Nimirum: *Henricus, quoad viveret, Rex esto; cum obierit, Richurdus Dux Eboracensis succedito una cum liberis suis, Eduardo Walliæ Principe excluso.* His, in quibus rei cardo vertebatur, ita compositis, reliqua facile ex communi omnium voto dirimebantur; quare solemnis decreta est supplicatio, cui & ipse Rex interfuit regia chlamyde ornatus. Ejusdem latera stipabat Eboracensis Dux in successione regni proximus.

mus. Nihilominus Regina haſce con- Sæcul. XV.
cordiæ tabulas ratas habere omnino re- A.C.1459.
nuebat, & regno excedere maluit, eo-
quod Ducis ambitionem reprimere de-
creviſſet.

§. CXXVIII.

Germani ad ſubſidia belli contra Turcas a Papa ſollicitati.

Interim Papa, adhucdum Mantuæ hærens, indefeſſo ſtudio Chriſtianorum Principum unionem urgebat, ut tandem pia, quæ ceperat, conſilia adverſus Turcas effectui darentur. Cum vero nec ex Francia nec ex Anglia, quæ ſperaverat, ſubſidia haurire poſſet, ad Germanos animum adjecit, ſed diſſenſione Imperatoris inter & ceterorum Principum Legatos ſuborta, apud eos non minorem expertus eſt difficultatem, quam apud reliquos, & magno rationum pondere generatim omnes alloquens, ægre impetrare potuit, ut numero parem promitterent exercitum, quem pridem Francofordiæ in Imperii comitiis polliciti eſſent. Spondebant autem ibidem exercitum ex duobus & triginta peditum, equitumque decem millibus conflatum, ea tamen lege, ut ad promovendum hocce negotium duo præterea conventus celebrandi indicerentur, alter Norimbergæ, alter vero

Sæcul. XV A.C. 1459.

in aula Cæsarea, præterea petebant, ut Legatus a Latere a Pontifice mitteretur, qui conventa ad exitum perducenda curaret. His annuens Pontifex, Bessarionem Cardinalem Legatum decrevit, supremum autem exercitus Christiani Ducem Fridericum Imperatorem constituit, data eidem potestate, ut alium, si id muneris per se obire non posset, Principem subrogare posset. Cum vero Mensis December jamjam decurreret, ulteriori consultationi subsequens annus destinabatur. Interea vero summus Pontifex die trigesima prima Decembris Mantuæ dato diplomate Basileensem instituit Academiam, omni tempore Doctoribus eruditione præstantibus conspicuam, quos inter haud infimi erant Erasmus, Amerbachius, Buxtorfius, Bauhinus, pluresque alii.

§. CXXIX.

Aliorum Principum & Legatorum adventus ad Conventum Mantuanum.

Singulis fere diebus alii Legati Mantuam confluebant. Advenit quoque Sigismundus Austriæ Dux, cui duo Cardinales obviam processerunt. Albertum vero Brandeburgensem Marchionem, cognomento *Germaniæ Achilem*, salutavit Car-

Comment. Pii II lib. 3. Cromer. lib. 24.

Cardinalis S. Crucis, & Pontifex venientem maximo, quo potuit, honore excepit, eique gladium & pileum de more inter solemnia Epiphaniæ benedictum dono dedit. Gobelinus, cujus solertiæ omnium horum notitiam in acceptis referimus, nec de adventu Oratorum Casimiri Poloniæ Regis, nec de magnifico eorundem ingressu in Mantuanam Civitatem mentionem facit: ex aliis tamen Scriptoribus discimus, hosce Legatos persoluto submissionis, ac obedientiæ debito a summo Pontifice impetrasse, ut Poruſſi, qui ob defectionem a Cruciferis Equitibus anathemate devincti fuerant, absolverentur. Nihilominus obtinere haud poterant, ceteris omnibus etiam Oratoribus impense rem urgentibus, ut præfati equites, haud ita pridem Corintho a Mahomete II. occupata, ad Insulam Tenedos in Archipelago transferentur. Sæcul. XV A. C. 1459.

§. CXXX.

Carolina Lusitaniæ Regis vidua hæres Regni Cypri.

Carolina Joannis Lusitaniæ Regis conjux, cujus maritus ipsa consentiente, & Helena propria ejusdem matre instigante veneno extinctus obiit, Procerum suasu Ludovicum Sabaudum connubio *Æn. Sylv. in Asia c. 97. Comment. Pii II. lib. 7*

Sæcul. XV. A.C 1459.

sibi sociavit; Helena autem pauco ex post tempore Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo in mense Aprili humanis rebus erepta fuit, nec ipse Cypri Rex Carolinæ Pater plusquam tribus mensibus superstes vixit. Carolina igitur utroque parente orbata, unica eorum proles in Regno Cypri, præter omnem controversiam successit, ac paulo post cum solium suum sat firmis inniti fulcris crederet, trium Regnorum Cypri, Jerosolymæ, & Armeniæ Regina die prima Septembris ejusdem anni consueto ac solemni ritu coronata est. Verum haud diuturna fuit pacata sceptri possessio. Jacobus enim Archiepiscopus Nicosiensis Frater ejus Nothus, juvenis viginti circiter annos natus, temerarius, & ad quævis audenda proclivis non tam Reginæ sceptrum invidebat, sed potius ob denegatam sibi illam coronandi provinciam indignationem concipiebat, unde regnum commovere non destitit. Cum vero novas identidem turbas suscitaret, Regni Proceres eum capere parabant: ast ipse re comperta ad Sultanum Ægypti se recepit. Hæc Jacobi fuga Ludovicum Sabaudum Carolinæ maritum non modice sollicitum reddidit; quare ad præsentis anni initium, cum interea in Cyprum rediisset, primas eo curas intendit, ut confestim post acceptam coronam

Naucler vol. gener. 49.
Bos. lib. 7. tom. 2.

nam Oratores suos ad Sultanum Ægypti, cui jam olim Cypri Regnum Carolinæ Avus vectigal reddidit, cum muneribus & consueto tributo mitteret, additis quoque mandatis, ut Reginæ suæ conjugis jura tuerentur contra Jacobum, qui a Sultano Ægypti jamjam Cypri Regnum obtinuerat. Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. CXXXI.

Sultani Opera Regnum Cypri Jacobo assertum.

Legati in Ægyptum ad Sultanum appulsi, tanto rationum pondere Reginæ suæ jura vindicabant, ut Jacobus vix non omni spe sua excidisset, nisi supervenientes Mahometis II. oratores, quos Jacobus opportuna dexteritate sibi devicerat, Sultanum conveniissent, & Imperatoris sui nomine arroganter comminati fuissent, cruentum ipsi bellum a Mahometanis illatum iri, nisi Jacobum, quem semel Regem salutasset, in Regni possessione firmaret, & fœdus cum Gallis initum dissolveret. Si vero, promissa Jacobo servaret, classemque pararet in Cyprios, Mahometem quoque aliam instructurum in Rhodios Equites, eorumque Insulam pleno jure Sultano cessurum spondebant. Ast aut falli, aut Sultanum fallere volebant hi Oratores; cum enim

Secul. XV. A.C. 1459.

enim jam vicina, quæ hujus Insulæ continenti adjacent, loca Sultani imperio subjecta essent, certe hic, qui ipsus hanc Insulam imperio suo subjici tam ardenter exoptabat, eandem suis armis semel occupatam, facili adeo negotio æmulo suo non cessisset.

§. CXXXII.

Jacobi Juramentum a Sultano petitum.

Placebant Sultano conditiones per Mahometis Legatos propositæ: quocirca Jacobum in Regno confirmatum cum magna militum manu in Cyprum remisit, prius tamen ab eo sequens juramentum præstari petiit. *Per Deum magnum, & altum, formatorem cœli & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, & per sancta hæc Evangelia, per S. Joannem Baptistam, atque omnes Sanctos, & per fidem Christianam promitto, & juro, quod omnia, quæ novero, aperta erunt Domino meo altissimo Sultano Ægypti, & totius Arabiæ Imperatori, cujus Regnum Deus fortificet; ero amicus amicorum suorum, & inimicus inimicorum. Nihil eum celabo; neque piratas in Regno meo patiar: Ægyptios, qui in regno meo serviunt, emam, & libertate donabo. Auri quinque millia nummum in Calendis Septembris aut Octobris tributi nomine in templis altis-*

Æn. Sylv. ibid. c. 97. Comment. Pii II. lib. 7.

altissimis Jerusalem, & Lamech singulis annis offeram. Colosseos prohibebo. ne piratis arma ministrent. Quod si aliquod horum neglexerim, ero apostata, & mandatorum Sancti Evangelii, Christianæque fidei prævaricator. Dicam Evangelium falsum esse, negabo Christum vivere, & Matrem ejus Mariam Virginem fuisse: super fonte baptismatis camelum interficiam: & Altaris Presbyteris maledicam: divinitatem negabo, & sanctorum Patrum maledictiones omnes in me recipiam. Hoc juramentum ex Arabica in latinam linguam versum ad Pium II. Papam delatum est. Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. CXXXIII.

Exscensio in Neapolis Regnum a Calabriæ Duce facta.

Hoc adhucdum anno summus Pontifex ea, quæ sibi a Renato Andegavensi potissimum metuerat, & prudenti sua perspicacia præcavere conabatur, experiri debuit. Ejusdem enim filius Calabriæ Dux, qui Genuensium regimine fungebatur, inde cum valida classe solvit, atque in Neapolis Regnum exscensionem fecit, ubi ferme tota Nobilium corona Andegavensis partes palam profitebatur, pluresque civitates eidem adhærebant. Hanc expeditionem Duci, cui Joannes nomen erat, persuasit Antonius Cen-

Corius part. 6. Collen lib. 6. Nebriss. l. 7. Toliat. l. 11.

Sæcul. XV. A.C. 1459. Centiglia Marchio Cotronensis, qui insuper eidem Calabriensis Ducatus imperium pollicebatur, suasque illi vires offerebat, ut totum quoque Neapolis Regnum armis recuperare posset. Equidem Joannes hoc suum propositum aliquamdiu differre compellebatur, eoquod Petrus Fregosus supremum sibi in Genuensi Republica regimen vindicasset, ac inde Gallos propellere machinaretur. Postquam vero Dux hanc factionem dissipaverat, Genuenses omnem, quam poterant, illi opem contulerunt, ut coronam olim a Patre suo amissam recuperaret. Igitur decem longiores naves tresque alias alterius formæ suppeditant, trimestre belli stipendium numerant, & ad sustinendos belli sumptus sexaginta aureorum millia solvunt; adjunxit quoque Joannes huic classi duodecim illas naves, quas Renatus Andegavensis ejus Parens olim Massiliæ instruxerat; hoc itaque navium apparatu munitus, explicatis velis portu solvit, jactisque ad Cajetam urbem anchoris subsistit.

§. CXXXIV.

Urbes in Regno Neapolis a Duce occupatæ.

Joannes inde ad Coteronensis Marchionis ditiones in Calabriam transeundi con-

consilium cepit, sed accepto nuntio, Marchionem a Ferdinando carceri datum, cursum relegi jussit in Ragum, quam urbem Dux Suessæ Joanni tradidit, quamvis Eleonoram Regis Neapolitani Sororem in conjugem haberet. Postmodum Castellomari exscensione facta, Suessam venit, totamque Laborensem Regionem infestis armis invadit, dum interea Suessensis Dux, occupata Calviæ urbe, plures alios regni proceres, ut & ipsi Calabriæ Ducem armis tuerentur, exemplo suo incitavit. Dux Calabriensis ita auctis plurimum copiis suis, ad Aprutium Provinciam penetravit, & Aquilam urbem suæ potestati subjecit, indeque in Apuliam progressus est, ubi Hercules Estensis Marchio Victori suas quoque junxit copias: Paulopost & reliquæ urbes, Luceria, Fovea, oppidum S. Severi, Troja, & Manfredonia Calabriensis Ducis imperio sese submiserunt. Ferdinandus cum exercitu suo usque ad Calviam urbem procurrebat, sed repentina hac suorum defectione conterritus, Neapolin rediit, ubi novum calamitatis suæ argumentum edocebatur: comperiebat enim, quod tres fratres Daniel Ursinus Samosensis, Jordanus Tripaldensis Comites, & Felix Salernitanus Princeps inimico suo adhærere parati essent; hisce ergo exitiosis ut obviaret consiliis, Mariam spuriam Filiam

Sæcul. XV. A.C. 1459.

Secul. XV. A.C 1459

liam ſuam Felici in uxorem dedit, quo connubii vinculo Principem ab hoſtium factione avulſum, ſibi vero obſtrictum tenuit.

§. CXXXV.

Dux Sueſſenſis Ferdinando necem machinatus.

Dux Sueſſenſis vatiniano, quo Ferdinandum proſequebatur, odio nimium indulgens, eundem ſicaria manu e medio tollere, animo conſtituit; ut autem ſuum ſibi conſilium ex voto ſuccederet, Gregorium de Cariglia ſuum a ſecretis miniſtrum ad eundem ablegavit, ſignificans, ſe habere, quæ cum Rege conferret. Ergo pro colloquii loco haud procul ab exigua Eccleſia campus quidam deſignatur, qui nonniſi ſecundo lapide a Teana urbe tum Gallis ſubdita ſemotus erat. Inter eos quoque convenit, compareret quivis ducbus duntaxat arbitris ſtipatus. Ferdinandus præfatum Carigliam & Joannem de Ventemellio, Viros dandis potius conſiliis, quam gerendis armis aptos ſecum duxit: ut tamen debitam in præcavendo diſcrimine ſolertiam adhiberet, ipſus armis ſe præcinxit. Ducem vero comitabantur Phœbus de Anguillaria, & Jacobus de Montaniana, uterque animi robore præſtans,

stans, & armis bene instructus. His omnibus ad condictum locum convenientibus, Ferdinandus & Suessensis Dux arbitros removent, ut majore conferendi libertate potirentur; cum ipsorum interea comites haud procul ab Ecclesia subsisterent. Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. CXXXVI.

Rex vitam suam tuetur, & Sicarios in fugam agit.

Paucis hinc inde prolatis verbis, quæ tamen rei summam minime tangebant, Phœbus tres reliquos alloquitur socios inquiens: quia Dux cum Ferdinando plene in gratiam rediit, æquum est, ut & ego Regem mihi placatum reddam. His dictis confestim minus concito cursu equitans, Ferdinandum accessit, qui cum Proditoris manum pugione armatam animadverteret, e vestigio gladium suum stringit, manus conserit, & invicto animi robore inimici sui impetus sustinet; Montanianus interim Gregorio de Cariglia & Ventimilliacensi, ne succurrerent, aditum occlusit; hi quidem ignava manu illum repellere conantur; ast Regii Ministri haud procul inde distantes, percepta periculi fama, tanta celeritate accurrunt, ut Suessensis

Sæcul. XV. A.C.1459. Dux unacum sociis suis, incitatis equis, solutisque habenis affugere compelleretur.

§. CXXXVII.

Ferdinandi clades apud Sarnum.

Bagni. Postera die Ferdinandus proditionis injuriam ulturus, in Stellatæ ditiones populabundus irrupit, & Balneolensem agrum Suessam usque immani strage, terroreque involvit. Paucis post diebus Pontificis exercitum sub Duce Simonolto adventare comperiens, cum suis obviam processit, & junctis utrinque copiis Sarnum urbem cinxit. Jamque obsidionem strenue urgebat, cum præter exspectationem nuntium accipit, quod Papa mutata animi sententia suo Belliduci præceperit, confestim exercitum reduceret. Hoc Pontificis mandatum adeo nulla moræ ac temporis lege circumscriptum erat, ut Ferdinandus ei quantocius parendum ratus, obsidionem solveret. Aft dum Ferdinandus obsidione soluta Simonoltum sequi paraverat, utrumque Calabriensis Ducis copiæ adoriuntur, & apud Sarnum ingenti clade deletum fugant, Pontificii exercitus Ducem trucidant, & quam plurimos prœlio capiunt, quos Calabrienses Dux Massiliam perduci jussit. Creditum est, quod Joannes certius Neapo-

Neapolin, quo Ferdinandus confugerat, suo imperio subigere potuisset, si suum, & non aliorumconsilium secutus, absque ulteriori mora urbem obsedisset, a quo tamen proposito aversus fuit a Principe Tarentino, qui Duci suggerebat, consultius fore, ut prius ea, quæ viciniora essent, loca in potestatem redigeret, quam ut maximi moliminis rem dubia sorte temerarie aggrederetur. Ferdinandus hac cunctatione opportune usus, res suas restauravit, ac subsidia sibi a Papa & Sfortia Mediolanensium Duce submissa præstolandi spatium accepit; unde factum, ut Calabriensis Dux Neapolitanæ urbis obsidionem, quam prius animo conceperat, penitus intermittere compulsus fuerit. Sæcul. XV. A.C.1459.

§. CXXXVIII.

Ferdinandus a Papa potenter protectus, & quare?

Equidem (*) Papa, tanta sollicitudine ad

(*) Hæc Continuator denuo ex Spondano transscripsit, utinam! & illius ingenuitatem, ac erga S. Sedem imitatus esset reverentiam; Hic enim sua dicta saltem interjecta hac nota mitigabat: (*absque tamen ulla accusatione, & servata omni in Pontificem reverentia.*)

Sæcul. XV. A.C. 1459.

ad mutuam pacem & concordiam ceteros Italiæ Principes revocare conabatur, ut etiam illis iram ac vindictam divinam comminaretur, nisi a rixis & contentionibus desisterent; sat tamen mirari haud possumus, quod idem Pontifex in præsenti bello tam pertinaci consilio dissidia Ferdinandum inter & Renatum Andegavensem aluerit, quinimo & Scanderbegum, alias Turcarum terrorem, in Italiam evocaverit, ut Ferdinando suppetias ferret. Erat quidem Papa tam arcta Ferdinando colligatus amicitia, ut adhucdum Cardinalis se illius famulum aliquando profiteri non dubitaverit. Insuper jam alibi nonnullas adduximus causas, ob quas Papa Ferdinando valde propensus, Gallis vero male affectus fuerit (*); hos enim nimis superbam esse nationem, eamque vehementer expeditioni, quam contra Turcas moliebatur, obstitisse censebat. Verum plerumque privata commoda utilitati publicæ præferri solent, etiam ab iis, qui ad supremos dignitatum apices evecti clarescunt. Ceterum Renatus Andegavensis verus ac legitimus Siciliæ hæres erat, & ejus Filius Joannes omni æquitate adversus Ferdinandum spurium,

Æn. Sylv. Epist. 194.

Marian. lib. 23. *c.* 1.

(*) Idem Spondanus, etsi Gallus, addidit, *in superbiam, & ferocitatem Francorum non semel, haudque adeo immerito invectus est.*

ſpurium, qui ab ipſomet Calixto III. injuſtus Regni uſurpator denuntiatus erat, jus ſuum proſequebatur, cum id ipſum toties Patri ſuo Sedes Apoſtolica confirmaſſet. Ipſe quoque Pius II. Ferdinandi jus controverſum agnovit, cum in literis inveſtituræ diſerte hæc verba apponi voluerit: *ſalvo alterius jure*, quibus etiam aliis æquale ſaltem cum Ferdinando jus ad regnum competere, manifeſto inſinuavit argumento. (*) Sæcul. XV. A.C.1459.

§. CXXXIX.

Novi tumultus ad ejiciendos Gallos Genuæ ſuſcitati.

Interea Calabriæ Dux, cum unice recuperando Neapolis Regno intentus eſſet,

(*) *Aut Pium II. vindicare, utpote qui ipſus ejusmodi objecta ſæpius plene diluit, ut videre eſt apud Palatium in Pium II. num. 7. aut Continuatorem noſtrum velut ſummo Pontifici injuſtitiæ notas impingentem caſtigare, nunc eſt nec animus, neque conſilium; eoquod, quæ protulit, non proprii ſui cerebri partus ſint, ſed Spondani reflexio; hoc tamen illi vitio damus, quod, dum alienis verbis uti non dedignatur, ſtudioſe ea, quæ Pontificem excuſant, omiſerit. Conſulatur ipſe Spondanus in Continuat. Baron. ad hunc annum num. 27. & 28.*

Sæcul. XV. A.C.1459.

set, factiones, quæ ante discessum suum Genuæ penitus dissipatæ credebantur, acrius recuduere, eoquod Optimatum nonnulli Gallorum regimen pertæsi eos e ditione sua ejicere statuerint. Ex his Petrus Fregosus, qui ipsus initis cum Carolo VII. pactis hanc Rempublicam Francorum imperio subjecerat, jam relicta urbe, ad quoddam sibi subjectum prædium secessit, ut ad maturanda consilia amplius nanciscerétur otium. Rem quoque clam cum Ferdinando Arragonio, atque Mediolanensium Duce contulit, sibique denuo Fliscos conciliavit. Tandem vero conspiratione adornata, copias suas in aciem duxit, easque Genuensium urbi admovit, spe fretus, cives mox in seditionem erupturos. Ast ubi primos hosce conatus successus fefellit, secundo molimine urbem invasit, eo ipso temporis puncto, quo Calabriæ Dux classem suam urbi applicuit, Ferdinandi naves aggressurus: igitur repentino impetu civitatem obruit, suosque milites scallarum ope immisit. Hæc fata præcesserant Sarnense prœlium, & id quidem opportuniori tempore factum; tunc enim adhucdum Calabriæ Dux urbem insederat, qui ad primos seditionis rumores excitatus, omnes aditus occupavit, hostemque repulit: Fregosus vero in hoc prœlio

lio occubuit. Nihilominus anno sequenti seditionis furor nova incrementa cepit. Sæcul. XV. A.C. 1459.

§. CXL.

Fezæ Rex ab Alcasariæ obsidione depulsus.

Eo tempore Lusitaniæ Rex continuis belli tumultibus adversus Fezæ Regem involvebatur; hic enim denuo Alcasariam parvam aggredi meditabatur, sed urbis Præfectus comperto Fezani Regis consilio, e Lusitania subsidiarias evocavit copias, earumque auxilio Maurorum impetus tanta pertinacia ac animi robore elusit, ut hi obsidione jamjam in quinquagesimum tertium diem incassum protracta, maximo suorum damno pedem referre compellerentur. Eduardus de Menezes urbis Præfectus soluta obsidione Ulyssiponem reversus, Regem de belli successu certiorem reddidit, a quo etiam summis honoribus exceptus, Vianæ Comitatu auctus est, ut rei bene gestæ præmium reciperet. *Vid. supr. §. LII.*

§. CXLI.

Res Castellæ Regni.

Fortuna, quæ Lusitaniæ Regis conatibus adspiravit, minus propitia fuit Castellæ Regi, cum adversus infideles

Sæcul. XV. A.C.1459. bellum moveret; Marchio enim Castenneda, qui copiis ad Granatensis Regni confinia positis summo cum imperio præerat, in insidias ab hoste structas incautius delapsus, ab iis capiebatur. Henricus Rex non modo Ducis sui libertatem auro redemit, sed etiam ipsius loco alium transmisit. Postea vero, ut clandestinis fuorum Procerum machinationibus obviaret, præcipua Regni munia inter Viros sibi maxime devinctos distribuit. Igitur supremam Castellæ Conneſtabilis dignitatem, tunc morte Alvaresii de Luna vacantem contulit Michaeli de Doranzo; Alcantaræ vero Præfecturam Domino Gomez de Caceres suæ regiæ Præfecto; Palatii autem Magistrum designavit Bertrandum de Cueva. Rebus ita provide dispositis, primo Madritum, inde Segoviam petiit, venationum deliciis animum recreaturus. Ast cum idem percepisset, quod Joannes de Luna Numantiam novam, & tres urbes in Infantado sitas, necnon S. Stephani Comitatum, tutorio nomine pro Alvaresii Filia possideret, inde verebatur, ne potentior factus in Regis damnum graviora moliretur, hinc Agalloniam venit, a Joanne summis honoribus exceptus. Altera vero die Rex eundem comprehendi jussit, significans, ni magis munitas, quas occupaverat, urbes ei traderet, se

Marian. hist. Hisp. lib. 23.

capite

capite plectendum sciret. Joannes vitæ suæ consulturus, sine mora urbes cessit, quas Rex Pacheconi, cujus Filius postmodum Alvaresii Filiam connubio sibi sociabat, eodem temporis momento dono dedit. Præterea Henricus imperium suum auxit, recuperatis urbibus, Carthagine nova, Laurea aliisque pluribus, quæ tam ad S. Jacobi Dynastiam, quam ad Villenensem seu Caronienſem Marchionatum spectabant. Has olim Alphonsus Fachardo quidam Murciæ Nobilis in nuperis intestini belli tumultibus sibi vendicaverat. Sæcul. XV. A C 1460.

§. CXLII.

Decretum Papæ adversus Appellantes a Sacra Sede ad Concilium.

Interea summus Pontifex Pius II. continuo Mantuæ hæsit; cum vero appellationes a Sacra Sede ad Concilium (quamvis a longævo usu comprobatæ, & æquitati innixæ, imo in nonnullis casibus omnino necessariæ viderentur) ad labefactandam Sedis Apostolicæ auctoritatem tendere censeret, ineunte anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primas eo curas intendit, ut ejusmodi provocationes, tanquam erroneas, detestandas, nullas, sacris Canonibus contrarias, Christianæ Reipublicæ pestiferas atque inanes de- *Labbe Collect. Conc. tom. 13. p. 1801.*

Sæcul. XV
A.C 1460.

clararet. Propria adducimus verba hujus decreti, quod incipit, *execrabilis & priſtinis temporibus inauditus &c.* hæc Bulla de S. R. E. Cardinalium & Epiſcoporum tunc Mantuæ reſidentium conſilio ac aſſenſu edita, & die decima octava Januarii promulgata fuit: *Execrabilis*, inquit Pontifex, *& priſtinis temporibus inauditus tempeſtate noſtra inolevit abuſus, ut a Romano Pontifice JEſu Chriſti Vicario, cui dictum eſt PASCE OVES MEAS, & QVODCVNQVE LIGAVERIS SUPER TERRAM, ERIT LIGATUM ET IN COELO: nonnulli ſpiritu rebellionis imbuti, non ſanioris cupiditate judicii, commiſſi evaſione peccati, ad futurum Concilium provocare præſumant, quod quantum ſacris Canonibus adverſetur, quantumque Reipublicæ Chriſtianæ noxium ſit, quisquis non ignarus jurium intelligere poteſt. Namque, ut alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifeſtiſſime refragantur: quis non illud ridiculum judicaverit, quod ad id appelletur, quod nusquam eſt, neque ſcitur, quod futurum ſit? Pauperes a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita ſcelera, nutritur adverſus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis eccleſiaſtica diſciplina, & hierarchicus ordo confunditur.*

Joan. c. 21. Matth. c. 16.

Comment. Pii II. lib. 3. ad finem, & in Bullar. tom. 2. Pii II Conſtit. 5.

Volen-

Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere, & ovium nobis commissarum saluti consulere; omnemque materiam scandali ab Ovili nostri Salvatoris arcere, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac divini humanique juris interpretum, curiam sequentium consilio, & assensu, ac certa nostra scientia, hujusmodi provocationes, introductiones damnamus, & tanquam erroneas, ac detestabiles reprobamus, cassantes, & penitus annullantes, si quæ hactenus taliter interpositæ reperiantur, easque tanquam inanes ac pestiferas, nullius momenti esse declaramus, præcipientes deinceps, ut nemo audeat, quovis quæsito colore, ab ordinationibus, sententiis, sive mandatis quibuscunque nostris, ac successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut per alium interpositæ adhærere, seu eis quomodolibet uti. Si quis autem contra fecerit, a die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica, post duos menses, cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiamsi Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam exsecrationis incurrat, a qua nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo absolvi non possit. Universitas vero, sive Collegium ecclesiastico subjaceant interdicto: & nihilominus tam Collegia & Universitates, quam præ-

Sæcul. XV. A.C. 1460.

Sæcul. XV. A.C.1460

prædictæ, & aliæ quæcunque Personæ, eas pœnas ac censuras incurrant, quas rei Majestatis, & hæreticæ pravitatis fautores incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper, ac testes, qui hujusmodi actibus interfuerint, & generaliter, qui scienter consilium, auxilium dederint, vel favorem talibus appellantibus, pari pœna plectantur.

§. CXLIII.

Pontificis Decreta pro bello adversus Turcas.

Cum hoc decretum veris Juris Canonici legibus parum consonum, & antiquæ ac universali Ecclesiæ disciplinæ contrarium sit (*), summus Pontifex

(*) *Instituti nostri ratio non exigit, ut omnium Gallicarum libertatum originem, ac antiquitatem investigemus. Certum tamen est, articulos de auctoritate Concilii Generalis supra Pontificem, & de jure prætenso a Papa appellandi ad Concilium, in Galliis usu receptos fuisse primum An.* 1682. *legitimam tamen possessionem necdum acquisivisse ob interpositos actus contrarios a summis Pontificibus Innocentio XII. & aliis. Prioribus temporibus contraria longe disciplina usu ac doctrina apud Gallos comprobata invaluit. Immerito igitur hoc decretum antiquæ & universali Ecclesiæ disciplinæ contrarium*

sex paucis post diebus Cardinales, Prælatos, omnesque Principum Oratores Mantuæ

Sæcul. XV. A.C.1460

trarium suggillatur; semper enim & ad hæc usque tempora, excepta sola Gallia, totus Christianus orbis appellationes ejusmodi Ecclesiæ disciplinæ contrarias agnoscit. Qua autem ratione hoc Papæ decretum veris Juris Canonici legibus parum consonum notetur, non videmus, si Gallorum sententiæ nonnisi libertates privatæ suæ Ecclesiæ sunt, seu, ut ipse Petrus de Marca acerrimus harum libertatum vindex definit: libertas Gallicana constat non solis antiquis Canonibus, sed Jure Canonico e Canonibus & Decretalibus temperato *in proleg. ad Concord. Sacerd. fol.* 54. *tunc potius sententia huic Decreto contraria dicenda foret libertas, exemptio a veris Canonibus, aut eorum temperamentum seu præter Canonum disciplinam usus introductus: Decretum vero veris legibus apprime consonum erit dicendum; non enim solis Decretalibus in Collectione Isidori Mercatoris, sed antiquissimis Canonibus in Gratiani Decreto & Decretalibus contentis (quibus tanquam Juri communi Gallicanas libertates inniti, idem Petrus de Marca lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. *testatur) ejusmodi appellationes prohibitæ leguntur. Sint suæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ, eas tamen Continuator universales esse non facilitet, minus vero oppositam disciplinam velut antiquæ contrariam suggillet; in sæculo enim XVII. non solum Roma-*

Sæcul. XV. A.C.1460

Mantuæ in Ecclesia S. Petri congregatos alloquebatur, eisque hucusque octo illis mensibus in Conventu Mantuano peracta, ac ulterius speranda exposuit, *Hungari*, inquit Pontifex, *si adjuventur, summo conatu, & universis viribus suis Turcas invadent: Germani pollicentur exercitum duorum & quadraginta millium bellatorum: Burgundus sex millia: Itali (exceptis Venetis, ac Genuensibus) Cleri decimas, populi trigesimas annuorum reddituum, ac vigesimas Judaicæ substantiæ, ex quibus navales copiæ sustentari queant. Idem facit Rex Arragonum: Ragusei duas triremes offerunt: Rhodii quatuor. Hæc tanquam certa solemni stipulatione per Principes ac Legatos promissa sunt. Veneti, quamvis publice nihil promiserint, cum tamen expeditionem paratam viderint, haud quaquam deerunt: neque patientur, ut suis majori-*

Collect. ibid. p. 1802.

Romana Curia, sed ipsimet Protestantes mirati sunt, quod Gallia famosas illas quatuor propositiones in Conventu Cleri Gallicani concinnatas adeo tenaciter defendere voluerit, quapropter Auctor Sæculi Ludovici XIV. tom. 2. cap. 31. fol. 221. & 218. *effatus est.* Hæc eorum constantia a Romanis respiciebatur tanquam seditiosorum attentatum, ab omnibus Protestantibus in Europa velut infirmus Ecclesiæ recens libere natæ conatus, quo nonnisi suorum vinculorum quatuor disrupit annulos.

majoribus deteriores videri possint. Idem de Francis, de Castellanis, de Portugallensibus dicimus. Anglia civilibus agitata motibus, spem nullam pollicetur, neque Scotia in intimo abscondita Oceano: Dacia quoque, Suecia, ac Norvegia, remotiores provinciæ sunt, quam milites possint mittere; nec, solis contentæ piscibus, pecuniam ministrare possunt. Poloni Turcis per Moldaviam contermini, suam causam deserere non audebunt: Bohemos mercede licebit conducere, suo ære extra Regnum non militabunt. Sic res Christianæ se habent. Hungari viginti millia equitum armabunt; peditum haud minorem numerum: qui Germanis juncti, ac Burgundis duodenonaginta millia militum in castris habebunt. Et quis non his copiis superatum iri Turcas arbitretur? His accedet Georgius Scanderbegus, & Albanorum fortissima manus: & multi per Græciam ab hoste deficient, & in Asia Charamannus, & Armenorum populi, Turcas a tergo ferient. Non est cur desperemus: tantum Deus ipse cæpta secundet. Ite & narrate domi, quæ hic gesta sunt, & ut promissa in tempore faciant, Dominos vestros admonitos reddite. Sæcul. XV. A.C.1460.

§. CXLIV.

Finis Conventus Mantuani.

His dictis, qui aut pecunias repræsentarunt,

Sæcul. XV. A.C. 1460.

tarunt, aut ſuorum Principum nomine ſuppetias polliciti ſunt, rurſum promiſſi fidem ſervare ſpoponderunt, ceteri vero tacuerunt. Oratores Borſii Eſtenſis Marchionis, ut eorum Princeps ultra omnium expectationem plura præſtare poſſe crederetur, aureorum trecenta millia promiſerunt, non ſine magna adſtantium admiratione. Tandem juſſit Pontifex, ut Cardinales, Epiſcopi, Abbates & cuncti, qui aderant, ſacras induerent veſtes, ut ſolemniori ritu Conventum ſolverent. His peractis, & ipſe Papa ſuo ſolio deſcendens, ad gradus Aræ majoris ſe convertit, ibique flexis genibus inter lacrimas, ac ſuſpiria ſupplici ad Deum voce, ſelectos ex pſalmis verſiculos, qui ad rem præſentem magis idonei videbantur, recitavit, reſpondentibus Prælatis, omnique Clero: denique populo Apoſtolicam impertivit benedictionem. Hunc in modum Pontifex Mantuano Conventui finem impoſuit, in quo longe facilius fuit conſilia exquirere, ac decreta condere, quam illa exequi; nam non minus eadem ferme obſtacula poſt ſolutum conventum permanſerunt, ac ſi nunquam pro ſtabiliendis mediis, quibus Chriſtianæ Reipublicæ adverſus Turcas ſubveniri poſſet, conveniſſent. Equidem nunquam ſatis deprædicanda ſunt pia ſummi Pontificis conſilia, atque ardentiſſimum ejusdem

Raynald. Ann. Eccleſ. ad an. 1460.

Spond. ad hunc ann. num. 2.

dem ſtudium; Verum cum & ipſe turbatam conſpexiſſet Italiam, populumque continuis diſſenſionibus inter ſe diſciſſum, nonne majoribus laudum titulis celebrandus fuiſſet, ac vere Fidelium Pater vocari meruiſſet, ſi pacem inter Filios ſuos prius conciliaſſet, quam Fidei hoſtes extero bello opprimere ſtuduiſſet? (*) Sæcul. XV. A.C. 1460.

§. CXLV.

(*) An non magis laude dignus cenſeatur is, qui fidem tuetur, ſimulque fideles Filios a jugo ſervitutis, & æternæ ſalutis diſcrimine liberat, ac is, qui Chriſtianos de profanis poſſeſſionibus inter ſe dimicantes componere ſtudet, Lectoris judicio relinquimus. Nempe juxta Continuatorem noſtrum Pius æterna memoria dignus, fuiſſet, ſi in Conventu Mantuano prius omnes Principes pro Andegavenſi Duce adverſus Ferdinandum ad arma concitaſſet, & ipſo facto totam Europam communi bello involviſſet. Ecquidem Spondanum in hunc locum allegavit, cujus tamen verba hæc ſunt: *Verum & ipſemet turbatam vidit Italiam, nec componere ſtuduit: & alii Principes ſua magis curare ſatagerunt, quam aliena, cum plerique inter aliena conſtituant, quæ Religionem tangunt, & plus æſtiment vicinis ac proximis nocere, quam remotis & longinquis pro-*

Sæcul. XV. A.C. 1460.

§. CXLV.

Papa Mantua Senas profectus.

Ceterum Pontifex ad initium verni jejunii Mantua recedens, Senas pervenit, novos Cardinales creaturus; quare privatim hac de re cum sacro Collegio egit; cum vero cuncti ejus consilium ratum haberent, elapsa altera die, quæ erat feria quarta, in secreto Patrum Senatu proposuit, quinam nominandi essent, postea antiquiores Cardinales jussit perpendere, quosnam ad tantam dignitatem idoneos censerent. Hi ex illis, quos Papa proposuerat, quinque admittendos judicabant, inter quos etiam erat Franciscus Piccolominæus Pii II. Nepos, postea Pius III. qui tunc literis dabat operam Perusii. His ipse Pontifex sextum addi petiit nondum ab aliis nominatum. Erat is Frater

---

desse. Ut non sit mirum, si tantus conatus evanuerit, nec cæpta Deus secundaverit. Hoccine est, *nihil sine teste referre, ac Scriptores de veritate facti loquentes Lectoribus exhibere?* (a)

(a) Continuat. in Præfat. ad volum. XXV.

ter Alexander Oliva Ordinis S. Augustini Generalis Minister, Saxoferrati exiguæ fortunæ parentibus natus, sed *pietate ac* vitæ sanctimonia illustris, ac scientiæ præstantia celeberrimus; quem & Cardinales lubenti animo acceptarunt. Illis sic propositis, Pontifex nec feria sexta, qua Cardinalium electio de more publicatur, expectata, illorum promotionem ea, qua facta est, die publicam reddidit, indeque antiquiores Cardinales plurimum ab importunis Competitorum precibus exemit. Sæcul. XV. A.C. 1460.

§. CXLVI.

Sex Cardinales a Papa creati.

Horum primus erat Angelus Capranica patria Romanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem, & Præneſtinus Episcopus, Vir doctrinæ ac virtutum merito præclarus, & literatorum cultor eximius, cujus inter familiares olim ipse Pius II. numerabatur. Alter erat Bernardus seu Berardus Herulo Narnienſis, Auditor Rotæ, & Episcopus Spoletanus, Presbyter Cardinalis ad S. Sabinam. Tertius Nicolaus Fortiguerra Pistorienſis, Theanenſis Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ, summo *Gobelin. in Comment. Pii II. lib. 2.* *Aubery hist. Cardinal.*

Sæcul. XV. A.C. 1460.

Pontifici ſanguine junctus ex parte Matris ſuæ, Victoriæ de Fortiguerra. Quartus Brocardus de Weispriach Germanus, tit. SS. Nerei & Achillæi, & Archiepiſcopus Salisburgenſis. Quintus, Alexander Oliva Ordinis FF. Eremitarum S. Auguſtini Generalis, Presbyter Cardinalis ad S. Suſannam, & Camerinenſis Epiſcopus. Sextus denique Franciſcus Piccolominæus Nepos Pontificis, patria Senenſis, ejusdem Civitatis Archiepiſcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Euſtachii.

§. CXLVII.

Hi ſex Cardinales ad ſecretum Senatum a Papa vocati.

Gobel. l. cit. lib. 7.

Sabbato dein proximo, Patrum Senatus in Eccleſia Cathedrali indicitur, ubi etiam novi Cardinales comparebant. His ad alloquium admiſſis, Papa de meritis ſingulorum plura dixit, ac demum propius ad ſe accedentes ad cancellos ſubſiſtere juſſit, eis ob oculos paucis verbis ponens excellentiam dignitatis, qua mox donati eſſent, morumque integritatem, quam hæc ipſa ab eis expoſceret, demum illos admonuit, ut ipſimet ſeſe dijudicarent,

carent, utrum tales tantique probarentur Viri tam eximio honore digni. His dictis vocavit eos ad oſculum pedis, manus, & oris, poſtea ſeniores Cardinales pariter recens electos pacis oſculo honorarunt, eosque penes ſe conſidere fecerunt. Paulo poſt Advocati cauſſas aliquas perorarunt, quibus deciſis antiquiores Cardinales coram Papa ſtantes circulum formarunt, nuper vero creati genibus flexis votum pro veteri formula nuncuparunt in manibus ſummi Pontificis, qui uniuscujusque capiti rubrum de more galerum impoſuit, choro demum Hymnum Ambroſianum decantante. His ſolemniis ita peractis, Cardinales mox electi ab antiquis ad Aram Beatæ Virginis deducuntur, ibique Cardinalium Decanus orationem ſuper eos fudit, qui rebus ſic abſolutis ad Pontificem reverſi ſunt, ipſe vero ſoluto Senatu in Palatium rediit. Joannes Gobelinus ſingulos hoſce ritus deſcripſit, ut cunctis, inquit ille, notum fieret, eo tempore nullos ad Cardinalium Collegium aſſumptos eſſe, niſi prius antiquis propoſiti, & probati fuiſſent.

Sæcul. XV. A.C. 1460.

Sæcul. XV.
A.C 1460.

§. CXLVIII.

Parisiensis Parlamenti Procurator Generalis ad Concilium provocat ob interdictam sanctionem Pragmaticam.

Cum summus Pontifex in suo responso ad Legatos Franciæ contra Sanctionem pragmaticam vehementius declamasset, & mala, quæ inde Sedi Apostolicæ imminerent, pluribus exaggerasset, Academia Parisiensis rem ægerrime tulit; unde Dauvetus Procurator Generalis comperto Pii II. sermone, qui nonnisi ad Ecclesiam Gallicanam ab universalis Ecclesiæ corpore segregandam collimare credebatur, hoc anno adversus omnia, quæ Pontifex asserebat, acriter obstrepebat, atque ad futurum Concilium Generale provocabat, insuperhabita Pii II. lege paulo ante edita, qua a sententia Pontificis ad Concilium appellare interdicebatur. Ipsa hujus solemnis, quæ jussu Caroli VII. Regis facta fuit, provocationis verba exhibemus: „ Cum Papa, cui „ potestas data est in ædificationem, non „ in destructionem, tranquilitatem Regis „ mei evertere, ac Regni sui Clerum, i- „ psosque sæculares eidem subditos ve-

„ xare

„ xare conetur, Ego Joannes Dauvetus Regius Procurator Generalis, ac ſpecia- liter Regis nomine deputatus proteſtor per Notarios, qui tales ſententias, vel cenſuras nullas eſſe teſtantur, juxta ſacrorum Canonum decreta, quibus ejusmodi ſententiæ & cenſuræ, a Paſtoribus, atque Judicibus emanatæ pluribus in caſibus irritæ declarantur; nihilominus omnia ſint ſubjecta judicio univerſalis Concilii, ad quod Rex Chriſtianiſſimus recurrendi facultatem habere contendit, & per me appellat.„ Hæc provocatio eo acerbius Pontificis animum afflixit, quo, ut mox diximus, a Procuratore Generali interpoſita eſſet eo tempore, quo admodum recens erat Bulla, per quam ejusmodi appellationes prohibebantur. Sæcul. XV. A.C. 1460.

§. CXLIX.

Diſſidia Cardinalis Cuſani cum Sigismundo Auſtriæ Duce.

Acerbiore adhuc vulnere ſauciavit Pontificis animum Sigismundus Auſtriæ Dux, qui Mantuano Conventui intererat. Hic enim cum Nicolao Cuſano Cardinale S. Petri ad vincula graves dudum ſimultates fovebat ob feuda, & Jurisdictionem

Sæcul. XV. A. C. 1460.

ctionem Ecclesiæ Brixiensis in Germania, cujus sedem Cardinalis tenuerat, eamque concedente Papa absque eo, quod ibidem resideret, in commendam servare voluerat; Sigismundus, cui res hæc haud ferenda videbatur, omni conatu introducendis ejusmodi commendis obluctabatur, eoquod in Germania ferme inauditæ, licet in Italia, Galliis, Hispania & Anglia oppido frequentes essent. Equidem Mantuæ lis proponebatur, sed nec a Cardinalibus, nec ab ipso summo Pontifice componi poterat; cum Cusanus jus suum pro aris & focis persequeretur, & Sigismundus Dux Nicolai conatibus continuo resisteret. Tandem adeo exarserunt contendentium studia, ut Sigismundus ipso Resurrectionis Dominicæ sacratissimo die Cardinalem arctæ custodiæ tradi juberet, & aliquamdiu detentum, inde liberum non dimitteret, usque dum ingenti pecuniarum summa libertatem suam redimeret, ac jurato sponderet, quod injuriam sibi illatam nunquam vindicare, absolutionem vero Sigismundo a summo Pontifice procurare, ac demum nullam Ecclesiæ Brixiensi molestiam inferre velit.

Wolf. Weissemburg.

Albert. Krantz. l. 12 Wandal. c. 24.

Naucler. Chron vol. 3. gener. 49. fol. 290.

§. CL.

Sæcul. XV.
A. C. 1460.

§. CL.

Cardinalis de Cusa jussu Austriaci carceri datus.

Nauclerus testatum reliquit, quod Ecclesia Brixiensis Nicolao Cardinali in commendam data fuerit a Nicolao V. Papa, quamvis huic rei statim Sigismundus Austriæ Dux, ac Tirolis Comes obluctaretur, nec ultra tolerandum censeret, ut ea in suas quoque ditiones extendatur consuetudo, qua Cardinales Ecclesias Germaniæ fiduciario nomine possiderent, prout tamen illa ætate in aliis Regnis non sine Ecclesiarum dispendio usus obtinuerat. Cum vero postea idem Cardinalis collapsam cujusdam Religiosæ familiæ disciplinam restaurare meditaretur, denuo Sigismundum pio proposito adversantem experiebatur. Præterea Dux quædam feuda ab Ecclesia Brixiensi accepta possidebat, pro quibus investituram a Cardinale petere recusabat, nil proficientibus quibuscunque allegatis justitiæ rationibus. Hasce Nauclerus assignat causas, ex quibus dissensiones Ducem inter & Cardinalem exortæ fuerunt, unde postmodum adeo invaluit Ducis odium, ut Cardinalis Episcopatu suo excedere compulsus, Callistum Papam ad-

Sæcul. XV. A.C.1460.

hucdum viventem adiret, qui Ducem, cum incaſſum ſaniora ei conſilia perſuadere laboraſſet, anathemate perculit, omnesque illius ditiones interdicto ſubjecit. Hunc totius negotii ſtatum cum Pius II. ad ſummum Pontificatum evectus percepiſſet, omne impendit ſtudium, ut Sigismundum cum Cardinale conciliaret, ſed operam perdidit. Nihilominus Cardinalis ad ſuam Eccleſiam rediit, fretus maxime literis Auſtriæ Ducis, quibus ille eidem promiſerat, ſe deinceps nullam ei illaturum moleſtiam, ſed priſtinam potius concordiam reducturum. Attamen Sigismundus datam fidem fefellit; ipſa enim Paſchatis die oppidum, in quo Cardinalis agebat, vi cepit, arcemque, ad quam confugerat, oppugnare aggreſſus, ultro in deditionem accepit, Cardinalem vero in arctiſſima cuſtodia cum ſumma ignominia ſervari juſſit, libertatemque concedere negavit, donec quoddam Eccleſiæ caſtrum ipſi tradidiſſet, atque ingentem pecuniarum ſummam numeraſſet.

§. CLI.

Auſtriaci a Papa Excommunicati ad futurum Concilium appellatio.

Pius II. cum rei indignitatem abominaretur,

retur, crebrasque suas adhortationes hucusque nihil profeciſſe cerneret, anathematis ſententiam in Auſtriæ Ducem promulgavit, ut patet ex epiſtola, quam Pontifex ad Epiſcopum Baſileenſem Romæ die decimo Januarii Anno ſupra milleſimum quadringenteſimum ſexageſimo primo dabat, eaque potiſſimum in præfatum Epiſcopum invehebatur, eoquod neglectis Sedis Apoſtolicæ cenſuris, Sigismundi conſortium non declinaſſet, perinde acſi excommunicatus non eſſet. Ipſa vero excommunicationis Bulla, quæ Senis die octavo Menſis Auguſti hoc anno promulgata fuit, haud amplius exſtat; ab hac tamen Gregorius Heimburgenſis, qui teſte Gobelino in Conventu Mantuano Friderici Imperatoris, Alberti Auſtriæ Ducis, & Sigismundi Orator erat, ad futurum Concilium, ejusdem Sigismundi nomine, provocavit. (*) Contra iſtum ergo Pius II. edictum edidit, idque promulgandum ad Germanos miſit, & præcipue ad Magiſtratus Norimbergenſes, eoquod Heimburgus ibidem ferme triginta annos Syndici munere functus eſſet. Epiſtola ad Norimbergenſes data eſt Romæ decima octava Octo-

Sæcul. XV. A.C.1460.

Appell. & contrad. Greg. de Heimburg in 4. Francof.

(*) *De hac appellatione conſule appendicem Abbatis Urſperg. pag.* 107.

Sæcul. XV. A.C. 1460.

Octobris die currentis anni. (*) In hac præfatæ urbis Consulibus, atque Magistratibus mandat, & declarat, Heimburgum tanquam hæreticum, criminisque læsæ Majestatis reum, esse vitandum, cunctaque ejus bona ærario publico addicenda, eum vero ab omni hominum societate arcendum; eoquod unitatem Ecclesiæ turbasset, atque ad futurum Concilium appellare præsumpsisset, quamvis ejusmodi provocationes severe prohibitæ fuissent per Bullam, quam non ita pridem Papa cum consensu Venerabilium fratrum suorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium condiderat. Huic epistolæ Pontifex etiam inseruit bullam eadem die octava decima Octobris datam, per quam Gregorium Heimburgum anathemate subjiciebat. Hic vero non modo hanc Constitutionem additis annotationibus vilipendit, sed etiam rursus ab illa appellavit. Adversus hujus Doctoris criminationes pro tuenda Pii II. auctoritate Theodorus Cælius Episcopus Feltrensis apologiam conscripsit, quæ vere est opus omnibus

(*) *Vide appellationes & contradictiones ab excommunicatione injusta Sigismundi Ducis Austriæ & Greg. de Heimbourg in 4. Francofordiæ anno 1607.*

nibus numeris absolutum, ac viginti septem paginis constat; eandem tamen Gregorius contrario libello non minus verbis, quam convitiis copioso confutare conatus est, ac insuper valde virulentum longe ac mordacissimum scriptum adversus Cardinalem Cusanum edidit. Cuncta ista opera in unum minoris formæ volumen contracta Francofordiensibus literis Anno millesimo sexcentesimo septimo excusa prodierunt, & hac inscriptione insigniuntur: *Appellationes & Contradictiones ab excommunicatione injusta Sigismundi Austriæ Ducis, Comitis Tirolis, & Gregorii Heimburgii &c.* Hæc omnia postmodum Goldastus primo & secundo suæ Monarchiæ tomo inseruit. Idem quoque Heimburgus alium elucubravit tractatum, cui titulus: *Admonitio de injustis usurpationibus Paparum Romanorum ad Imperii Reges & Principes Christianos*, in quo tamen opere plurimum a vero tramite aberravit, cum immodica in summos Pontifices rabie inveheretur, ac se omnium, quotquot præsens sæculum tulit, accerrimum juxta ac furiosissimum Sedis Apostolicæ inimicum proderet.

Sæcul. XV. A. C. 1460.

In opere supra cit. pag. 15. 23 & 51.

§. CLII.

Sæcul. XV. A. C. 1460

§. CLII.

Legionenſis Epiſcopus ad Pontificem a Caſtellano Rege miſſus.

Sub idem tempus ſummum Pontificem, dum adhuc Senis agebat, Legionenſis Epiſcopus adiit, qui ab Henrico IV. Caſtellæ Rege eo decretus, multa quidem & magnifica deferebat verba, ſed prorſus inania, eoquod nihil in mandatis haberet, quod pro ſuſtinendis belli expenſis adverſus Turcas polliceretur. Cum autem paucis poſt adventum ſuum diebus ibidem Senis obiiſſet, Pius defuncto Epiſcopo Joannem de Turrecremata Cardinalem ex Ordine FF. Prædicatorum ſuffecit. Aſt cum Rex Henricus Virum reſpueret, nec eidem Epiſcopatus ſui poſſeſſionem indulgeret, acres contentiones ex hac repulſa Regem inter & Pontificem emerſere.

§. CLIII.

Contentiones Pontificis cum aliis Regibus propter collationes beneficiorum.

Alia quoque contentio inter Papam & Caſimirum Poloniæ Regem ſuborta eſt

est de Ecclesia Cracovienſi, cui vacanti Pius quemdam Cardinalis Sbignei Nepotem præfecerat, Rex autem Cancellarium ſuum a Canonicis nonnullis electum nominabat. Hæc controverſia usque eo proceſſit, ut ſpretis Papæ adhortationibus, minis, atque anathematis fulmine, quod in Caſimirum ejusque fautores vibrabat, Nepos Cardinalis juri ſuo cedere compelleretur, ac Rex palam conteſtaretur, ſe Regnum prius amiſſurum, quam Epiſcopum quemquam in ſuis ditionibus ſe invito paſſurum. Hac injuria nihil acerbius, aut moleſtius ſummo Pontifici accidere poterat.

Sæcul. XV. A. C. 1460.

Cromer. lib. 24. Michov. l. 4. cap. 64.

Nec magis pacata ex Galliis ſpirabat aura. Quippe Carolus VII. Galliarum Rex vacanti Eccleſiæ Tornacenſi Cardinalem Conſtantienſem ſubrogari petierat; aſt Pius Epiſcopum Tullenſem Burgundiæ Ducis clientem prætulerat, quamquam tunc Tornacum poteſtati Regis obnoxium eſſet. Extant hanc in rem epiſtolæ a Pio II. ad Carolum Regem Galliarum datæ, ex quibus apparet, quod hac in cauſſa Pontifex quodammodo victor extiterit; quamvis enim Tulenſis Epiſcopus Tornacenſem Eccleſiam non obtinuiſſet, æque tamen ipſe Conſtantienſis Cardinalis ea ſpoliatus fuit, atque Ponti-

Æn. Sylv. epiſt. 374. & 375.

Sæcul. XV. A.C. 1460.

Pontifici alium nominandi jus relictum est, qui ad hanc Ecclesiam Guilielmum Phelasium Monachum Benedictinum Velleris aurei Cancellarium, ac Virum meritorum gloria insignem plena auctoritate evexit. Hac ratione Pontifex in Galliis obtinuit, quod Hispania & Polonia eidem pertinacius concedere recusavit.

§. CLIV.

Legatio Patriarcharum orientis ad Pontificem.

Papa diutius Senis hærens plurimos, qui Mantuam necdum pervenerant, excepit Legatos, quos inter præcipui numerabantur Patriarcharum Orientis Oratores, cujus Legationis princeps erat Archidiaconus quidam Antiochenus, Moyses nomine, Vir Græcis ac Syris literis apprime eruditus, & magni apud Orientales nominis. Is ab Antiocheno, Alexandrino, & Jerosolymitano Patriarchis missus Papam adiit, exposuitque, quod præfati Patriarchæ decretum Concilii Florentini de communione utriusque Ecclesiæ Græcæ & latinæ, hucusque non receperint, eoquod dissensionum sator diabolus eos impediisset; nunc vero Dei instinctu commoti, conventu suorum

rum hanc in rem habito, decretum solemni ritu susceperint, atque in omnibus deinceps Romano Pontifici tanquam JEsu Christi Vicario obtemperare decreverint, Pius Papa perhumaniter legationem excepit, ac pluribus Patriarcharum obedientiam commendavit, Moysis autem orationem latine reddi, atque in tabulario Romanæ Ecclesiæ asservari jussit. Sæcul. XV. A.C.1460.

§. CLV.

Monembassianorum Legatio ad Pontificem.

Paucis deinde evolutis diebus Pontificem adiere Legati ex quadam Peloponensi civitate, quam Monobassiam, seu Monembassiam appellant. Urbs hæc ex tribus veteribus Epidauris una, littori maris incumbit, atque in supremo montis cacumine sita est; Illius autem Legati ad Papam venerant, eum exoraturi, ut ipsos, eorumque urbes in suam fidem reciperet; eidem etiam narrabant, Demetrium Paleologum eorum Dominum ad Mahometem II. defeciisse, se vero ad id ab eodem sollicitatos, ejusmodi crimen detestatos esse, ac Thomæ ejus Fratri se, urbemque suam obtulisse, cum autem illi sat virium non esset, quibus eos a Turcarum insultibus defendere valeret, ipsum- *Phranz. l. 3. cap. 24.* *Comm. Pii II. lib. 3.*

Secul. XV. A. C. 1460

met Thomam eis auctorem fuisse, ut summum Pontificem in Principem atque Dominum assumerent, se igitur illius consiliis acquiescentes huc adventasse ajebant, ut Sanctitati suæ obsequium, ac debitæ servitutis homagium præstarent. Hos Pontifex summo animi sui jubilo Ecclesiæ Romanæ nomine suscepit, misitque Præfectum, qui populo jus diceret, & annonam subministraret.

§. CLVI.

Papa Senis Romam venit.

Platin. in lib. II.

Diuturna satis summi Pontificis absentia Romæ gravibus turbis ansam dedit; quidam enim Tiburtius Filius Massiani, quem Nicolaus V. Papa ob conjurationem cum Stephano Porcario conflatam laqueo ad fenestras Capitolii suspendi jusserat, ingentes tumultus suscitavit. Hic magna Romanæ juventutis parte stipatus, ac in Ductorem proclamatus horrenda crimina impune patrabat, necnon occupato etiam Pantheo templo, urbem a Sacerdotum jugo se liberaturum tam proterve jactitabat, ut nec Magistratus illorum violentiæ sese opponere auderent. Pontifex re comperta, confestim Senis abire, ac Romam petere animo constituit, quo etiam pervenit septima Octobris die, ingenti civium lætitia

Comment. Pii II. lib. 5.

tia exceptus. Paulo post Tiburtius cum præcipuis factionis suæ sociis comprehensus, suspendio dignas scelerum suorum pœnas dedit. Sæcul. XV. A.C.1460.

§. CLVII.

Legatio Principum Orientis ad Papam.

Ipso Pontificatus sui exordio Pius Papa ad Christianos Armeniæ, ac Mesopotamiæ Reges decrevit Ludovicum Ordinis FF. Minorum, patria Bononiensem, qui hosce Principes adhortaretur, ut Christianis interea in Europa Turcas bello prementibus, ipsi in Asia eosdem aggrederentur. Vix Pontifex Mantua Romam redierat, jam ipse Ludovicus in urbem reversus est. Comitabantur eum Davidis Imperatoris Trapezuntini, Georgii Persarum Regis, ac utriusque Armeniæ Principum legati, necnon plurium aliorum Orientis Magnatum Oratores, qui per Colchidem & Scythiam iter agressi, Tanarium, ac Danubium trajecerunt, demum vero in Hungariam ac Germaniam pervenerunt, ubi Fridericum Imperatorem salutantes, postea Venetiis summis honoribus excepti sunt. Romanæ Urbi appropinquantes, Prælatorum nonnullos obviam habuerunt, denique a Papa ad alloquium admissi, in Patrum Se-

Sæcul. XV. A.C. 1460.

natu, se in omnibus Sanctitati suæ obtemperaturos promiserunt, dixeruntque, eorum Principes gravia quidem inter se bella gessisse, sed jussu Pontificis ea deposuisse, nunc vero paratos esse ad arma protinus resumenda, quibus Turcarum insultus in Asia compescerent; hinc se cum duodecim suorum millibus præsto futuros, atque usque ad Hellespontum & Thraciæ Bosphorum progressuros, cum interea Europæi in illa regione pariter Mahometem aggrederentur; addebant, ad id se missos, ut Sanctitatem suam de conceptis hisce consiliis edocerent, ejusdemque tanquam vicem Dei gerentis pedes oscularentur. Ipsis quoque pari fœdere junctos dicebant Bendiam Mengreliæ, & Arabiæ Regem, necnon Pancratium Regem Iberiorum, qui Georgiani nuncupantur, & Maniam Goriæ Marchionem, atque Ismaelem Sinopis, & Casatimeniæ Principem unacum Fabio Caramniæ Duce, ac Ciliciæ Domino, quorum maxima futura essent auxilia: Illud tamen modo se petere, ut Pontifex Ludovicum, quo comite Romam veniissent, cunctis in Oriente Catholicis Patriarcham præficeret. His auditis Pius II. Principum desideria, & promissa deprædicavit, atque haud abs re sibi videri respondit, ut ipsi Legati ad Galliarum Regem ac Burgundiæ Ducem accederent; his

his enim inconsultis expeditiones ejusmodi moliri summæ, ac ne vix quidem superandæ difficultatis negotium esse ajebat, hanc quippe esse illam nationem, quæ sæpe adversus infideles glorioſe certasset, & nunc quoque Turcis præcipue timenda foret. Annuentibus Legatis itineris hujus expensæ suppeditantur; & in eorumdem gratiam Patriarchatus Monacho conceditur, ea tamen lege, ne se Patriarcham aut diceret, aut gereret, antequam ad eos reverteretur; Verum magnifica Legatorum consilia eventus fefellit. Sæcul. XV. A. C. 1460.

§. CLVIII.

Jacobi II. Scotorum Regis obitus.

Hoc anno Jacobus II. Scotiæ Rex, cum Roſenbergense castellum obsidione premeret, disruptæ bombardæ fragmento tertia die Mensis Augusti interiit; Eo occiso ingenti regiminis vicissitudine Scotia haud parum turbatur. Regina defuncti conjux, nomine Maria, Ducis Geldriæ Filia, eo ipso die in castra venerat, nec Viri fato dejecta, obsidionem tam virili fortitudine prosequitur, ut Anglos ad deditionem arcis compelleret, quam vix captam, ne novi belli occasio foret, solo æquari jussit. Maximum Rex sui desi- *Boetius l. 18. Buchenan. l. 11.*

Sæcul. XV. A.C. 1460.

derium apud omnes Regni subditos reliquit, cunctis Juvenis hujus Regis fatum deplorantibus, eo vel maxime, quod tot periculis in variis, quæ summa animi fortitudine gesserat, bellis feliciter defunctus, tandem adeo infausto casu mortis invidiæ succubuerit anno ætatis suæ undetrigesimo, regni vigesimo quarto. Huic successit Jacobus ex tribus Filiis natu major, septem duntaxat annorum puer. De cujus tutela, & Regni administratione acriter disceptatum est, eoquod Regina utrumque munus ambiret, eique non pauci e Proceribus adhærerent; tandem vero res hunc in modum composita est, ut Regina Regis pueri tutelam gereret, ceterorum liberorum institutioni præesset, rerum autem, ac regni summa penes binos e singulis factionibus Episcopos relinqueretur; Cum vero Regina tertio viduitatis suæ anno vivis erepta esset, Jacobus quoque Kennathus, S. Andreæ Episcopus, Vir mira prudentia & morum integritate conspicuus, tertio quoque Anno post Reginæ fatum, iniquissimo tempore obiit; eo enim defuncto, pax, quæ sextum jam annum in toto Regno viguerat, exulare videbatur, ac ceteris Regni Administris nullo amplius concordiæ sensu conspirantibus, Scotia maximis turbis exagitata discindebatur.

§. CLIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1460.

§. CLIX.

Manichæi a Bohemiæ Rege expulsi.

Podiebracius Bohemiæ Rex (*) ut labem traditæ Turcis Synderoviæ urbis, quam contra Matthiam Hungariæ Regem inique occupaverat, ac propterea gravem Pontificis indignationem sibi accersserat, tandem deleret, ac in gratiam Papæ rediret, Religionis suæ fidem luculento testimonio comprobare contendit, dum omnes Manichæos, qui in ipsius Regno, sacro fonte ablui recusabant, e tota regione migrare coegit, negata quoque eorum bona evehendi aut vendendi facul-

Leunclav. l. 15. Bonfin. 3. dec. 10.

(*) *Jam supra §. CII. annotavimus, hunc Bosnæ non Bohemiæ Regem, nec Podiebracium' sed Stephanum appellatum fuisse; Bosnia enim seu Bosna est Regio Hungarorum olim dominio nunc Turcis subdita (nunquam autem Bohemis) Septentrionem versus Slavoniam, ad occasum Croatiam, ad Meridiem Dalmatiam, & Orientem versus Serviam respicit: nullibi autem legimus hanc Regionem a Podiebracio Matthiæ Hungarorum Regi ereptam fuisse.*

Sæcul. XV. A. C. 1460.

facultate. Horum duo circiter millia Christi fidem receperant; supra quadringenta autem eorum millia pertinacius suis erroribus insistentes ad Stephanum Bosniæ Ducem eadem Manichæorum secta infectum confugerant. Tres hujus hæresis Principes Episcopus Nonensis vinctos ad Pontificem duxit, quos Pius ad Religiosorum monasteria deduci, ac Christianæ fidei præceptis imbui jussit, demum vero illos ad gentis suæ Regem remisit.

FINIS TOMI XXVIII.

INDEX

INDEX
TOMI XXVIII.
CONTINUATIONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

A.

Abdala Edeſſæ Archiepiſcopus nomine Syrorum Patriarchæ ad Eccleſiæ unionem revertitur 103.
Abuſus in expendendis pecuniis ad bellum Turcicum deſtinatis 507.
Æneas Sylvius Baſileenſes tuetur 7. acta contra Papam revocat 122. Legatus Cæſaris ad Papam 122. 139. in Senenſem Epiſcopum eligitur 266. Cæſarem vindicat 301. ab eodem ad Arragoniæ Regem Legatus mittitur 301. Taboritarum mores deſcribit 301. cum Podiebraico confert de fide 303. Papam, & Principes ad ſacram militiam adhortatur 391. 393. illius ævi ſtatum deſcribit 417. de felici belli Turcici ſucceſſu deſperat 418. Papam ad bellum incitat

citat 451. Papam contra Germanorum querelas defendit 501. jura Sedis Apoſtolicæ tuetur 504. Germanis varia exprobrat 505. ejus electioni ad Papatum obluctatur Rothomagenſis Cardinalis 540. idem Cardinalis ab aliis, & ab Ænea Papatu indignus habetur 540. 543. Papienſem Cardinalem ſibi conciliat 545. vide *Pius II.*

Africa, Rex Luſitaniæ illam invadit 530.

Agnes Sorilla, Galliarum Rex illius amore captus 275. veneno necata dicitur 276. 278.

Albergatus Nicolaus Cardinalis, ejus mors & elogium 53.

Albertus Brandeburgenſis Marchio: ejus diſſidia cum Norimbergenſi Burgravio 260.

Alcaſaria a Fezzarum Rege incaſſum obſeſſa 530.

Alemanus Ludovicus Cardinalis Arelatenſis in Germania Legatus 267. ejus obitus 269. Beatorum Catalogo adſcriptus ibid. ipſum de geſtis adverſus Eugenium Papam non pœnituiſſe, perperam aſſeritur 270. 272.

Alenſonii Dux captus 492.

Alphonſus Arragonum Rex pro electione novi Papæ ad Cardinales ſcribit 169. generoſe juri ſuo in Mediolanum cedit 188. Neapolin occupat 31. ejus in triumpho modeſtia 33. Felicem Antipapam vanis promiſſis circumvenit 51. cum Eugenio Papa

Papa pacem init 54. & 57. hunc tanquam verum Papam veneratur 58. ſuos Prælatos Baſilæa abire jubet 59. a Cæſare ſalutatur 335. Calliſtum Papam inique vexat 452. 476. pacem cum Mediolanenſium Duce init 456. 461. Genuenſes divexat 479. tumultus in Senenſi ſtatu excitat ibid. pacem cum illis init 280. Hungaris ſuppetias denegat 497. bellum Genuenſibus infert 499. Genuam obſidet & Neapoli moritur 532. Ferdinandus ſpurius ejus filius ſuccedit 533.

Alphonſus Borgia, vide *Calliſtus III.*

Alphonſus Toſtatus ob quasdam propoſitiones carpitur 65. ejus obitus, & libri 436. 438.

Alvarus de Luna Caſtellæ Regi percarus 228. populo exoſus 240. infelix illius exitus 398.

Amadæus Sabaudiæ Dux, Antipapa Cæſarem excipit, & cum eo colloquitur 26. Lauſanam petit 27. a Scotis Præſulibus anathemate percellitur. ibid. ei Calabriæ Dux 28. & Sfortia ficte adhærent 29. ab eo vanis promiſſis deluſus. ibid. novos Cardinales creandi facultatem a Baſileenſibus petit, & obtinet 66. ab omnibus ferme derelinquitur 159. percepta Nicolai V. electione de ſua abdicatione cogitat 181. ad cedendum compellitur 198. ſuæ ceſſionis pacta 202. pontificatui cedit 231.

231. Ripaliam revertitur 238. moritur 239. 351.

Amurates Turcarum Imperator bello premitur 83. fœdus cum Chriſtianis init 84. 85. ſed diſſolvitur fœdus 86. in Chriſtianos movet 94. 95. in prœlio Varnenſi victor 97. 98. Deum violatæ fidei vindicem invocat 99. Ladislaum Regem occiſum honorifice ſepeliri jubet ib. ejus modeſtia 102. a Græcis circa Cæſaris electionem in conſilium vocatur 129. Conſtantinum nominat ibid. Croiam incaſſum obſidet 307. ejus obitus 308. illius fidelitas 308. Mahometes ejus Succeſſor 309. Serviæ Deſpotis filiis oculos erui jubet 431.

Andegavenſe Concilium, ejusque decreta 219.

Angelottus Cardinalis a ſuo famulo occiſus 116.

Angli Tartaſiæ urbis obſidionem ſolvere compulſi 46. Deppam obſident 47. obſidionem ſolvere coguntur 49. a Gallis devicti ibid. actum de pace cum Gallis 110. induciæ obtinentur 111. Regis elogia 137. Gloceſtriæ Ducem Rex necari jubet 138. a Papa Roſa aurea donatur 148. Gallis quasdam urbes reddere Angli compelluntur 192. inducias violant 242. colloquium habent cum Gallis 243. bellum inſtaurant 245. quasdam urbes amittunt 246. 247. 249. 251. 322. Valoniam occupant 282. Gallos profligant 284.

284. cæduntur a Gallis 285. Normannia pelluntur 286. pacem reſpuunt 321. propriæ ſuæ ruinæ cauſſa exiſtunt 328. a Gallis devicti 401. Tumultus in Anglia ab Eboracenſibus ſuſcitati 625. & ſeq. vide *Richardus*.

Antonii Corarii Cardinalis obitus & elogia 127.

S. *Antoninus* Archiepiſcopus Florentinus nominatus 142. mira ejusdem electio 143. Orator ad Calliſtum III. decretus 450. Eugenio Papæ Sacramentum extremæ junctionis adminiſtrat 162. 164. Gallis exprobrat, quod pecunias ob bellum turcicum collectas in alios uſus converterint 507. ejus obitus 589. Papa ejus exequiis præſens 590. ejus opera ibid.

Aquilejenſis Patriarcha Legatus ad plures Reges 40.

Appellationes a Sede Apoſtolica ad Concilium prohibitæ 649.

Archiepiſcopi Cardinalibus in danda Benedictione nuptiali præpoſiti 429.

Aretinus Leonardus ejus obitus & opera 82.

Arelatenſis Cardinalis, vide *Alemanus*.

Armeniacus Comes ex comitatu Convennenſi depulſus 79. Archiepiſcopum Auſciorum in poſſeſſione Eccleſiæ ſuæ turbat 434. propterea bonis exuitur 434. cum Sorore ſua non modo incæſtum committit, ſed & cum ea nuptias contrahit 435.

Arragonum Rex, vide *Alphonſus*.

Arthu-

Arthurus III. Britanniæ Dux, ejus obitus 579.
Aureliæ Dux a Rege Galliarum beneficiis auctus 45.
Aurelianenſis Puellæ innocentia vindicatur 454.
Auſchiorum Epiſcopus in poſſeſſione ſuæ Eccleſiæ turbatus 434.
Auſtriæ Duces Baſileenſibus bellum inferre tentant 60.

B.

Bajona a Gallis capta 327.
Bartholomæi Carthuſiani obitus 155. ejus Canonizatio 264.
Bartholomæus Ord. FF. Prædicatorum, ejus diſputatio cum Marco Epheſino 41. illius victoria adverſus eum 42.
Baſileenſes, eorum jurgia ob Salisburgenſem, & Herbipolenſem Eccleſiam 2. Oratores ad Cæſarem decernunt 6. 8. Baſileenſis Concilii Seſſio XLIV. 10. Seſſio XLV. 63. eorum conciliabulum diſſolvitur 64. 65. eorum Legati ægre a Cæſare admiſſi 14. S. R. I. Electores Cæſarem Eugenio adhærere dolent 17. in alterius Synodi celebrationem conſentire coguntur 22. Congregationem celebrant de habendo Concilio 23. 24. eorum diſſenſio circa Epiſcopum Curienſem, & Præpoſitum Herbipolenſem 37. ab Alphonſi Regis Præſulibus derelicti 59. nequidem

Felix eorum Antipapa ad illos accedere vult 61. varias habent congregationes 60. quasdam propositiones in odium FF. Mendicantium damnant 64. a Delphino ad solvendum conciliabulum compelluntur 112. 113. in alterius Synodi celebrationem consentire coguntur 146. eorum factio ob electionem Nicolai V. terrore perculsa 181. inane eorum Decretum. Vide *Concilium Basileense.*

Belgradum a Mahomete obsessum 466. obsidione liberatum 467.

Bentivolius Annibal occisus 126.

S. Bernardini Senensis obitus 107. ejus Canonizatio 264. in ejus honorem Galliarum Rex urnam argenteam confici jussit 265.

Bessarion in Papam proponitur 445. quare excluſus 446. ejus Oratio ad Pium II. 552. ad Principes Germaniæ ablegatur 366. oratione habita Principes ad bellum Turcicum adhortatur 607. Legatus Pontificis ad Germanos 632.

Bituricensis conventus in causſa Sanctionis Pragmaticæ 343.

Bohemi Hussitæ eorum articûli pro pace 204. Rochisanam Archiepiscopum Pragensem creari postulant 205. 207.

Bona, mulier fortissima, ac gratitudinis exemplum 34.

Bononiensium tumultus 126. Bononiensis Cardinalis, vide *Nicolaus V.*

Borgia

Borgia, vide *Calliſtus III.*
Borſius Marchio Eſtenſis a Cæſare honoratus 336.
Brœzeus Seneſcallus a Delphino injuſte accuſatus 281.
Britanniæ Dux Gallo homagium præſtat 151. fratrem ſuum acriter vexat 152. & occidit 293. moritur ibid. Petrus ejus Succeſſor ibid. Galliarum Regi clientelare obſequium profitetur 296.
Brunorus pauperis filiæ fidelitate adiutus 34.
Brugenſes ſeditionem movent 407.
Burdegalenſes contra Gallos ſeditionem movent 344. Anglis adhærent 345.

C.

Cadomus urbs Gallis erepta 287. deditionis pacta 289.
Calabriæ Dux Felicem pro Papa habet 28. ejus contentio cum Ferdinando Arragonio ibid.
Calliſtus III. Papa electus 446. ejus indoles 447. votum de invadendis Turcis nuncupat 449. ad bellum S. Principes hortatur ibid. præcipue Galliarum Regem 459. publicas preces contra Turcas decernit 465. ejus ſtudium in extirpandis Turcis 474. Cardinales ab eo creati 477. ab Alphonſo dire vexatur 452. 479. Principes ad bellum contra Turcas adhortatur 500. contra Germanorum quere-

querelas se defendit 501. pacem inter Cæsarem, & Hungariæ Regem conciliat 508. ejus obitus 537. Cardinales conclave ingressi 539.

Canutus Carolus in Suecorum Regem electus 221.

Capistranus vide *Joannes.*

Cardinales ab Eugenio 142. & Calliſto creati 477. & a Pio II. 659.

Capranicæ Cardinalis obitus 561.

Carolina Lusitaniæ Regis vidua Cyprii Regni Regina, sed a Jacobo expulsa 633. & seq.

Carolus VII. Galliarum Rex, querelæ Procerum adversus illum 42. 43. se purgat 40. Aureliæ Ducem beneficiis sibi devincit 46. in Convennensem Comitatum succedit 78. de pace cum Anglis agit 110. copias suas ad exteram expeditionem educit 111. litem componit inter Burgundum, & Siciliæ Regem 134. voluptatibus indulget 137. Genuensium ditio eidem offertur 153. sed a Genuensibus illuditur 154. pacem cum Papa conciliare nititur 159. 229. Eugenio soli adhæret 159. Lugduni conventum celebrat. 196. conditiones pro abdicatione Papatus Amadæo proponit 199. 200. Rothomagum ingreditur 254. fœ-

dus cum Helvetiis init 409. a Pio II. ad conventum Mantuanam invitatus 564. 565. bellum in Anglos movet. 573.

Carolus Suecorum Rex, ejus fata 487.

Carvajalus in Bohemiam missus pro concilianda pace 203. ad Bohemorum postulata respondet 204. Rochisanam sibi demereri studet 205. Rochisanæ respondet 206. ejus modestia 210. Romam revertitur 211.

Casimirus Poloniæ Rex coronatur 189. Nicolaum V. ut verum Papam veneratur 190. Poruſſos suscipit 427. Ladislai sororem uxorem ducit 429. Vide *Polonia.*

Castellani Regni Status 647.

Censura, vide *Propositiones.*

Chaldæi ad Ecclesiæ gremium reversi 123.

Cheroburgum a Gallis obsessum 291.

Christiernus Rex Daniæ 221. Rex Suecorum coronatus 487.

Clemens VII. Papa Laurentium Justinianum Sanctis adscribit 440.

Cilejensis Comes, ejus peregrinatio Romam, illius indoles ac obitus 263.

Comitia Francofordiensia 11. 139. 141. generale Concilium ibidem decernitur 19. hac super re Eugenii Papæ responsum 36. Norimbergensia 105. Ratisbonensia pro bello

bello adverſus Turcas 410. Francofordienſia 432. Ibi Æneas hortatur ad bellum Turcicum, quod decernitur 433. 441. Mantuana 596.

Columna Proſper, illum Eugenius ab exilio revocare renuit 165. Romam redit 170. a populo in Papam eligi petitur 170. 174.

Conclave pro electione Nicolai V. 172. Barones Romani ab eo excluſi. ibid. pro electione Calliſti III. 444. & Pii II. 539.

Concilium, Itali Romæ celebrari poſtulant 61.

Concilium Avenionſe 518.

Concilium Baſileenſe Seſſio XLIV. 10. Seſſio XLV. 63. hoc Conciliabulum diſſolutum, ejusque finis 64. 65. vide *Baſileenſes*.

Concilium Florentinum ſeu Ferrarienſe poſt diſceſſum Græcorum 9. illius translatio vindicatur ibid. ejus finis 65. Seſſio I. hujus Concilii Romam translati 102.

Concilium Lateranenſe ab Eugenio indicitur 68. Seſſio I. 102. Syri ad Eccleſiæ unionem ibidem revocati 103.

Concilium Colonienſe de expoſitione SS. Sacramenti agit 350.

Concilium Leodienſe, ejus Statuta 149.

Concilium Rothomagenſe 131. ejus ſtatuta 132.

Concilium Sueſſionenſe, ejusque decreta 489.

Concilium Turonenſe 219. ejus decreta ib.

Concordata Germaniæ 193.

Condulmerius Cardinalis Papæ Nepos, claſſis Præfectus 82.

Conſpiratio Porcarii adverſus Papam 395.

Conſtantinus Græcorum Imperator 129. opem adverſus Turcas implorat 316. in prœlio occiſus 372. ultimus Græci Imperii Imperator 373.

Conſtantinopolis, hanc urbem Mahometes aggredi molitus 348. duplici exercitu urbem cingit 354. pauci eam propugnant 356. ejus oppugnatio 359. 368. Genuenſes opem ferunt 359. Chienſes navigia advehunt 361. navale prœlium 362. 363. obſeſſi ob Juſtiniani fugam territi 371. urbs capitur 371. 373.

Convenenſis Comitatus Galliarum Regi ceditur 78. Armeniacus Comes inde pellitur 79.

Cordis, vide *Jacobus*.

Corinthus urbs a Mahomete occupata 571. *Croja* a Scanderbego occupata 74. ab Amurate incaſſum obſeſſa 307.

Cuſanus Cardinalis, vide *Nicolaus*.

D. Da-

D.

Daniæ res 221. Epistola Sultani Ægypti ad Regem 118.

Decreta pro unione Syrorum, vide *Concilium Florentinum.*

Delphinatus duobus comitatibus augetur 136.

Delphinus ad aulam redire cunctatur 280. Deppam obsidione liberat 48. Basileenses terrore replet 113. fœdus unit cum Mediolanensi Duce adversus Alphonsum Neapolis Regem 456. in Brabantiam profugus 490. a Duce benigne exceptus 491. Patri suo reconciliatus 519. Sponsam suam ex Sabaudia evocat. 521. Patri suo succedit. Vide *Ludovicus XI.*

Delphina Franciæ mortua. 135.

Deppa obsidione liberata a Delphino 48.

Dissidia in Conventu Mantuano inter Legatos ob loci prærogativam 599.

FF. Dominicani, eorum controversia cum Parisiensi Universitate 484.

E.

Eboracensis. vide *Richardus.*

Edelinus de magia accusatus, ac damnatus 405.

Eliſabetha Hungariæ Regina, ejus obitus 50.

Equites Teutonici Poruſſos divexant 427. Equites Ordinis de *luna creſcente* 223. Teutonici ad Inſulam Tenedos non admittuntur 633.

Eſparrus capite plexus 433.

Eſtutevilla Cardinalis Pariſienſem Univerſitatem reſtaurat 341. nimium ſeverus eſt ibid. præclaræ ejusdem dotes 341. Conventum Biturigibus pro Sanctione Pragmatica convocat 343. pacem inter Galliarum Regem, & Sabaudiæ Ducem conciliare nititur 343.

Eugenius Papa, Principes Germaniæ eidem adhærent 5. ejus Legati Baſileenſium calumnias confutant 15. quinque S. R. I. Electores illum tanquam verum Papam venerantur 17. Sfortia eidem adverſatur 30. Legatis Concilium generale celebrari poſtulantibus reſpondet 36. Julianum Cardinalem pro bello ſacro ad Hungaros decernit 49. Senas Romam proficiſcitur 53. 68. cum Alphonſo pacem init 54. omnes conditiones hujus pacis acceptat 57. ab eodem tanquam verus Papa agnoſcitur 58. Romæ ſumma lætitia excipitur 68. Concilium Lateranenſe indicit ib. Sacrum bellum adverſus Turcas prædicari jubet 70. Syros Eccleſiæ aggregat 103. item Chaldæos & Maronitas 123. Galeſium Nicoſiæ

siæ Archiepiscopum nominat 124. Duos Cardinales creat 142. Nicolaum Toletinum Sanctis adscribit 147. Religiosorum Congregationes confirmat 148. Regi Angliæ Rosam auream transmittit ibid. Principum Germaniæ Legatos excipit 156. Legati quædam ab eo postulant 157. a Germanis & Gallis pro legitimo Pontifice habetur 156, 159. ejus infirmitas 160. illius Bulla pro Germanis circa beneficia 160. Oleo sacro ungi cunctatur 162. gravis ejus adhortatio ad Cardinales 163. extrema unctione recepta moritur 164. ejus elogium 165. ab impactis calumniis vindicatur 165. 166. orationes funebres in ejus laudem dictæ 170.

F.

Facultas Parisiensis, vide *Propositiones.*

Falesia a Gallis obsessa 290.

Felix V. Antipapa, vide *Amadæus.*

Ferdinandus Filius spurius Alphonsi Neapolis Rex 533. Callistus Papa eidem investituram denegat ibid. hanc Pius II. concedit 569. Calabriensis Ducis progressibus resistendo impar 639. insidiæ ejus vitæ a Sueffiæ Duce structæ 640. prope Sarnum clade affectus 642. quare Papa eum protexit 643. egregie se tuetur adversus Sicarios 641.

Ferrarienſe Concilium, vide *Concilium.*

Fezzarum Rex a Luſitanis cæſus 530. 647.

Florentini S. Antoninum ablegant ad Calliſtum Papam 450.

Forminiacenſe prœlium 285.

Foſcarus antiquus Venetorum Dux, ejus fata & obitus 513.

Fregoſius vide *Fulgoſius.*

Fridericus Imperator. Oratores Baſileenſium ad eum miſſi 68. ægre alloquii copiam obtinent 14. Aquisgrani coronatus ibid. neutri Papæ usque ad Concilium adhærendum decernit 18. Baſileam intrare renuit 21. ingreditur urbem 25. Felicem inviſit, nec tamen ut Papam honorat 26. 27. ab Alphonſo vanis promiſſis deluſus 57. de Eugenio & Baſileenſibus conqueritur 62. de pace Eccleſiæ ſollicitus 105. Ladislaum apud ſe detinet 300. ab Ænea vindicatur 301. in Italiam venit 331. 332. Romam ingreditur 333. a Papa coronatur 334. Alphonſum Neapoli ſalutat 335. inutilibus ſumptibus parcit 337. Ladislaum a ſe dimittit, & Hungaris relinquit 339. agit de bello Turcico 441. Cardinalem Cuſanum tuetur 400. ad Bohemiæ Regnum adſpirat 526. nonnulli Principes in eum conſpirant 567. Hungariæ ac Bohe-

Bohemiæ Reges sibi conciliare nititur 568.

Fulgosius seu Fregosius Regis Gallici Nomine Genuam occupat 154. sed delusis Gallis eandem sibimetipsi vendicat 154. 155.

Fuxus Cardinalis Concilium Avenionense celebrat 518.

G.

Galesius a Papa Archiepiscopus Cypri nominatur 124. a suis repudiatur ibid.

Galli Helvetios cædunt 113. illis fœdere junguntur 114. 117. cum Metensibus pacta ineunt 115. a Genuensibus illusi 154. eorum victoriæ contra Anglos 242. 401. & seq. Cadomum 289. Falesiam 290. & Cheroburgum occupant 291. bellum in Aquitannia movent 322 plures urbes Anglis eripiunt 323. 324. 325. 327. Burdegalam capiunt 402. expeditionem contra Turcas impediunt 424. Galli pro bello Turcico a Papa vocati nonnisi de controversia circa Regnum Siciliæ agunt 610. 611. 614. Papa eis respondet 615. Pragmaticæ Sanctionis abrogationi obsistunt 619. Pontifici decimas pro bello Turcico petenti denegant 621. Genua expulsi 645.

Gallicæ libertatis exemplum 463.

Gandavenſium ſeditio adverſus Burgundiæ Ducem 407. punita ac ſedata 409.

Genua, bello civili ob varias factiones premitur 152.

Genuenſes ſuam ditionem Galliarum Regi offerunt 153. eidem illudunt 154. auxilia Græcis contra Mahometem ſuppeditant 359. ſponte Turcis Peram urbem tradunt 377. a pace Italica excluduntur 414. Gallos urbe expellunt 645.

Gennadius Monachus Græcos contra unionem concitat 347. 348.

Gennadius Patriarcha dignitatem ſuam abdicat 572.

Georgius Serviæ Deſpota Huniadem capit, & ægre dimittit 218. a Turcis invaditur 430. pertinax in ſua Secta 430. moritur 431. ejus filii ab Amurate oculis privantur 431.

Georgius Scholarius, vide *Scholarius*.

Germaniæ Principes pacem cum Papa conciliant 156. Eugenium ſolum tanquam verum Papam agnoſcunt 157. eorum concordata cum ſummo Pontifice 193. eorum querelæ contra Calliſtum Papam 501. varii tumultus in Germania 367. Germani a Pio II. ad ferenda ſubſidia adverſus Turcas ſollicitantur 631.

Glo-

Gloceſtriæ Comes juſſu Angliæ Regis in carcere ſtrangulatus 138.

Græci, eorum diſſidia ob unionem cum Eccleſia Latina 41. 75. Papæ Legatum in carcerem conjiciunt 76. eorum Imperator unionem urgere deſiſtit 101. de abjurando ſchismate a Papa admonentur 314. Papa eis imperii ſui excidium vaticinatur 315. cum Mahomete pacem ineunt 316. Bohemos ad ſuas partes pertrahere conantur 317. adverſus unionis decretum debachantur 346. eorum cæcitas ad Mahometis molimina 353. vide *Conſtantinopolis*.

Guilielmus Edelinus ob magiam punitus 405.

Guilielmus Saxoniæ Dux fratri ſuo reconciliatus 299.

H.

Haly Baſſa clam Græcis Mahometis conſilia manifeſtat 367. a Notarra Duce proditus 377. a Mahomete carceri mancipatus moritur 377.

Harflevium a Gallis captum 256.

Heimburgus Georgius, appellat ab excommunicatione in Sigismundum lata 667.

Helvetii a Gallis cæſi 113. fœdere eisdem juncti 114. 117. Auſtriacis infenſi 426.

Henri-

Henricus Angliæ Rex Lancaſtrienſes & Eboracenſes conciliare nititur 575. Mantuam ſuos Legatos mittit 623. nudum Regis nomen eidem a Senatu relinquitur 630. capitur 627.

Henricus Bavariæ Dux ejus obitus & elogia 298.

Hiſpania ſeditionibus agitata 240.

Hommagium a Britanniæ Duce Galliarum Regi præſtitum 151.

Humfredus vide *Gloceſtriæ* Comes.

Honflorium a Dunenſi Comite occupatum 274.

Hungari in obſequio Eugenii Papæ conſtantes 50. bellum in Turcas movent 69. poſt Huniadis mortem variis tumultibus agitantur 493. eis ſuppetias denegat Arragonum Rex 497. tumultus ob ſucceſſionem in regno 524.

Huniades Polonici exercitus Dux 70. ejus victoriæ contra Turcas 71. victus a Turcis 99. in Valachia captus 100. Hungariæ Gubernator 130. bellum adverſus Turcas inſtaurat 215. ejus Nepos occiditur 217. ipſe cæſus, ibid. fugit 218. Belgradum obſidione liberat 467. Turcas profligat 468. 469. de victoriæ gloria cum Capiſtrano contendit 471. moritur ibid. tumultus in Hungaria poſt ejus

ejus mortem 493. Primogenitus illius filius capite truncatur 495. Matthias alter ejus filius cuſtodiæ datus 497.

J.

Jacobus Regis Cypri ſpurius filius Regnum Cypri occupat 635. iniquum juramentum ſibi a Sultano præſcriptum præſtat 636.

Jacobus II. Scotiæ Rex, ejus obitus 677.

Jacobus Cordis Agnetem Sorillam veneno necaſſe falſo accuſatur 278. 280. exilio mulctatur 279. 280.

Inſula nova accenſa apparet 486.

Joannes Britanniæ Dux moritur 80.

Joannes Backenſtein Præpoſitura Herbipolenſi auctus, jurgia Baſileenſium hac ſuper re 2. 39.

Joannes Capiſtranus a Papa in Germaniam prædicatum miſſus 304. a Rochiſana falſo accuſatus 305. ad diſputandum provocatus 306. litem circa Benedictionem nuptialem dirimit 429. fruſtra Serviæ Deſpotam ad fidem reducere tentat 430. cum Huniade de victoriæ gloria certat 471. moritur 473. ejus libri ibid.

Joannes Caſtellæ Rex ejus obitus 416.

Joan-

Joannes Cordis ob ſua crimina punitus 404.

Joannes Luſitaniæ Regis Patruelis mortuus 512.

Joannes Navarræ Rex, ejus diſſidia cum Filio ob ſucceſſionem in Regno 422. 462.

Joannes Palæologus Græcorum Imperator unionis ſpem abjicit 101. ejus obitus 128.

Itali Concilium Romæ celebrari poſtulant 61.

Iſidorus Cardinalis Papæ Legatus a Græcis carceri incluſus 76. ad Græcos miſſus 318. a Turcis capitur 375. fuga elabitur 375. Romam revertitur 376.

Jubilæum a Nicolao V. promulgatum 239. 261. frequens Nobilium populique concurſus 261. 263. Polonis quoque & Lithuanis conceditur 314. ob nimiam concurrentium multitudinem nonnulli oppreſſi 263.

Judæi ab officiis publicis excluſi 241.

Julianus Cardinalis pro bello ſacro ad Hungaros miſſus 49. fœdus cum Turcis initum diſſolvi ſuadet 87. 89. prœlio occiſus 100.

Juramentum a Sultano Ægypti Jacobo Cypri Regi præſcriptum 636.

Juſti-

Justinianus Genuensis Bellidux Constantinopolin propugnat 360. vulneratur 369. turpiter fugit ibid. ejus fuga Græcis exitialis 371. in Insula Chio moritur 370.

K.

Kirielus Anglorum Dux Cheroburgum obsidet 282. & occupat ibid. Gallos trajecto flumine aggreditur 283. Anglis cæsis ipse capitur 286.

L.

Ladislaus juvenis, electus Hungariæ 119. & Bohemiæ Rex 300. a Friderico Imperatore eo petere prohibetur ibid. coram Papa perorat 333. a Friderico dimissus 340. vehementius ad Papam scribit ibid. Bohemiæ Rex coronatur 398. ejus Soror Poloniæ Regi nubit 429. dissidia ejus cum Cæsare 508. Papa pacem inter eos reddere conatur ibid. Rex Pragam nuptias celebraturus pergit 509. veneno occisus moritur 510. solemnes exequiæ Parisiis celebrantur 512. laude dignus ob odium in hæreticos 399.

Ladislaus Poloniæ Rex bellum in Turcas movet 91. a Valachiæ Principe absterretur

retur 92. profligatur 96. in Varnenſi prœlio occiditur 98. ejus corpus honeſte a Turcis ſepelitur 99.

Lancaſtrienſes cum Eboracenſibus concordiam ineunt 575. bellum reſtaurant 625. inter factiones prœlium 626. odium inter utramque factionem per Epiſcopum Interamnenſem fovetur 624.

Laurentius Juſtinianus Aquilejenſis Patriarcha electus 319. ejus humilitas 320. ejus obitus 439. & Canonizatio 440.

Laurentius Valla damnatur ut hæreticus 191. vindicatur 192.

Lauſanenſis Conventus Baſileenſium 232. eorum decreta cum Amadæo fabricata 232.

Leodienſis Concilii ſtatuta 149.

Lindwodi Guilielmi obitus, ejus opera 155.

Ludovicus Ord. FF. Minorum Principum Orientalium Legatus 675. pro fraudum architecto habetur 676.

Ludovicus XI. Galliarum Rex Caroli VIII. Succeſſor. Vide *Delphinus*.

Lugdunenſis Conventus pro extinctione ſchismatis 196. 198.

Luſitani claſſem contra Turcas inſtruunt 422. Fezzarum Regem profligant 530. 647.

M. Ma-

M.

Machetes Gerardus, ejus obitus 226.

Magdalena Caroli VII. filia Ladislao Regi desponsata 509. 510.

Magia. judicium de ea 406.

Mahometes II. Turcarum Imperator, Amuratis Successor 309. ejus vitia & virtutes 310. Constantinopolis obsidionem parat 348. eam ipsimet Græci adjuvant, ac promovent 354. urbem duplici exercitu cingit 355. naves terrestri itinere dextre advehit 356. ob ignaviam suorum in rabiem actus 362. 363. dolose Græcis pacem offert 364. obsidionem solvere parat ibid. ultimam in urbem irruptionem tentat 366. Constantinopolin vi capit 373. Christianis placatus 379. novum Patriarcham eligi jubet 381. eidem debitos honores & investituram concedit 381. cum Peloponesi Principibus fœdus init 390. bellum movet in Scanderbegum irrito successu 394.

Mainardus Bohemiæ Gubernator captus moritur 215.

Manichæi e Bohemiæ Regno pulsi 679.

Mantuanus Conventus a Papa indictus 563. frequens Principum concursus 597. 604. 632. Legati de prærogativa loci contendunt

dunt 599. Seſſio I. 600. adventus Legati Burgundici 601. Mediolanenſis & Mutinenſis Duces accedunt 604. omnes in Eccleſia Cathedrali conveniunt 605. Franciæ, Siciliæ, & Britanniæ Oratores adveniunt 609. necnon Angliæ Regis Legati 623. Oratio Papæ ad congregatos 606. Finis hujus Conventus 655.

Maphæus Vegius ejus obitus & opera 561.

Marcus Epheſinus cum Bartholomæo Ord. Prædicatorum diſputat 41. ab eo devictus 42. præ pudore moritur 42.

Margarita Convenarum Comitiſſa a ſuo Marito incluſa, & a Galliarum Rege liberata 78.

Margarita Scotiæ Regis filia: ejus obitus 135.

Maronitæ ad gremium Eccleſiæ revertuntur 123.

Matthias filius Huniadis captus 497. Rex Hungariæ ſalutatus 525.

Mauri a Luſitaniæ Rege bello invaſi 530.

Mediolanenſis Ducatus, plures de eo contendunt 187. 222.

Metenſes cum Gallis paciſcuntur 115.

Medicæus Coſmas Papam Florentiæ excipit 587. ejus mores 588.

Metro-

Metrophanes Patriarcha Conſtantinopolitanus electus, & mortuus 77.

FF. Mendicantes, novem propoſitiones in eorum favorem confictæ contra jura Parochorum 64. Nicolaus V. in eorum favorem circa confeſſionem Paſchalem Bullam edit 482. ſed revocat 483. ſe eidem Fratres ſubjiciunt 484.

N.

Nannetenſis Epiſcopus bonis temporalibus a Pariſienſi Parlamento ſpoliatus 463.

Neapolis ab Alphonſo capta 31. 51. circa Succeſſionem in hoc Regno plurium Principum diſſidia 536. Ferdinando aſſeritur 569. a Calabriæ Duce impetitur 637. urbes ab eo occupantur 638.

S. Nicolaus Toletinus, ejus Canonizatio 147.

Nicolaus V. Papa electus 177. ejus vita 178. ab univerſa Germania pro vero Pontifice habetur 180. ejus electione Baſileenſes territi 181. a Gallis & Polonis agnitus 181. 190. Regi Franciæ 182. cunctisque fidelibus adverſus Amadæum ſcribit 183. 195. pacem inter Principes conciliat 184. ejus concordata cum Germanis 193. cenſuras privationes &c. antea factas declarat nullas 195. 196. 236. conditiones pro ceſſione Ama-

dæi a Gallis propoſitas reſpuit 199. 200. Antipapæ Cardinales recipit 237. jubilæum promulgat 239. 261. bellum ſacrum adverſus Turcas indicit 267. hunc in finem Cardinalem Cuſanum in Germaniam mittit 313. Polonis & Lithuanis jubilæi indulgentias concedit 314. Græcos ad ejurandum ſchisma admonet. ib. eis imperii ſui exitium vaticinatur 315. pacem Anglos inter & Gallos conciliare nititur 321. Ladislai libertatem ne impediret, rogatur 340. conjuratio in eum conflata 395. moritur 442. ejus elogium 443.

Nicolaus vide *Albergatus*.

Nicolaus Cuſanus Cardinalis 225. Legatus in Germaniam pro bello ſacro 312. a Sigismundo Auſtriæ Duce vexatus 460. Pii II. Legatus 581. ab Auſtriæ Duce carceri incluſus 665.

Norimbergenſes bellum movent contra Marchionem Brandeburgicum 259.

Normannia a Gallis recuperata 247. Angli ex hac Provincia penitus expulſi 291.

Notaras Conſtantinopolis Dux: ejus perfidia morte punita. 376.

O.

Ordo militaris *lunæ creſcentis* 223.

P.

Palæologus Joannes Conſtantinopolis Imperator ſe Græcorum Schismati opponere haud amplius audet 101. Amurates ei pacem concedit 102. ejus obitus 128.

Palmerius Matthæus, ejus Chronicon 224.

Panormitanus, ejus opera, obitus, ac inconſtantia 130.

Parochi, de juribus eorum 64. 330.

Pariſienſis Epiſcopus in conventu Mantuano Regis ſui merita extollit 611. Papa ei reſpondet. ibid.

Paſchalis confeſſio, controverſia de illa 481. Bulla circa illam Mendicantibus religioſis data & revocata 482. 483.

Patriarcha Conſtantinopolitanus, ei Mahometes Sedis ſuæ poſſeſſionem concedit 381. Patriarchæ Orientis pro unione ad Papam Legatos ſuos mittunt 672.

Pax Gallos inter & Anglos 110. colloquium Turonenſe hanc in rem celebratum 111. Galliarum Regis conſilium pro pace Eccleſiæ 158. lætitia Romanorum ob redditam Eccleſiæ pacem 161. Bulla Eugenii Papæ hanc in rem. ibid. Pax extincto Schismate reſtituta 229. & ſeq. Papa pacem conciliare nititur Anglos inter & Gallos 321.

Peloponenſi Legati ſe Eccleſiæ præſidio committunt 673.

Peloponeſi Principes pacem cum Mahomete ineunt 390. Mahometi ſubjiciuntur 571.

Perotus coram Cæſare perorat, ac laurea ab eo decoratur 332.

Petraſco Bohemiæ Gubernator moritur 212. Podiebracius ſuccedit 213.

Phranzes, ejus fata in obſidione Conſtantinopolis 378.

Philippus Burgundiæ Dux a Cæſare minus liberaliter habitus 412. ejus ſtudium pro reprimendis Turcis 413. ſuos Legatos ad Conventum Mantuanum decernit 601.

Philippus Mediolanenſium Dux, ejus obitus 185. ejus vitia 186. de illius Ducatu plures contendunt 187.

Pilei uſus quo tempore in Galliis invaluerit 255.

Pius II. Papa electus 548. 551. nomen Pii II. aſſumit 551. Beſſarionis oratio ad illum 552. Papæ reſponſum. ibid. ejusdem indoles 556. Principibus ferme omnibus eius electio probatur 559. illius inauguratio 563. Mantuanum conventum indicit. ibid. Galliarum Regem invitat ad illum 564. Regis reſponſum 565. Podiebracium etiam venire rogat 366. Roma Mantuam proficiſcitur 581.

S. An-

S. Antonini exequiis præsens 590. Bononiam & Ferrariam petit 592. Mantuam venit 594. ibidem de exiguo Principum numero ad conventum accedentium queritur 595. ad accessum eos incitat 596. plurimi Principes accedunt 597. Legatos de prærogativa loci certantes componit 600. ejus postulata pro bello Turcico 602. omnes Principes ad Ecclesiam Cathedralem convocat 605. orationem ad eos habet 606. Legatos in publico Patrum Senatu audit 610. ad orationem Parisiensis Episcopi respondet 611. necnon ad Franciæ Legatorum postulata 615. objecta sibi circa Siciliæ Regnum diluit 616. Pragmaticam abrogari postulat 618. Galli decimas eidem denegant 621. Germanos ad suppetias contra Turcas sollicitat 631. Ferdinandum Arragonium tuetur, & quare 643. Appellationes a Papa ad Concilium prohibet 649. pro Turcarum bello sollicitus 652. Mantua Senas proficiscitur 658. sex Cardinales creat 659. Sigismundum Austriæ Ducem excommunicat 667. quædam dissidia habet cum Principibus ob Collationem beneficiorum 670. Patriarcharum Orientalium, & Peloponesi Legatos excipit 672. Senis Romam delatus 674. Orientis Principum Legati veniunt 675.

Podiebracius Bohemorum Gubernator 213. 527. ejus astutia & ambitio 213. Pragam occupare molitur 214. Mainardum capit 215. cum Ænea Sylvio de fide agit 303. Taboritas exterminat 528. Silesitæ contra eum conqueruntur 583. Friderico infensus 367.

Poggius Florentinus ejus obitus 593.

Poloni copias contra Turcas suppeditant 70. illis Huniades præficitur 70. 91. eorum Regem a bello Turcico avertunt 92. de novi Regis electione agunt 121. Casimirum eligunt, & coronant 189. Regem ad Regnum juxta patrias leges gubernandum jurejurando compellunt 259. eis jubilæum conceditur, quin Romam pergant 314. ad eos Porussi transeunt 427. Silesitæ contra eum queruntur 583.

Porcarius vide *Stephanus*.

Porussi eorum querelæ contra Equites Teuthonicos 427. ad Polonos deficiunt 427. ab anathemate solvuntur 633.

Praga, Podiebracius illam occupat 214. Papa hujus Ecclesiæ administratorem nominat 586. Pragensi Ecclesiæ a Pio II. Administrator datur 586.

Pragmatica Sanctio hanc in rem Bituricensis conventus agitur 343. Papa illam abrogari

gari petit in Conventu Mantuano 618. Reſponſum Galliæ Legatorum hanc in rem 619. Pariſienſis Senatus contra illius abrogationem reclamat 662.

Propoſitiones contra jura Parochorum damnatæ 64. 330. Alphonſi Toſtati 67.

R.

Religioſi vide *Mendicantes.*

Renatus Andegavenſis Neapolin occupandi ſpe fruſtratus in Gallias redit 32. Ordinem militarem inſtituit 223. ejus filia Angliæ Regi deſponſata 118.

Richardus Eboracenſis Dux ſeditionem movet adverſus Angliæ Regem 457. pro ſummo imperio Angliam gubernat 521. aula & regno excedit 523. cum Lancaſtrienſibus reconciliatur 575. exercitum contrahit 577. in Hiberniam fugere compellitur 578. novos tumultus in Anglia ſuſcitat 625. pugna cum Lancaſtrienſibus 626. Rex proclamatur 628

Rochiſana Pragenſem Archiepiſcopatum ambit 205. 207. Legato indignatur ob repulſam 208. perorans lingua & memoria hæret 209. Joannem Capiſtranum inique vexat 305. eum ad diſputandum provocat, ſed certamen doloſe declinat 306. juvenis Bohemiæ Rex eum ob ſu-

am hæreſin tolerare nequit 399. de veneno huic Regi propinato accuſatur 510. tractatum de Sacramentis contra Taboritas edit 587.

Romanorum lætitia ob ſchiſma extinctum 161. & ob electionem Pii II. 553.

Romani Barones a conclavis acceſſu prohibiti 172.

Roſa aurea: ejus deſcriptio 148.

Rothomagum a Gallis deditione acceptum 249.

S.

Salisburgenſes Archiepiſcopum ſuum ab Antipapa confirmari renuunt 2.

Sanwicum a Gallis captum 574.

Saxonia, duo fratres Duces inter ſe conciliati 299.

Sbigneus Cardinalis Gneſnenſi Epiſcopo ob Cardinalitiam dignitatem præfertur 258. 429.

Scanderbegus, ejus vitæ hiſtoria 72. illius victoriæ contra Turcas 73. ditionem ſuam recuperat 73. Mahometes II. in eum bellum movet 394. Turcas profligat 469. 516.

Schiſma Baſileenſium penitus extinctum 161. 231.

Scholarius eligitur Patriarcha 380. ab ipso Mahomete invisitur 381. 383. Patriarchatum dimittit 384. ejus opera. ibidem.

Scoti Præsules Felicem Antipapam anathemate feriunt 28.

Sfortia Franciscus, Felici Antipapæ illudit 29. 30. Eugenio infensus 30. ad Conventum Mantuanum accedit 604.

Sicilia, de ea contendunt Galli 611. 614. 615. 616.

Sigismundus Austriæ Dux Nicolaum Cusanum divexat 460. eundem e carcere liberat 664. & rursum includit 665. a Papa excommunicatur 666. eum Heimburgus tuetur 667.

Silesitæ contra Podiebracium conqueruntur ob periculum fidei 583.

Simonetus ex Ord. S. Augustini pacem in Italia conciliat 413. Genuenses ab hac concordia excluduntur 414.

S. Sindon seu sudarium Christi Domini, ejus historia 385. nonnullis videtur Apocrypha 386.

Sommersetus Dux a Gallis devictus 253. Rothomago egreditur. ibidem. in prœlio occumbit 458.

Stephanus Porcarius contra Nicolaum V. Papam conjurat 395.

Sueſſio-

Sueſſionenſe Concilium 489. ejus decreta. ibidem.

Suecorum tumultus 487.

Sultanus Ægypti: ejus epiſtola ad Regem Daniæ 118. Jacobum contra Cypri Reginam tuetur 636. juramentum eidem præſcribit 636.

Syrorum Patriarcha Eccleſiæ Catholicæ ſe aggregat 103. unionis decretum 103. 104.

T.

Taboritarum indoles ab Ænea Sylvio deſcripta 301. a Podiebracio exterminati 528. Tabor eorum urbs everſa ac ſuccenſa 529.

Talbotus obſes Rothomagi relictus 254. libertati redditus 291. in prœlio occiſus 401.

Terræ motus horrendi in Italia 486.

Thomas Sarſanenſis Cardinalis, vide *Nicolaus V.*

Toletani ob immodicum tributum ſeditionem concitant 240. Judæos ab officiis excludunt 241. eorum edictum reprobatur. ibidem.

Toſtatus vide *Alphonſus.*

Trans-

Transfigurationis festum primo solemniter ubique celebratum 470.

Turcæ ab Huniade cæsi 71. 73. contra eos bellum paratur a Christianis 83. 215. rupto fœdere bellum instaurant 89. 91. eorum victoria contra Christianos 97. 217. bellum sacrum adversus eos 267. profligantur 363. expeditio in eos 417. a Gallis & Anglis, aliisque Septentrionalibus Regibus impedita 424. 425. Serviam invadunt 430. ab Huniade cæduntur 468. 469. Belgradi obsidionem solvunt, & profligantur 466. 467. a Scanderbego cæsi 469. 516. a Persarum Rege invasi 517. Mantuæ bellum adversus eos decernitur 608.

V.

Vala vide *Laurentius.*

Valachiæ Princeps Poloniæ Regi bellum adversus Turcas diffuadere conatur 92. Huniadem perfide captum detinet 100.

Valentinus Comitatus Delphinatui unitur 136.

Valonia ab Anglis capta 282.

Varnense prœlium 97.

Varvicensis Comes Caleti Gubernator 522.

Veneti cum Turcis paciscuntur 420.

Ulricus

Ulricus Ciliæ Comes, Huniadis filium natu majorem occidi jubet 495. hujus Comitis obitus 494.

Univerſitas Pariſienſis a Cardinale Eſtutevilla reſtaurata 341.

Urſinus Cardinalis Legatus in Germania 321.

Urſinus Juvenalis Sueſſionenſis Concilii Præſes 489.

Uſumcaſſanus Perſarum Rex Turcas bello invadit 517.

X.

Xainconius ob peculatus crimen mulctatus 296.

Z.

Zechelius Huniadis Nepos prœlio occiſus 217.

Zechitæ Turcarum Monachi, ad eos Amurates ſecedit 307.

Errata ſic corrige.

Pag.	34	iteratum	- -	iteratam
	39	diremi	- -	dirimi
	80	nequicquam	- -	nequaquam
	96	inſolido	- -	inſolito
	152	quidam	- -	quidem
	312	eum	- -	eam
	441	feciſſe	- -	feciſſet
	604	Mediolanenſium	-	Mutinenſium.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TO: XXVIII

Th
5178
I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN